UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabiblis Cleri edita

Heislinger, Anton

Ingolstadij, 1726

urn:nbn:de:hbz:466:1-40177

Visual Library




Th. 2149 1.
G IV
21
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

RESPONSA MORALIA

IN

Cauſis Juſtitiæ Commutativæ

PARS SECUNDA

De Contractibus.

Præcipuè ad commodum, atque uſum Venerabilis Cleri edita

A

R. P. ANTONINO HEISLINGER, SOC. JESU, SS. Theologiæ Doctore: Ejusdémque olim in Moralibus in Univerſitatibus Ingolſtadiana, & Friburgenſi Briſgoica PROFESSORE EMERITO.

Cum Facultate Superiorum

ET

PRIVILEGIO.

INGOLSTADIJ

Sumptibus JOANNIS ANDREÆ de la HAYE, Bibliopolæ Academici.

ANNO M.DCC.XXVI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



ELENCHUS CASUUM

PARTIS SECUNDÆ.

CASUS I.
De diminuto contra promissionem olim factam salario. fol. 1.
CASUS II.
De Valore donationis rei alienæ. fol. 11.
CASUS III.
De donatis vicino, & à Creditore postea repetitis ædibus. fol. 21.
CASUS IV.
De Usu depositi. fol. 37.
CASUS V.
De Commodato. fol. 51.
CASUS VI.
De mutuo. fol. 72.
CASUS VII.
De Venditione tritici apparenter usuraria. fol. 86.
CASUS VIII.
De emptione chyrographorum ac Nominum. fol. 100.
CASUS IX.
De Commissario minori, quàm jussus fuerat pretio frumentum comparante. fol. 116.
CASUS. X.
De eadem re duobus successivè vendita. fol. 127.
CASUS XI.
De manifestando vitio mercis. fol. 142.
CASUS XII.
De re cum vitio occulto vendita. fol. 159.
CASUS XIII.
De fraudulento emptore. fol. 179.
CASUS XIV.
De pretio mercis ab intermedio emptore partialiter retento. fol. 194.
CASUS XV.
De Venditione hordei virtute germinandi destituti. fol. 102.
CASUS XVI.
De locato telonio. fol. 212.
CASUS XVII.
De obligationibus locatoris, & Conductoris. fol. 224.
CASUS XVIII.
De Fundo. fol. 242.
CASUS XIX.
De Censibus. fol. 257.
CASUS XX.
De fructibus pignoris in sortem computandis. fol. 277.
CASUS XXI.
De Societate Lanionia. fol. 288.
CASUS XXII.
De Societate praxatoria. fol. 300.
CASUS XXIII.
De alienatis ab uno ædibus pro indiviso cum alia possessis. fol. 309.

CASUS XXIV.
De Lusu Religiosorum. fol. 320.
CASUS XXV.
De Ludente alienis pecuniis. fol. 342.
CASUS XXVI.
De Thesaurario, Principis sui pecunias elocante. fol. 362.
CASUS XXVII.
De lucro ex permutatione alienæ pecuniæ; atque ex alterius nomine emptis censibus reportato, fol. 380.
CASUS XXVIII.
De taxatione mercedis molitoribus solvendæ. fol. 395.
CASUS XXIX.
De Contractu dotali inter Conjuges metûs causâ inito. fol. 411.
CASUS XXX.
De pactis dotalibus. fol. 431.
CASUS XXXI.
De contractu colligendi decimas. fol. 444.
CASUS XXXII.
De obligatione successoris ad solvendas decimas ab antecessore non persolutas. fol. 461.
CASUS XXXIII.
De obligatis ad domum parochialem reficiendam. fol. 474.
CASUS XXXIV.
De vi consuetudinis in solvendis decimis. fol. 493.
CASUS XXXV.
De præscriptione immunitatis à jure solvendi decimas integras in agro. fol. 515.
CASUS XXXVI.
De Negotiatione Religiosorũ. fol. 537.
CASUS XXXVII.
De mediata Religiosorum negotiatione. fol. 552.
CASUS XXXVIII.
De Contractu Simoniaco. fol. 565.
CASUS XXXIX.
De Simoniaco Religiosi Ordinis Candidato. fol. 579.
CASUS XL.
De Renuntiatione futuræ hæreditatis paternæ juratò in gratiam Patris facto. fol. 590.

CA-

CASUS I.

De diminuto contra promissionem olim factam salario.

NIcætas obsequia sua addicit magno Domino, à quo & salarium accipit per annos complures suæ sustentationi congruum cum promissione recipiendi illud in perpetuum. Interea dominum illum expensas sat magnas facere alibi oportuit, quibus rem suam familiarem valdè diminutam advertit. Hæc ut rursus augeretur, etiam Nicetæ salarium annuum notabiliter minuendum censuit, quod & eidem insinuavit cum addito, Nicætam non impediendum, si salario imminuto deinceps contentus esse nollet, sed alium sibi Dominum quærere vellet. Nicætas videns in ea ætate (sufficiente tamen ad obsequia priora) se non facilè inventurum alium Dominum, salarium autem hoc secundum, hoc est minus, sibi, suæque familiæ alendæ non suffecturum; ne ab honesta sua conditione ad viliorem notabiliter, ac ignominiosam descendere cogeretur, persistit in obsequiis Domini. Quia autem Dominus ab initio eidem promiserat, quòd in perpetuum recepturus esset primum congruum salarium, ex confessario quærit, utrum ratione hujus promissi non liceat sibi ex pecuniis Domini compensare, quantum primo salario majori, in secundo minore deerat. Occasione hujus casûs.

Q. 1. Num Dominus in his circumstantiis potuerit licitè recedere à contractu quo Nicætæ in perpetuum promiserat primum salarium?

Q. 2. Quodnam sit justum officialium, & famulorum salarium?

Q. 3. An Nicætæ liceat occulta compensatio?

Q. 4. Ad quid obligandus Nicætas foret, si jam aliquo tempore occulta tali compensatione fuisset usus?

§. I.

Resolvitur primum quæsitum.

Num Dominus in his circumstantiis potuerit licitè recedere à contractu, quo Nicætæ in perpetuum promiserat primum salarium?

1. *IN certis circumstantiis licitè à contractu recedi potest.*
2. *Quæ videntur adesse in præsenti casu.*

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Quodnam sit justum officialium, & famulorum salarium?

3. *UNdenam justitia salarii vulgaris desumatur?*
4. *Universaliter non illud solum est justum, quod sufficit famulo ad sui sustentationem.*
5. *Stipendium justum est, in quod officialis sine dolo, metu, aut necessitate consensit.*
6. *Nicætas videtur in diminutum stipendium consensisse liberè.*
7. *Eò quòd optionem abeundi vel manendi habuerit.*
8. *Licèt transmittamus, salarium justum esse, quod sustentationi sufficit, liberum tamen Domino manet hunc, vel alium assumere.*

§. III.

Resolvitur tertium quæsitum.

An Nicatæ liceat occulta compensatio?

9. *EX duplici titulo videtur Nicetas jus habere ad compensationem,*
10. *Nullum tamen ex prima promissione obtinet.*
11. *Huic tamen locus dabitur, si posterius salarium sit minus infimo congruo.*
12. *Quod tamen eidem clarè debet constare.*
13. *Quo etiam dato, ex aliis circumstantiis compensatio potest esse illicita.*
14. *Si scilicet defectum ultro remiserit.*
15. *Aut spe quadam, licèt falsa, illectus.*
16. *Aut Dominus eodem non amplius indiguerit.*
17. *Aut si ad suas preces à Domino retentus fuisset.*
18. *Vel dato aliud contenti fam dentur.*

§. IV.

§. IV.

Resolvitur ultimum quæsitum.

Ad quid obligandus Nicætas foret, si jam aliquo tempore occulta tali compensatione fuisset usus?

19. *Accepta intered bonâ fide non tenetur restituere Nicætas, si illa nec formaliter, nec virtualiter amplius habeat.*

20. *Aliter judicandum, si malâ fide processerit.*

21. *Aut etiam bonâ fide, sed animo restituendi, postquam ex aliis intellexerit, sibi hoc esse illicitum.*

§. I.

Resolvitur primum quæsitum.

Num Dominus in his circumstantiis potuerit licitè recedere à contractu, quo Nicatæ in perpetuum promiserat stipendium suæ sustentationi congruum?

1 Dico primò. Possunt absolutè tales circumstantiæ evenire, ut Dominus licitè recedat à contractu cum suo officiali aut famulis inito, ita sentiunt Molina *tract. 2. Disp. 272.* Lessius *lib. 2. cap. 18. dub. 10.* Azor *p. 3. lib 8. cap. 9. versu 3.* Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 5. num. 5. citans* Sanchez *de Matrim. Disp. 62.* Palao *de Just. disp. 2. pu. 12. n. 2.* Prob. con. pro illis circumstantiis aliquis licitè recedit à contractu, pro quibus noluit se obligare, & quas noluit in suo contractu comprehendere: sed possunt absolutè tales circumstantiæ evenire, pro quibus noluit se Dominus obligare, & quas noluit comprehendere: ergo &c. prob. M. contractus omnem suam vim habet ab intentione contrahentium, & juxta Rubricam *legis 19. ff. de rebus creditis: actus non operantur ultra intentionem agentium:* ibi enim habetur: *Actus numerationis non operatur, ut quis operetur ultra intentionem agentium:* ergo si Dominus pro, & in certis circumstantiis, noluit se ad hoc obligare in talibus circumstantiis, si istæ evenerint, non erit obligatus. Quòd attinet minorem primi nostri syllogismi; probatur illa negativè, eò quòd ex una parte non constet, quòd ad omnes excogitabiles eventus voluerit se obligare; ex altera autem sæpissimè contingat, ut tales emergant circumstantiæ, quas si contrahens prævidisset, contractum certò certiùs omisisset: ut patet in sponsalibus, in promissionibus, donationibus &c.

Confirm. contractus, quem Dominus cum tali officiali, aut famulis facit, est contractus locationis,

conductionis: atqui in isto possunt tales circumstantiæ evenire, in quibus à contractu liceat recedere; ergo &c. prob. m. v, g. Petrus habet duas ædes, unas ipsus inhabitat: alteras incolendas dat Paulo ad triennium: si casu ædes à Petro inhabitatæ conflagrarent, mutatæ sunt taliter circumstantiæ, ut à locatione Paulo facta possit recedere. Ergo &c.

Conf. 2. Ex *lege continuus 137. §. cum quis ff. de V. oblig.* deducitur, quòd omne pactum etiam juramento firmatum intelligatur *rebus sic stantibus*: ergo quando res desierunt sic stare, contractus non ampliùs obligabit: prob. a. ex formalibus *cit. legis*: *non enim secundùm futuri temporis jus, sed secundùm præsentis æstimari debet stipulatio.* Ipsa enim intentio contrahentium est fundamentum obligationis: ergo si hæc ad aliquos casus se non extendit, etiam obligatio contracta se non extendit.

2 Supereſt igitur, ut modò videamus, num in præsenti casu ita mutatæ sint circumstantiæ, ut illas Dominus in sua intentione non comprehenderit. Primò itaque in casu ponitur, quòd Dominum expensas sat magnas alibi facere oportuerit, quibus rem suam familiarem oppidò diminutam advertit, hinc se compulsum conspicit, ut non necessariis expensis parcat, de splendore sui statûs, & lautiore vivendi modo, aliquid remittat, diminuat numerum famulitii, solvat salarium modò infimum, quibus antea dedisset summum. Secundò etiam circumstantiæ casûs docent, promisisse dominum in perpetuum dare officiali stipendium hoc congruum: ex quo deducimus, fuisse illud majus justo, vel ex justo latitudinem patiente summum; si enim nec summum; nec majus etiam justo summo fuisset, non opus erat, ut singulari, & explicita promissione ad perpetuam hujus salarii solutionem se obligâsset: justum enim salarium per se officialibus semper dari debet: ergo si expressè, & singulariter, & quasi ex abundanti gratia, se ad hoc, & non ad inferius salarium obligavit, necessariò debuit id esse majus summo, vel summum ex justo. Tertiò supponimus, etiam ipsi Nicætæ officiali semper liberum fuisse, ut si fortunam suam apud alios dominos promovere, ac meliorem facere potuisset, relicto hoc officio, alterius cujusdam domini obsequiis se dedicare potuisset, nec unquam ab hoc suo Domino actu fuisse impeditum, quo minus talem occasionem sibi oblatam acceptaret. Quartò. cùm Nicætæ à domino suo optio facta fuerit, ut vel diminuto stipendio in posterum contentus vivat, vel alium sibi Dominum velit quærere, colligimus, plures alios adfuisse, qui pro diminuto hoc salario fungerentur officio, quòd hactenus Nicætæ nostro commissum fuerat. Ex quibus omnibus concludimus, Dominum

num Nicætæ noluisse se obligare ad perpetuandum hoc stipendium nostro Nicætæ in istis circumstantiis, quòd viderit imminutum adhuc esse justum, & plures alios adesse, qui hac diminuta mercede contentissimi famularentur, consequenter potuisse libertatem relinquere suo officiali, ut imposterum diminuto, adhuc tamen justo, salario vivat contentùs, vel de alio sibi domino prospiciat. Si enim notabiliter facultates hujus domini absque sua culpâ diminutæ fuerunt, ut in aliis domesticationem spectantibus reformare suum statum debeat, quomodo prudenter possumus judicare, eundem, si tempore contractûs has circumstantias prævidisset, ita tunc animo constitutum fuisse, ut solùm hunc suum officialem ab hac reformatione exciperet? ergo voluit sibi relinqui libertatem, ut in his circumstantiis possit huic suo officiali promissum valdè pingue salarium ad minus, adhuc tamen justum, reducere, vel illo dimisso, de alio viro, qui illo contentus vivat, prospicere.

Diximus, Dominum habere facultatem reducendi promissum ab initio stipendium ad minus, justum tamen. Hinc altera oritur quæstio, quænam merces habenda sit pro justa, an illa tantùm, quæ tali famulo ad se ac suam familiam sustentandam est necessaria, vel alia demum quæcunque? item ex qua regula salarii justitia sit desumenda?

§. II.

Resolvitur secundum quæsitum.

De Justo officialium & Famulorum salario.

2 QUando salarium nulla lege statutum est, illud censemus justum esse, ac congruum, quod frequenter ejusmodi officialibus in tali loco, ac tempore dari consuevit, ita ut multos reperire sit, qui tali tempore, tali loco libenter ejusmodi munera, atque officia pro tali mercede administrarent.

Idem sentit Bonacina *de contract. Disp. 3. q. 7. p. 4 num. 9.* asserens justum esse, quod judicio, & arbitrio prudentis tale judicatur, habita ratione obsequiorum consuetudinis, temporis, loci, & aliarum circumstantiarum, Citat pro se Cordubam, Vasquez *opusculo de restitut. cap. 5. dub. 10. num. 56.* Rebellum, Reginaldum *lib. 36. num. 552.*

Ex quibus colligimus, non bene 4 sentire illos, qui judicant universaliter illud salarium duntaxat congruum, atque justum esse, quod officiali aut famulo sufficiat ad se, atque suam familiam sustentandam, & alendam. Falsum enim hoc esse universaliter loquendo judicant Lugo *Disp. 29. sect. 3. num. 62.* Dicastillo *lib. 2. tract. 2. Disp. 9. n. 160.* Ratio est: obsequia à nonnullis præ-

stita, nequaquam sunt semper tanti valoris, ut tam magnam mercedem promereantur. Secundò multos subinde reperire est, qui præter obsequia certo Domino præstanda possunt simul intendere aliis rebus, quibus id, quod ex statuta mercede ad plenum victum deest, sibi providere, atque supplere possunt. Ergo ad Justitiam salarii non potest universaliter exigi, ut illud semper sufficiat unicuique officiali ad se, suamque familiam sustentandam; præsertim, cùm multos reperire sit, qui minore, quàm ad totum victum necessario salario contenti forent. Tertiò, si talis officialis cum tempore multos liberos aquireret, ad quos nutriendos pluribus indiget; si ab initio statutum, & in quod consenserat, salarium non sufficeret, hoc semper perpetuò augendum foret.

5 Judicamus secundò, stipendium justum & congruum habendum esse, de quo Dominum inter atque officialem est ita conventum, ut licèt hoc reipsa sit minus justo etiam infimo, in hoc tamen officialis non invitus aut necessitate compulsus: vel dolo, ac fraude inductus, sed liberrimè consenserit. ita Joan. Valerus *in different. utriusque fori: verbo locatio*: Diana *p. 3. tract. 6. resol. 16. versu hæc omnia*: Bonn.* *de contract. disp. 3. q. 7. p. 4. num. 2. & 3.* Stephanus a S. Gregorio *de Restit. lib. 1. cap. 6. num. 44.* Dicast. *lib. 2. tract. 2. Disp. 9. dub. 6. num. 153.* prob. conc. ratione: ad illius duntaxat stipendii solutionem obligatur Dominus, in quod ipse officialis, vel famulus sponte ac liberrimè consensit: sed in hoc, & non in majus spontè, ac liberrimè consensit: ergo &c.

Prob. 2. Dominus nullum stipendium teneretur officiali persolvere, si hic Domino suam operam gratis ex liberrima voluntate obtulisset: ergo si etiam aliquod, justo tamen minus, liberrimè expetiit, non tenetur ad majus expetitò ipse Dominus. Prob. 3. conventio contrahentium parit aliquam legem inter illos; ergo famulus exigens plus, quàm circa quod convenerat cum hero, agit contra legem à se latam. Conf. Corradus *de contract. q. 57.* Antoninus *p. 2. tit. 2. c. 16. §. 3.* Angel. *verbo Emptio. §. 7.* Sylv. *eodem verbo q. 9.* Sàa *verbo venditio num. 1.* Dicastil *lib. 2. tract. 9. disp. 3. dub. 5. num. 36. cum* Navarro *lib. 3. consil. consil. 1. num. 4. tit. de locato.* Armilla. *verbo Emptio num. 10.* Mercator *lib. 2. c. 11.* defendunt, si scienter ac sine necessitate aliquis vendat rem aliquam alteri minoris justò, talem obligatum esse ad standum hoc contractu, eò quòd visus sit donare: aliter tamen sentiendum, si ex ignorantia aut necessitate hoc contrigerit: ergo idem de locatione & conductione, quæ legibus emptionis regulantur, dicendum est.

His præmissis examinandum su- 6
perest, utrum Nicætas noster in hoc
secundum cum domino de immi-
nura

nuta mercede initum pactum scienter, voluntariè, atque sine necessitate, consenserit. Coactum quodamodo ad consensum Nicætam fuisse ex eo videtur constare, quòd viderit se in ea ætate non facilè inventurum alium Dominum: ne ergo ab honesta sua conditione ad viliorem notabiliter ac ignominiosam descendere cogeretur, in obsequiis prioris Domini adhuc perstitit, promittens se diminuto salario, licèt ad sui, & suæ familiæ sustentationem haud sufficienti, contentum futurum. Sed contra est, ista coactio non videtur fuisse illata ab ipso Domino, & consequenter non esse injusta. Quis enim obligabit aliquem dominum, qui potest plures officiales aut famulos cum selectu conducere minore quodamsalario, quis aio, illum obligabit, ut cum promissione majoris mercedis conducat alium, qui nullum aliàs Dominum invenire potest, à quo æquale stipendium recipiat?

7 Dices, certum est, quòd tali necessitate pressus officialis non condonet defectum mercedis, vel saltem non voluntariè: ergo Dominus solvens duntaxat mercedem minorem, non erit tutus in conscientia. R. Dominum posse, & in casu nostro etiam dixisse officiali, si pro hoc non vis inservire, abi, & alium quære herum: ergo si non abiit quia præviderat se à nullo alio domino conducendum, scienter ac voluntariè consensit in hanc diminutionem stipendii.

Secundò: indubitanter potuit Dominus conducere alios, qui idem hoc officium conrenti minori quodam stipendio administrandum susciperent: ergo hoc ipso stipendium illud erat justum absolutè; consequenter acceptans diminutum nullam donationem fecerat.

Tertiò alii, qui hoc officium minore contenti mercede libentissimè acciperent, utique etiam habuerunt difficultatem in reciperiendis Dominis, queis suam operam locarent: atqui nemo dicit, quòd necessitate quadam injusta compulsi minus stipendium recipetent: ergo neque hic officialis.

Dices 2. Occupato officiali ta- 8
liter in obsequiis sui domini, ut ex nullo alio quidpiam aquirere valeat, debetur tota, & adæquata sui, ac suæ familiæ sustentatio. Sed talis officialis etat ita occupatus: ergo debetur eidem adæquata sustentatio R. ex hoc sequi, officialem, si tractu temporis multum fuerit auctus numerus liberorum & familiæ, posse expetere augmentum sui salarii, quod ipsi ut justum ab initio fuerat promissum, quod videtur esse contrarium experientiæ. R. 2. Etsi transmittamus, deberi per se tali totaliter occupato in obsequiis sui Domini officiali sustentationem plenam, & sui & suæ familiæ; est tamen Domino utique liberum, ut potius eligat illium officialem, quem videt minoribus sumptibus indigere ad sui, & suæ familiæ sustentationem, quàm indi-

indigentem majoribus. Ergo etiam domino liberũ erit, eligere hunc indigentem majoribus sumptibus, si ille velit contentus esse salario, quod aliis videtur esse sufficiens, & congruum: & casu, quòd talis officialis hanc conditionem acceptaverit, debet iste servare semel initum à se pactum, vel officium relinquere. Aliter se res habet in casu, quo Dominus ab initio constituit ex certis reditibus salarium suo officiali, quod sustentationi officialis videbatur esse congruum; deinde autem ex variis circumstantiis hoc salarium officialis non recipiat, & hinc congrua sui ac suorum sustentationi media non habeat; nam si talis postea Dominum moneat de insufficientia diminuti sui stipendii, & ab hoc nec compensetur defectus, nec discessus volenti augmentum diminuti salarii à domino offeratur; videtur ejusmodi famulus habere jus ad supplendum defectum promissi ab initio stipendii, prout decidimus in casu de occulta compensatione sufficiens salarium non habentis.

§. III.

Resolvitur tertium quæsitum.

An & quantam compensationem occultam ex bonis sui heri facere sibi possit Nicætas noster?

9 IN duplici titulo videtur fundatum esse jus istud: primus est ipsa promissio, cùm ab initio conduceretur, Nicætæ facta, recepturum scilicet illum in perpetuum, quod tunc ipsi assignatum fuerat stipendium congruum. Alter titulus esse potest, quod in posteriore contractu, in quo salarium eidem diminutum, læsionem passus fuerit, in quantum justum, & congruum stipendium nequaquam receperat.

10 Dico itaque primò. Ratione promissionis primæ, Nicætæ nostro nullum omnino jus ad quandam compensationem ex bonis sui Domini faciendam competere, prob. si aliquod competeret, ratio foret, quia dominus non potuit resilire à sua olim facta promissione: atqui juxta probata in primo §. potuit resilire: ergo &c.

Conf. licèt ponamus non esse certum, quòd potuerit resilire, est tamen hoc valdè probabile: ergo non licet Nicætæ compensationem occultam facere ex bonis sui Domini, si enim stante dubio non licet, multò minus licebit, si ob unam, vel plures rationes verè probabile sit, quòd nullum habeat jus, quia in tali casu melior est conditio possidentis:

11 Dico 2. si merces hæc imminuta non adæquat infimum ex justo salarium, poterit Nicætas occultam compensationem facere, si etiam cæteræ necessariæ conditiones adhuc adsint,

sint, & Nicætas ab hoc non prohibeatur ob alias circumstantias, quæ in secunda hac conventione intervenerant.

Prob ipsum jus naturale dictat dignum esse operarium mercede sua, & huic stipendium justum solvendum; prout cum communi tenent Rebellus *lib. 14. q. 3.* Molina, Lessius, Bonnac *de contractibus disp. 3. q. 7. p. 4. num. 2.* Dein inter salarium & operam conductori præstitam adesse debet æqualitas: ergo si hæc æqualitas non datur, & justum salarium Nicætæ persolutum non fuerit, per se poterit occulta compensatione uti.

12 Debebit autem Nicætæ juxta D.D. clarè constare, quòd salarium sit justò minus, & consequenter secundus contractus injustus. Prout volunt cum aliis Molina *tract. 2. Disp. 56. num. 2.* Octavius Maria *à* S. Joseph. *in suis 310. dubiis interrogatione 1176.* quam diu enim Nicætæ de injustitia contractûs non constat, tam diu illo standum est: sed tamdiu non constat de injustitia contractûs, quamdiu non clarè &, ut hi Authores loquuntur, luce clariùs constat, quòd salarium sit minus etiam justo infimo.

13 Dixi autem in conclusione, posse occultam compensationem facere, *nisi ab aliis circumstantiis, quæ in contractu secundo intervenerunt, ab hac probibeatur.* Hinc nulli compensationi locus erit.

14 Primò: si defectum hujus justi salarii ultrò remiserit, & Domino condonârit; prout defendit Vincentius Corocius *tract. de locat. p. 1. q. 10. num. 3.* Lessius *lib. 2. cap. 24. dub. 4. num. 26.* Azor. *3. parte lib. 13. q. 4.* Filliucius *tract. 36. num. 104.* Vasquez, Molina *tract. 2. Disp. 493. num. 9.* Bonnac. *de contract. Disp. 3. q. 7. p. 4. num. 2.* Ratio est, quòd talis conventio non sit pura conductio, sed permixta cum condonatione decrementi à justa mercede: ergo conducens conducto non tenetur ad majorem mercedem, consequenter nulli tacitæ compensationi locus erit.

Hæc omnia procedunt etiam, li- 15
cèt Nicætas aliquid remiserit ex spe cujusdam favoris sibi à domino conferendi, licet hac spe sua deceptum se esse videat: ratio est, quòd spes ista nullam obligationem justitiæ ipsi Domino imponat.

Secundò nulli compensationi oc- 16
cultæ locus erit, si justo minus salarium fuerit assignatum, eò quòd tali officiali non ampliùs indiguerit Dominus. Ita Dicastillo *lib. 2. tract. 2. Disp. 9. dub. 6. num 147.* Ratio est. Si Dominus non ampliùs indigeat obsequiis sui famuli, vel officialis, tunc hujus obsequia non sunt tantæ ampliùs utilitatis, ut mercantur illud alias justum salarium: sed si non ampliùs sunt tantæ utilitatis, & præcisè in commodum officialis hunc adhuc detinet, tunc imminutum stipendium non est injustum, licèt in aliis circumstantiis foret minus justo.

Tertiò. Si Dominus absolutè vo- 17

luisset hunc suum officialem dimittere, eundem tamen ad preces, & instantiam ipsius adhuc detinuerit, & ratione hujus ultroneæ oblationis minus consueto salarium assignâsset, compensationem nullam facere Nicætas poterit ita Sotus 5. *de Just. q. 3. art. 3.* Vasquez *in opuscu-lo de Restit. cap. 5. dub. 10 num. 61.* Bonnac. *loco cit. num. 5.* Lessius *ex parte.* Ratio jam fuit insinuata; sicut enim merces ultro oblatæ vilescunt, ac minore comparantur pretio, ita & famuli, atque officiales suam operam ultro offerentes, reddunt hanc viliorem. Licèt autem Molina *Disp. 506. num. 1. versu quod itaque:* & Navarrus *cap. 17. num. 108.* contrarium sentiant, ex hoc ipso tamen infertur Nicætæ nostro in his circumstantiis nequaquam certum esse, quòd sibi augmentum quoddam supra assignatum salarium debeatur.

Omnium minimè autem poterit 18 compensationem occultam facere, si imminutum salarium sit tale, ac tantum, quale, & quantum, ac non majus expeterent alii canditati, si ad officium Nicætæ hoc amoto promoverentur; item si etiam sit æquale illi, quod cæteri Domini suis in tali gradu constitutis officialibus communiter persolvere consuevêre: licèt non sit congruum, hoc est sufficiens Nicætæ ad sui & suæ familiæ sustentationem. ex dictis etenim num. 3. constat, etiam hunc contractum in memoratis circumstantiis initum nequaquam injustum esse.

§. IV.

Resolvitur ultimum quæsitum.

Ad quid obligandus Nicætas foret, si jam aliquo tempore occulta compensatione fuisset usus?

UT hoc dubium solvatur, sciendum, num bona, vel mala fide quædam animo compensandi acceperit.

19 Si bona fide: tunc accepta vel adhuc extant formaliter, aut æquivalenter apud nostrum Nicætam, vel non; ita, ut nec ex eisdem ditior evaserit, nec plus in suis bonis habeat, quàm aliàs habuisset: in hoc casu ad nihil eundem obligari posse, contendimus; non ex injusta acceptione, cum bona fide processerit: nec ex re accepta, quæ ponitur, nec formaliter, nec æquivalenter apud illum ampliùs existere.

Quòd si autem mala fide, & dubio de licentia, compensatione occulta usus fuerit; ex injusta acceptione tenebitur, licèt accepta, nec virtualiter nec formaliter ampliùs habeat: sin autem adhuc illa taliter possideat, ex utraque radice restituere ablata debebit.

Eadem restitutio facienda, si ani- 21 mo restituendi acceperit, casu, quo

quo consultis aliis prudentibus, & intelligentibus viris intellexerit, sibi nullum jus occultam compensationem faciendi competere.

CASUS II.

De valore donationis rei alienæ.

PEtrus cellæ vinariæ ad certum monasterium spectantis præfectus, licèt in abundantia haberet vinum proprium ejusdem cum priore bonitatis & qualitatis, donat Joanni dolium vini Monasterialis, occasione hujus casûs.

Q. 1. An hæc donatio fuerit valida?

Q. 2. An dominium donati vini acquisiverit donatarius?

Q. 3. Utrum in defectum Petri donantis ad satisfaciendum Monasterio obligatus sit donatarius Joannes?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum quæsitum.

Utrum donatio rei alienæ valeat?

1. *Diversitas rerum, quæ alienari possunt, ostenditur.*
2. *Ejusmodi donationis valor videtur probari posse ex valida rei alienæ donatione.*
3. *Rei alienæ, usu non consumptibilis, donatio est invalida.*
4. *Satisfit rationi oppositæ n. 2.*
5. *& aliis cuidam objectioni.*
6. *Valida est donatio rei alienæ usu consumptibilis, si donans ejusdem cum re donata bonitatis, & qualitatis bona possideat.*

§. II.

Resolvitur secundum quæsitum.

Utrum donatarius rei alienæ dominium acquisiverit?

7. *Aliqui contractus possunt esse validi sine translatione dominii.*
8. *Donatio absolutè non valida non transfert dominium.*
9. *Valida donatio rerum usu consumptibilium verum horum Dominium in donatarium transfert.*
10. *Et quidem non tantùm imperfectum aliquod.*
11. *12. 13. 14. 15. 16. Satisfit rationibus oppositæ sententiæ.*

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Num donatarius in defectum Petri donantis teneatur satisfacere domino rei alienæ?

17. *Donatarius retinens adhuc formaliter rem alienam usu non consumptibilem debet istam ante donantem restituere.*

18. *Si res non consumptibilis usu existat in æquivalenti apud donatarium malæ fidei, hic primariò ad restituendam illam obligatur.*

19. *Donatarius malæ fidei rem usu non consumptibilem destruens, hanc nec apud alium, nec apud se existentem saltem in defectum donantis debebit restituere.*

20. *Et juxta aliquos DD. probabiliter etiam primo loco.*

21. *Bonæ fidei donatarius si ex re donata & bona fide consumpta non evasit ditior, ad nihil obligari poterit.*

22. *Primariò tamen obligabitur si evaserit ditior.*

23. *Omnino à restitutione exemptus erit Donatarius si res fuerit usu consumptiblis, & donans potens ad compensandum, & ut talis prudenter habitus fuerit.*

24. *Probabilius tamen fur non transfert dominium rei furtivæ in donatarium.*

25. *26. 27. Satisfit nonnullis objectionibus.*

§. I.

Resolvitur primum quæsitum.

Utrum donatio rei alienæ sit valida?

1 REs, quas alienare possumus, sunt vel usu consumptibiles vel non: item alienans rem usu consumptibilem, vel habet alia bona ejusdem cum re alienata bonitatis & qualitatis, vel non habet: de utrisque an validè à non domino donentur, moveri potest quæstio.

2 Pro valore talis donationis facit paritas desumpta ex venditione, quæ licèt sit rei alienæ, agnoscitur tamen illa ut valida saltem in ordine ad aliquos effectus: ergo etiam talis donatio erit valida, quia omnia & singula in utroque casu intervenient.

3 Dico 1. Donatio rei alienæ usu non consumptibilis est nulla, & invalida. Ita certissima tenet sententia omnium Doctorum. Probatur. cujuslibet donationis valor consistit in translatione dominii rei donatæ: ergo sine hac translatione non erit valida Donatio: atqui in donatione rei alienæ usu non consumptibilis non transfertur dominium: ergo non erit valida donatio. Probatur antecedens. *In L. 1. & per totum ff.*

de donat. & Cod. eodem tit. donatio liberalis est propriorum bonorum alteri facta concessio: sed hæc concessio est translatio dominii: ergo &c.

Confirmatur juxta Laym. Lessium *l. 2. c. 18. dub. 2.* & alios donatio alia est imperfecta, alia perfecta: illa est verbalis tantùm, quæ fit de re absente. Ita ut dominium rei non transferatur; hinc non est propria & vera donatio, eò quòd per istam transferatur dominium in donatarium. Translatio autem dominii non fiat sine traditione: ergo essentia veræ donationis exigit translationem dominii.

Confirmatur. 2. Juxta Lessium *l. 2. cap. 18. dub. 2. num. 11.* Licèt verbalis donatio à promissione aut verbali traditione incipiens per se foret sufficiens ad transferendum dominium, quia tamen jure positivo impeditur translatio dominii absque traditione, ideo sine hac non datur perfecta donatio: ergo hæc necessariò involvit translationem dominii.

Confirmatur 3. Promissio à donatione in eo differt, quòd illa ex natura sua non habeat vim transferendi dominium, eò quòd donationem futuram respiciat, donatio verò licèt verbis duntaxat fiat, habeat hanc vim per se, eò quòd sit translatio rei de præsenti in alterum, quæ tamen uti dictum à lege sine traditione rei impeditur: ergo &c.

Probatur itaque modò antecedens subsumpti, asserens in donatione rei alienæ usu non consumptibilis non transferri dominium. Quod ipse venditor non habebat, illud non potest transferre in *emptorem. V. Legis rem alienam & Legis ex empto 11. ff. de actione. empti, etiam Lege 11. ff. de Reg. Juris habetur, quod nostrum est, sine facto nostro in alium transferri non potest.*

Ad rationem in contrarium op- 4
positam respondeo, disparitatem esse, quòd valor venditionis non includat essentialiter translationem dominii rei alteri venditæ: ergo etiam absente hac translatione poterit subsistere valor venditionis. Contrarium uti vidimus contingit in donationibus.

Ob. contra 1. conclusionem, quæ 5
dicit nullam esse donationem rei usu non consumptibilis & alienæ, hoc modo. *Toto tit. ff. pro donato.* habetur, quòd rei alienæ donatio valeat eatenus, ut transferatur conditio usucapiendi, seu potestas præscribendi illam. R. vel ponitur casus, quòd donatarius sciat rem esse alienam, & non donantis: vel nesciat: si nescit, potest quidem præscribere, quia habet titulum coloratum; ex hoc autem non sequitur, quòd donatio fuerit absolutè, & possit dici, valida, nisi omnes contractus occulto vitio laborantes velimus dicere esse validos, quia præbent titulum coloratum. Si ponas donatarium fuisse conscium, nego donationem in ordine ad præscriptionem esse validam.

Dico 2. Si res donata fuit ipso 6

usu consumptibilis, licet aliena, probabiliùs tamen validam fuisse donationem. Si depositarius habeat v. g. ejusdem bonitatis & qualitatis bona ac sunt res donatæ. Ita sentiunt *Abulensis*, *Major*. *Altisiodor*. Cajetan. Sotus 6. *de* Just. *q.* 1. *art.* 4. Bannes. & Arragon. Salon. Valent. *Disp.* 5. *q.* 21. *p.* 3. Coroll. 2. *& ad* 3. Mercado: Lopez. Navarr. Corduba, Joannes Salas *citati apud & cum* Palao *Disp.* 1. *de* Just. *p.* 13. *n.* 9. *contra* Covarruv. *Regula peccatum* 3. *part. in princ. num.* 2. Molinam. *disp.* 330. *contrarium probabiliter tenentes*. Probatur ratione: si non fuisset valida, foret potissima ratio, quia ex una parte res aliena sine voluntate veri domini non potest alienari: ex altera verò parte defuit voluntas veri domini in talem donationem ac translationem dominii neutiquam consentientis: hæc autem voluntas non defuit, si donans depositarius habuit ejusdem bonitatis & qualitatis bona, ac fuerunt res donatæ: ergo &c. Probatur minor. In hoc casu donans etiam post translatum talis rei dominium æquè potest satisfacere Creditori, & domino rei donatæ, ac si res aliena à donante non fuisset nec abdicata: ergo adest præsumpta voluntas veri domini consentientis in translationem dominii.

Probatur 2. oppositæ sententiæ patroni admittunt cum Molina & Covarruvia, usuarium, furem, depositarium posse licitè quovis contractu oneroso, vel etiam gratuito alienare res usu consumptibiles, si habeant ejusdem bonitatis cum rebus alienatis: ergo etiam validè. Probatur consequentia. Si licitè tunc ideo, quia dominus rei & creditor censentur, non esse rationabiliter inviti & consequenter consentire, eò quòd videantur esse contenti, si in tali casu ipse alienans maneat obligatus: sed hæc ratio probat etiam consensum illius in translationem dominii: ergo &c. prob. min. si in translationem dominii non consentiret, etiamsi invitus non esset circa alienationem; ex ejusmodi alienatione maximum commodum reportaret Dominus: prob. ex tali contractu acquireret dominus novum debitorem & quasi fidejussorem, alterum scilicet contrahentem, ita ut iste in defectum veri ac principalis debitoris atque alienantis deberet rem taliter alienatam solvere, & ad hanc solutionem non solùm ratione rei acceptæ, sed etiam contractûs hanc conditionem habentis imbibitam obligaretur: sed hoc videtur esse nimium ergo &c.

Confirmatur in principijs adversariorum distrahens talem rem alienam & ipso usu consumptibilem, deberet accipientem monere de onere illi imposito, scilicet tem vero domino tradendi, si forte ipse non reddiderit, licèt distrahens sufficientia bona ejusdem qualitatis ac bonitatis haberet. Ulterius etiam distrahens pro accepto pretio rem talem alienam, cum hoc pretium postea distrahit, deberet hunc secundum

cundum venditorem monere de simili onere: sed hæc non sunt usitata: ergo &c. prob. a. omnis emptor aut venditor debet moneri de gravi onere, quod ex tali contractu eidem imponitur: ergo cùm hoc sit grave onus, debebunt de hoc præfatæ personæ moneri.

Conf. 2. Si talis alienatio juxta adversarios est licita tantùm, dominus talis alienatæ rei posset istam statim vindicare à retentore, etiamsi facilè posset aliam ejusdem bonitatis & qualitatis obtinere ab eo, qui alienavit: sed hoc est contra praxin communem: ergo &c.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Utrum donatarius donatæ alienæ rei dominium acquisiverit?

7 POsse esse validum aliquem contractum, quin per hoc dominium in alterum transferatur, patet ex venditione rei alienæ, quæ valida potest esse, quin transferatur dominium ejusmodi venditæ alienæ rei. Ita pronuntiat *Lex 28. ff. de contrahenda emptione: Rem alienam distrahere quem posse nulla dubitatio est, nam emptio est, & venditio: sed res emptori aufferri potest.* Idem traditur *L. 11. §. 2. ff. de action. empti: & Le 8. Cod. si quis alteri.*

Prout igitur venditio rei alienæ valida esse potest, quin transferat dominium in emptorem: Ita pariter donatio rei alienæ videtur posse esse valida, quin rei donatæ dominium ad donatarium transeat.

Primò igitur certum est, nunquam transferri rei cujusdam dominium in alterum, si contractus donationis fuit absolutè invalidus, quia fundamentum translati dominii est ipsius donationis valor: cùm ergo rei, quæ ipso sui usu non est consumptibilis, donatio juxta probata sit invalida & nulla; per hanc nullum in donatarium rei talis dominium transiit. Quæstio itaque duntaxat supereſt de rebus usu ipso consumptibilibus.

Dico itaque: donatio valida ta- 8
lium rerum transfert verum dominium in donatarium, consequenter noster donatarius verus dominus donati sibi alieni vini evasit. Probatur. Juxta dicta est de essentia donationis veræ, ac realis, ut transferat dominium: ergo impossibile est, ut donatio rei etiam alienæ sit valida, & non transferatur dominium in donatarium.

Dices: transferri quidem aliquod 9
dominium, imperfectum tamen, ac revocabile ad nutum veri domini R. imperfectionem hujus dominii neque ex aliqua lege, neque ex natura consensûs veri domini desumi & argui, cùm hic absolutè consentiat, & ad eventum impotentiæ donanti per accidens supervenientis

tis se non reflectat: eo quod videat, illum sufficienter ex suis, bonis esse.

10 Dices 2. Ex hoc sequi, etiam translatum fuisse dominium in alterum licèt alienaris ex tali alienatione fuerit effectus impotens ad solvendum: ergo &c. R. n. quia in tali casu etiam juxta adversarios est illicita alienatio, eò quòd præsumi nequeat consensus domini in illam.

11 Dices 3. si fur, Usurarius, & depositarius dominium illarum rerum non habuerunt, non possunt hoc transferre in alium: sed: ergo &c. R. Dist. M. non possint hoc transferre in alios nomine suo, & proprio; concedo: nomine & ex præsumpto consensu domini veri negatur.

12 Dices 4. in *Lege rogasti §. ultimo ff. si certum petatur*: fugitivus, vel alius servus contra voluntatem domini credendo, hoc est mutuando, non facit accipientis.

Item *Lege: nam etsi fur. ff. eodem* licet fur nummos tibi dederit animo credendi, accipientis non facit. Denique *in Lege si & me & Titium; eodem tit.* dicitur. Si debitor pecunias meas tibi mutuò dedit, mihi esse restituendas ergo &c.

R. concessis textibus dist. cons. ergo non est valida talis alienatio, si distrahens fiat impotens ad solvendum ex tali distractione: con. cons. si maneat potens: negatur. Personæ in citatis textibus allatæ ut plurimùm & secundum communem cursum rerum fiunt impotentes ad solvendum suum debitum: ergo sicut illicitè distrahunt, ita etiam invaldè: Leges ergo tantum loquuntur de iis, quæ communiter eveniunt.

Dices 5. Nemo omittit dominium in suam rem per merum factum alterius: ergo ad quemcunque dominium talis rei transeat, semper manebit sub dominio prioris domini. R. dist. a. nisi tacitè & præsumptivè consenserit talis dominus: con. si taliter consensit nego. 13

Dices 6. quilibet possessor rei alienæ obligatur ad hanc extradendam suo domino: ergo non potest illam donare alteri. R. hoc argumento probari etiam illicitam fore talem donationem, quod tamen adversarii negant. Respondeo 2. tenetur eam domino tradere, si advertat illius traditionem alteri factam fore injuriosam vero domino con. si prudenter præsumat verum dominum consentire: ne: 14

Dices: 7. si talis res aliena alteri hujus vitii ignaro donaretur, vel donans deberet monere donatarium: aut verum dominum, vel non? si donatarium non moneat, dolosè agit inducens illum ad accipiendam rem, quam forte non acciperet: idem videtur respectu domini posse dici, quia hic conscius suam rem repeteret à donatario. R. si usu, prout ponimus, res donata consumptibilis sit, & donans sciat se esse solvendo: insuper nullum aliud damnum aut molestia domino aut donatario eveniant, nulla fore opus admonitione; ut per se patet. 15

§. III.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Num donatarius in defectum Petri donantis teneatur satisfacere domino rei donatæ?

16 Dico 1. Qui rem alienam usu non consumptibilem bona, vel mala fide, id est sciens, vel non sciens illam esse alienam, & non donantis, accipit, & acceptam adhuc formaliter possidet, ad illam restituendam erit obligatus primariò, & non tantùm in defectum donantis. Ita communis. Probatur. Res aliena semper clamat & tendit ad dominum suum. Dein qui plus habet, quàm sibi debeatur, ex lumine rationis & naturæ tenetur hoc illi reddere, qui exinde minus habet, quàm quod sibi debeatur. 3. Quilibet potest rem suam à quocumque possessore vindicare: cùm ergo ob nullitatem donationis res hæc non desierit esse sui veri domini, hic illam à donatario poterit repetere.

17 Quòd si autem res hæc usu non consumptibilis formaliter non extet apud donatarium malæ fidei, sed æquivalenter, seu quoad pretium, donatarius adhuc primariò & non solùm in defectum donantis debebit illam restituere. Ita Vasquez, Lessius *l. 2. de* Just. *cap. 13. dub. 5. num. 39.* Molina. Lugo *de* Just. *Disp. 19. sect. 4. num. 119. cum communi.* Ratio est. Quòd æquum & naturæ conveniens sit, ut sentiat damnum, qui senserat ipsum lucrum. 2. Talis donatarius & accipiendo & distrahendo aut corrumpendo, scienter rem alienam cum formali duplici injuria, damnum vero domino intulit, & ex hoc se ditiorem effecit: ergo ad hoc reparandum erit obligatus ante donatorem, qui ex sua donatione ponitur non fuisse ditior effectus.

Denique. Si talis malæ fidei donatarius rem usu non consumptibilem destruxit, ita ut neque apud ipsum, neque apud tertium formaliter, aut æquivalenter existat, donatarius ad minimum tenebitur in defectum donantis ex titulo scilicet injustæ acceptionis in donatione, & voluntariè formali damnificatione veri domini, dum rem illius mala fide destruxit.

Quin imo Vasqnez, Lessius, Molina *citati apud* Lugonem *adducto superius loco* defendunt, si is, ad quem res aliena fide mala pervenit, rem talem injustè consumpserit, illum primo loco ad restitutionem obligatum fore, eò quòd in tali casu particulariter se obligaverit ad rem hanc ante omnes alios persolvendam. Consentire etiam videtur Lugo *num. 120. citatæ sectionis quartæ.* in quantum asserit, talem consumptorem injustum primo loco non esse obligatum ad restitutionem casu 18

quo fuerit solùm causa instrumentalis destruens rem ex mandato alterius: ergo cùm donans non mandaverit donatario, ut rem hanc destrueret, ideo donatarius non erat causa solùm instrumentalis, & consequenter neque exemptus à restitutione primo loco facienda.

20 Quòd si demum ultimò ponamus, donatarium bona fide rem donatam acceptâsse, & ex illa eadem fide bona consumpta neutiquam ditiorem evasisse simpliciter erit exemptus à restitutione, quia ad hanc neque ex re accepta, neque ex injusta acceptione, prout patet consideranti, obligari poterit.

21 Major quæstio est, utrum donatarius bonæ fidei, si ex talis rei alienæ venditione evasit ditior, teneatur primo loco ante donantem ad reparandum damnum domino illatum? quòd obligetur in defectum donantis, videtur esse extra controversiam ob rationes superiùs allatas. Eundem autem etiam primo loco teneri, ex eo videtur posse evinci: quia renetur ex re accepta in æquivalenti apud eum existente. Donans autem quia ponitur non fuisse factus ditior: ex sola injusta acceptione: atqui obligatio ex titulo rei acceptæ est fortior titulô ex injusta acceptione. Ergo. Ex altera parte verò donans est malæ fidei, donatarius verò bonæ. His tamen non obstantibus videtur donatarius bonæ fidei per se ac primò esse obligatus: quia *ex Lege: nam in hoc: ff. de condict. indebiti; dicitur: naturâ æquum est, neminem alterius damno locupletiorem fieri.*

Dico 2. Si res donata fuerit usu consumptibilis, & donans potens ad satisfaciendum domino ex suis bonis extiterit; prudenter etiam præsumi potuerit, quòd sit etiam compensaturus, donatarius non obligabitur in defectum donantis, licèt res donata apud illum existat formaliter, vel æquivalenter. Ita sentiunt omnes qui tuentur in tali casu factam donationem rei immobilis transferre dominium in donatarium. Ratio est: rem donatam etiam adhuc actu existentem non tenetur restituere ex injusta acceptione, eò quòd donatio & acceptatio ex præsumptivè consentientis domini voluntate facta, vero domino neutiquam injuriosa fuerit; neque ex re accepta, quia dominium rei sibi donatæ ponitur acquisivisse; & actione reali solus alienæ, vel obligatæ rei possessor conveniri possit. Vi *§. omnium 1. Instit. de action. Lege pignor 17. ff. de pignoribus.* 22

Ex hoc ipso fundamento probatur, quòd neque res in æquivalenti existens sit restituenda: non enim donatarius fuit factus ditior ex re aliena sed ex re donata, quæ ob titulum donationis in illius dominium transiit.

Confirmatur, quia vendens bona fide vel etiam mala ignaro emptori rem alienam, evadit dominus pretii, ideo nec potest, nec solet dici rem alienam tali pretio venditam

tam apud me existere in æquivalenti, si vendens illud pretium mihi donaverit: ergo si etiam res donata evasit mea, non potest dici, quod in æquivalenti apud me existat, si ex illa distracta evasi ditior, quia ex re mea & non ex aliena sicut occasione rei alienæ factus fui ditior.

23 Dices: ponamus Petrum etiam frumento abundantem furto subtraxisse Paulo plures modios tritici, & hos postea donásse Joanni, nec fuisse ex hac donatione redditum impotentem ad solvendum ex suo: evasitne Joannes in hoc casu dominus frumenti vel non? Non potest dici, quòd evaserit; quia *Lege etsi fur: ff. si certum petatur*: definitur contrarium: sed neque potest dici, quòd non evaserit dominus, quia in nostris principiis consensisse in hanc donationem præsumitur dominus. R. probabilius in hoc casu dominium rei hujus furtivæ non fuisse translatum ob adductæ Legis dispositionem; licèt enim in dato casu fur ponatur non fieri impotens ad restitutionem, ordinariè tamen, qui furantur, non sunt talibus mediis instructi, ut ex suis bonis satisfacere creditoribus possint: ergo cùm Leges procedant secundum communem cursum, quo spectato, prout diximus, ordinariè fur non est æquè potens ad faciendam restitutionem, si rem furtivam alteri donet: ideo bene de furibus universaliter statutum fuit, ut nunquam rei furtivæ dominium transferant in donatarium, licèt in particulari rarissimo quodam casu aliquis fur esset ex suis sufficiens ad reparandum damnum: quia jura à communi & ordinario periculo, quod semper datur, ad tale statuendum permota fuerunt.

Urg. quod de fure à jure statutum, ob paritatem rationis ad quemcunque alium alienatorem est extendendum. R. n. quòd ratio pro furibus & servo fugitivo faciens etiam pro aliis pugnet: ut patet consideranti. Dein etiamsi eadem ratio pugnaret pro quibuscumque aliis alienationibus; quia tamen citata Lex de solis furibus expressè loquitur; non erit illa ab expressis extendenda ad non expressos cùm finis legis non cadat sub legem: insuper hæc lex videatur esse odiosa, & odia sint restringenda. Accedit, quòd nostra conclusio procedat de rebus usu consumptibilibus quarum reparatio ut pluimùm faciliùs fieri potest, quàm rerum suo usu non consumptibilium. Favet etiam nobis commune adagium: exceptio unius firmat regulam in contrarium.

Dices 2. *In Lege si & me & Titium: ff: si certum petatur.* Dicitur si debitor pecunias meas tibi mutuò dedit: mihi esse restituendas. In hoc loco de quocunque debitore & pecuniis quocunque ex capite, non solùm ex furto alienis dicitur, quòd datæ tertio mutuò sint restituendæ: ergo &c. Probatur. Non tantùm de rebus furtivis loquuntur. R. jam antea à nobis insi- 24

nuatum fuisse, leges procedere secundum ea, quæ ordinariè procedunt: cùm ergo ordinariè donator rei alienæ non maneat sufficiens, ut ex suis possit satisfacere domino, ideo tulerunt dictam Legem. Quòd si autem in casu quodam particulari donator adhuc maneat sufficiens, in illo non erit illi Legi locus: hoc ipsum videmus in aliis circumstantiis. Datur privilegium eximens senes 60. annorum ab obligatione jejunii, & tamen multi defendunt etiam 60. annis natum non esse deobligatum, si non habeat fractas vires.

Item lex statuit, ut sponsalia à nondum habente 7. annos inita non valeant: juxta multos tamen hæc valebunt, si nondum septem annos natus sufficientem usum rationis habeat: ergo idem in hoc casu teneri potest.

Quòd si hæc responsio non plenè satisfaciat, aliam, quæ Nobis videtur magis solida, subjungimus: ibidem, scilicet *Lege 32. §. me, & Titium. ff. de rebus creditis.* Sermonem esse de pecuniis mihi debitis, & quas meus debitor tibi, à me petente mutuum, ex meo jussu dederat mutuas: de his itaque pecuniis ita tibi mutuò datis dicitur, illas mihi à te reddendas esse condictione certi generali; vel sine causa; non mutui: ex opposito in nostro casu instituitur quæstio de alienis pecuniis, vel rebus aliis usu consumptibilibus, quas meo, & non creditoris mei nomine, alteri donaveram. Magnum autem discrimen est inter casum, quo res alteri debitas ex jussu & nomine illius, cui illæ debentur, dem mutuas; & inter casum, quo meo nomine res alienas usu consumptibiles aliis donavi.

Dices 3. contra concluſ. n. 22. 25 propositam: licèt dominus vinum alienum habens de suo æquè bonum, quo domino illius possit hîc & nunc satisfacere; possit præsumere, quòd dominus sit contentus; hæc tamen præsumptio non rarò fallit; cedítque veritati: ergo non semper transferetur dominium ejusmodi donatæ rei usu consumptibilis in donatarium. R. 1. totum hoc argumentum posse retorqueri in casu, quo religiosus ex legitimè præsumpta licentia aliquid donatum accipit, vel externo donat: potest enim etiam hæc præsumptio fallere: vel si dicas, hanc non posse fallere; eò quòd tales circumstantiæ ponantur adesse; ut omnes judicent, superiorem non posse esse rationabiliter invitum, id ipsum in nostro casu respondemus. R. 2. hanc præsumptionem, cùm sit prudens, & in talibus circumstantiis concepta, ut domins nequeat esse rationabiliter invitus, ideo illam nunquam falsam futuram; licet enim foret dominus invitus, censeretur esse talis irrationabiliter; qualis juxta omnes forem, si talerum Imperialem A dedissem Petro: invitus autem forem quòd mihi non eundem numero talerum imperialem, sed alium omnino similis bonitatis

nitatis, ac speciei, & numero tantùm à meo differentem restitueret.

26 Dices: 4. Esto, dominus consentiat in eam alienationem; gratis tamen dicitur, quòd absolutè consentiat in ejus valorem, ac sine restrictione ad regressum in donatarium, vel donantem, casu, quo donanti suum vinum totum periret, vel iste, non ampliùs solvendo esset R. ideo hæc non gratis à nobis dici, quia dominus ratione hujus donationis etiam absolutè factæ non constituitur in statu deteriore, sed potiùs in meliore: si enim ejus modi res usu consumptibilis non fuisset alienata; sed destructa casu, aut ex quodam infortunio, prout potuit absolutè fieri, ipsi periisset: nunc autem licèt apud donatarium pereat, compensare tamen hoc damnum domino debebit ex suo depositarius donans: quòd si ponas, etiam donanti suum totum vinum periisse, compensatio domino à donante facienda erit in alio quodam æquivalenti; pecuniis &c. Quòd si demus, donantem omnino, & totaliter inhabilem præter omnem intentionem ad solvendum evasisse, respondeo hunc casum esse rarissimum, & hinc æquo animo ferendum à domino rei alienatæ, quali animo eidem ferenda esset jactura suæ propriæ rei, si hæc casu quodam absque culpa depositarii destructa fuisset.

Dices quintò. Ratio naturalis 27
dictat, quemcumque teneri ad rem formaliter, vel æquivalenter exstantem suo domino restituendam, si nequeat efficaciter probare, quòd illius dominium absolutè in se translatum fecerit: sed donatarius hoc nequit efficaciter probare; prob. m. sententia opposita est æquè probabilis, quàm nostra: ergo &c. R. absolutum dominium in donatarium hac ratione translatum fuisse, sufficienter probari rationibus nostræ conclusionis: tum ex eo, quòd depositum transierit in mutuum, si depositarius illo in suum commodum utatur, aut illud alienet: consequenter talis depositarius rem talem fecerit suam, & hinc in alium absolutè transferre possit.

CASUS III.

De Donatis vicino & à Creditore postea repetitis ædibus.

COmmissarius bellicus ex certa urbe discedens ibidem ad pinsendum pro militibus panem ædificatam domum vicino suo donat. Cives de hac donatione certiores facti, eò quòd necdum

persolutum fuisset pretium pro calce, lignis, & cætera materia, quam commissario ad hoc ædificium vendiderant, sibi hanc domum ut propriam vendicant.

Q. 1. Utrùm Commissarius has ædes ex titulo oneroso in alium transferre potuerit?

Q. 2. Utrum donatarius ædes has liberaliter donatas retinere possit, si debitum ex alia causa quàm ex comparatis illarum materialibus fuerit contractum?

Q. 3. Utrùm memorati cives sibi has ædes vindicare valeant, eo quòd ad illas materialia necdum persoluta suppeditaverint?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum quæsitum.

Utrum Commissarius ex titulo oneroso has ædes in alium potuerit transferre?

1. *Non potuerunt taliter alienari, si in specie alienæ fuerunt.*
2. *Benè autem si creditores fuerunt verè personales & alienans ex alienatione non evasit impotens ad solvendum.*
3. *Immò licèt alienans fuerit impotens, modò ex tali contractu non evaserit magis impotens, nec creditoribus præjudicaverit.*
4. *Hinc contra justitiam peccabit emptor sciens ex venditione præjudicium aliquod Creditoribus eventurum.*
5. *A qua etiam injustitia probabilius non excusabitur, qui damnum creditoribus eventurum non intendit.*
6. *Si ædes creditoribus oppignoratæ, venditæ fuerint, valebit venditio, onere tamen in ementem cum ædibus translato.*

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Utrùm donatarius has ædes liberaliter donatas retinere possit, si debitum ex aliis causis, quàm ex suppeditatis ad illas materialibus fuisset contractum?

7. *Quandonam donatio in fraudem creditorum fiat?*
8. *Retineri in foro conscientiæ à donatario ædes possunt, licèt ex hoc actu*

actu evaserit donans impotens solvendo, modò ille ignarus hujus eventûs extiterit.

9. Idem tamen in foro externo ad reddendas ædes compelli poterit.

10. Et in foro conscientiæ obligatus erit, si gnarus hujus præjudicii ad donandas sibi ædes Commissarium induxerit.

11. Licèt donantem non induxerit.

12. 13. 14. 15. 16. 17. Satisfit rationibus oppositæ sententiæ.

Resolvitur tertium quæsitum.

Utrum memorati cives sibi has ædes vendicare valeant? eò quòd ad illius materialia necdum persoluta suppeditaverint?

18. Quot modis hæc venditio fieri potuerit, explicatur.

19. Potest alteri res vendi sine dominio in emptorem translato.

20. In certis circumstantiis materialium horum donatio fuit nulla.

21. Poterunt autem materialia vel pretium pro istis expetere creditores, si ipsis Hypotheca in his ædibus specialiter constituta fuerit.

22. Secùs, si nullam specialem hypothecam in ædibus his, sed generalem duntaxat in bonis creditoris habuerint.

23. Multò minus si nullam omnino hypothecam in bonis istis vel aliis creditoris habuerint.

24. 25. 26. Satisfit objectionibus

§. I.

Resolvitur primum quæsitum.

Utrum Commissarius has ædes ex titulo oneroso in alium transferre potuerit?

Cùm istæ ædes vel potuerint debitoribus jam fuisse obligatæ, vel non: item si fuerunt obligatæ, hæc obligatio potuerit vel adæquare totum valorem ædium, vel non: ideo utrum in omnibus istis casibus memoratæ ædes ex titulo oneroso in alios transferri potuerint, examinandum erit.

1 Dico 1. Si istæ ædes fuerunt in specie alienæ, seu ad creditores spectaverint, illas non potuit Commissarius sub titulo oneroso alienare, Ita communis. Ratio est, quòd tantùm res ad nos spectantes alienare possimus, non autem alienas.

Ex quo infertur talem rem, si adhuc extet, esse domino suo restituendam etiam ab eo qui bona fide illam acceperat: si autem eandem jam absumpserat, in quantum est factus ditior, reddendam esse: totum autem talis absumptæ rei valorem una cum fructibus ac interesse à malæ fidei possessore restituendum esse.

Dico 2. Si creditores fuerunt 2
merè

merè personales, insuper alienans etiam facta hac alienatione adhuc potens fuit omnibus creditoribus satisfacere, nec periculum proximum impotentiæ adfuit: has ædes licitè alienare potuit sub titulo oneroso, secùs autem non. Ratio primi membri est, quia verus fuit illarum dominus, & in nullius Creditoris præjudicium hæc alienatio fuit facta. Ratio posterioris est, quòd talis alienatio manifestè in præjudicium Creditorum fieret. Juxta tenorem Legis? *cùm inventum ff. quæ in fraudem Creditorum.*

3 Dico 3. Si ædes Creditoribus oppignoratæ, aut hypothecatæ non fuerint, licèt ipsus etiam debitor fuerit impotens ad solvendum, ab hoc tamen per contractum onerosum potuerunt ædes in alium transferri pretio justo, casu, quo talis contractus, neque ex toto, neque ex parte alienantem magis impotentem reddiderit, neque Creditoribus præjudicarit. Ratio est: alienatio ejusmodi ædium ab impotente facta ideo tantùm est illicita, quia Creditoribus præjudicat, & injuriosa est: atqui non est talis in istis circumstantiis. Probatur minor: hac ratione alienans non fit minùs potens, cùm ponatut recipere pretium ædibus æquivalens. Ita Vasquez *de restit. cap. 11. dub. 3. n. 54. & 62.* Molina *disp. 330. §. 1ma est.* Quia tamen aliquod præjudicium creditoribus eveniret, si minore, quàm debito, ac valori ædium correspondente pretio venderentur, ideo tali justo minore pretio facta venditio non liceret.

Diximus autem: *si creditoribus non præjudicet.* His enim contractus onerosus præjudicare potest, quin tamen alienantem reddat magis impotentem; in quantum in hujus utilitatem, in creditorum verò præjudicium cedit, prout contingeret, si pretium loco ædium acceptum in usus & fines varios, atque inutiles venditor expenderet: v. g. in convivia: hac enim ratione creditoribus solvendis impotens efficitur.

Dico 4. Si emptor sciens ven- 4
ditorem soluto pretio abusurum, atque ex hoc evasurum impotentem ad solvendum; hac tamen intentione, ut scilicet venditor abutens pretio fiat impotens solvendo, rem emat, emptorem peccaturum graviter contra Justitiam & teneri ad restitutionem creditoribus, quatenus isti ex eo contractu læsi fuerunt. Ita sentiunt Paludamus *in 4. Disp. 15. q. 2. a. 5. ad finem.* S. Antonin. *p. 2.* Cajeta. *in Opusc. de Usuris. q. 4.* Navarrus *cap. 17. n. 271.* Corduba *Lib. 1. qq. q. 39. p. 3.* Laym. *Lib. 3. de Just. tract. 4. cap. 17. §. 4. num. 30.* Sotus *Lib. 6. de Just. quæst. 1.* art. 4. Sylvester, Gabriel, Angelus, Molina *Disp. 230. §. prima est. & §. eo, qui mutuò.* Bonacina. *de Rest. disp. 5. quæst. 8. puncto 2. num. 33.* citans Rebellum Vasquezium: & plures alios num. 27. loci citati. Prob. qui cooperatur actioni injustæ cum damno alterius scienter, ac voluntariè

riè, atque animo alteri per hoc nocendi, peccat contra justitiam: & tenetur ad damnum alteri reparandum: atqui tali intentione emens se habet taliter. Prob. m. Cooperatur tali alienationi, quæ est injuriosa creditoribus atque damnosa, & quidem animo volente damnum creditorum: ergo

Conf. etiamsi talis emens non induxerit venditorem, & consequenter ut principium efficiens, mandans, aut consulens in hanc alienationem creditoribus damnosam non influxerit: influxit tamen emens in executionem ut causa cooperans. Ergo injuriam non tantùm affectivè, sed etiam effectivè conjunctam cum damno creditoribus intulit.

§ Dico 5. Probabilius idem tenendum, licèt emptor non positivè intenderit damnum creditorum, modo sciverit, venditorem abutendo mercis pretio impotentem ad solvendum futurum. Ita sentiunt authores citati pro conclusione priore. Prob. licèt emptio talis rei sit secundùm se indifferens; prout tamen illa fit in his circumstantijs, proximè accedit ad effectum injustum, & creditoribus damnosum: ergo isti habent jus contra emptorem, ut non emat: Confir. qui volenti dissipare in damnum creditorum id, quod istis esset solvendum, cooperatur subministrando ad illam dissipationem necessaria, censetur proximè cooperari ad ejus injustitiam, & hinc contra istam etiam peccare judicatur: ergo si etiam illa venditio in talibus circumstantijs facta proximè cooperatur damno injusto creditorum, isti cooperans emendo mercem etiam censetur damna creditorum cooperari & peccare contra justitiam.

Limitat tamen hanc obligationem restituendi, ut illa non detur, si emens habuerit gravissimam causam ejusmodi oblatam mercem emendi: rationem affert, quia hæc emptio, qua concurrit ad damnum creditorum secundum se est indifferens, atque nequaquam necessariò connexa cum damno creditorum: eo ipso enim, quòd venditori det pretium commensuratum valori comparatæ mercis, ex hac venditione per se emptor non fuit redditus impotens, sed quia illud postmodum malitiosè absumit. Quod confirmat exemplo illius, qui furi scalas applicat ad furandum; aut venenum vendit ad homicidium proximè faciendum; tales enim asserit excusatos fore à peccato, si gravissima, & proportionata causa hæc præstandi adfuerit. Dependet igitur tota hujus difficultatis resolutio ex eo, an aliqua, & quàm gravis causa excuset à peccato cooperantem proximè actioni injustæ & peccaminosæ alterius: etiamsi autem à peccato injustitiæ excusari in casu quodam

ob graviſſimam cauſam poſſit, qui non intendit damnum creditorum hac ſua emptione: à peccato tamen injuſtitiæ nequaquam immunis erit, qui damnum Creditorum poſitivè intendit, etiam ſtante cauſa graviſſima licitam per ſe faciente ejuſmodi emptionem: utrum autem ex hac ſua iniqua voluntate nocendi Creditoribus obligetur ad damnum hoc injuſtum eiſdem reparandum, ex eo dependet, utrum hac emptione, ſaltem affectivè certò injuſta, damnum aliquod etiam effectivè ut particeps injuriæ Creditoribus intulerit.

6 Dico 6. Si ædes venditæ ſpecialiter pro debito Creditoribus oppignoratæ fuerunt. Venditio tamen valida fuit, ita tamen, ut cum ædibus etiam onus hypothecarium tranſierit. Probatur. Non obſtante hac ſpeciali oppignoratione ipſe tamen debitor abſolutus dominus ſuarum ædium extitit, conſequenter illas validè alienare potuit cum onere tamen ſatisfaciendi Creditoribus in ementem translato.

§. II.

Reſolvitur ſecundum Quæſitum.

Utrum Donatarius has ædes liberaliter donatas retinere poſſit, ſi debitum ex alijs cauſis, quàm ex ſuppeditatis ad illas conſtituendas neceſſarijs materialibus fuiſſet contractum?

EX dictis in ſuperiore §. conſtat, nullam hanc donationem fuiſſe, ſi ædes in ſpecie alienæ fuiſſent. Econtrariò valida illa fuit in utroque foro, ſi præfatæ ædes nulla reali, & hypothecaria actione Creditoribus obligatæ, & debitum à Donatore non fuit contractum ob materialia ædificandæ domui impenſa; nec ipſe donans ex hoc ad ſolvendum eſt factus impotens. Ita teſte Palao tenet communis. Cùm enim donans fuerit dominus ædium, ideo potuit illarum dominium in alium transferre. Cùm igitur etiam voluerit, ideo re ipſa etiam tranſtulit.

His ſuppoſitis tanquam certis, antequam ulteriùs progrediamur, advertimus attendendum præ omnibus hic eſſe, an hæc donatio in fraudem Creditorum facta non fuerit. Habetur autem *in §. in fraudem: Inſtit. quibus manumittere non licet & L. 1. & ſeq. per totum*

totum tit. Cod. & ff. quæ in fraudem Creditor. toties in fraudem Creditorum aliqua alienata dici, quoties ex tali alienatione cognoscitur, vel saltem deberet cognosci, ipsum alienantem reddi impotentem, ad hoc ut Creditoribus suis satisfaciat eo quod & nulla alia bona eidem ampliùs suppetant, & quia spe proxima comparandi alia bona alienans careat. Hinc *Lessius lib. 2. cap. 20. dubit. 10. n. 170. cum Rebello 2. p. lib. 1. q. 7. n. 10.* affirmat, ex sua malitia non autem ex alienatione ad satisfaciendum Creditoribus impotentem redditum fuisse, qui labore ac industria suum Statum non de decentibus, satisfacere Creditoribus quidem posset, sed omittit. Ulteriùs *Molina tract. 2. de Just. disp. 328. initio & Rebellus cit. q. 7. advertunt* (quod ipsum etiam *ex §. in fraudem Instit. quibus ex causis manumittere licet:* Colligitur) ut alienatio aliqua in fraudem Creditorum censeatur facta, nequaquam requiri ut illa animo ac voluntate fraudandi Creditores fiat, cùm sufficiat, quod sciatur, vel saltem debeat sciri, debitorem hac ratione solvendo impotentem futurum: prout contingeret. Si v. g. donatarius à Creditoribus moneretur, ne donata in præjudicium sui Creditorum acciperet. Ejusmodi enim Donatarius in utroque foro externo scilicet & conscientiæ judicaretur suscepisse talem donationem in fraudem Creditorum. Juxta *Leg. ait Prætor. §. quod ait: & §. fiquis ff. quæ in fraudem Creditorum.*

Dico 1. Licèt donans ex hac alienatione fuisset redditus impotens ad satisfaciendum Creditoribus, si tamen Donatarius horum ignarus donationem acceptaverit, ab isto donatas ædes in foro conscientiæ retineri posse. Ita sentiunt *Adrian. Paludanus Joan. Medina, Coovarru. Molina tract. 2. disp. 328. con. 2. & disp. 229. circa finem. Lessius lib. 6. c. 20. dub. 19. n. 167. Rebellus 2. p. de obligat. lib. 1. q. 7. sect. 2. n. 12. Joannes de Salas, Palao de Just. commut. disp. 1. pu. 14. n. 3.* Probatur conclusio, quilibet accipit validè, quod eidem alius validè donare potest. atqui donans potuit: ergo. Probatur minor, Ponitur donans adhuc habuisse dominium ædium: ergo &c. 8

Confirmatur omnis obligatio restituendi oritur vel ex re accepta, vel ex injusta acceptione: atqui in tali casu non oritur ex re accepta, cum hæc donanti non autem Creditoribus fuerit propria, neque ex injusta acceptione, cùm accipiens ponatur fuisse inculpabiliter ignarus præjudicij Creditoribus exinde obventuri.

Dico 2. Donatarium etiam hujus præjudicij ignarum, quia sine titulo oneroso, & gratuito has ædes accepit, in foro externo ad illas Creditoribus restituendas compelli 9

pelli posse. Fundatur hæc assertio *in Lege, quod autem 6. ff. quæ in fraudem Creditor.* ibi, *Si quid in fraudem Creditorum factum sit, si tamen is, qui cepit, ignoravit, cessare videntur verba edicti; si autem titulo lucrativo habueris, teneris rem reddere, si exstet, sin minùs, quatenus ex eo ditior factus fueris, dummodo à Creditoribus intra annum, quo sciverint, rem tibi esse traditam in Judicio postulaverint.*

10 Dico 3. Si Donatarius conscius fuerit, donationem in præjudicium Creditorum futuram, donantem tamen nihilominus ad illam induxerit, eundem ad restitutionem rei donatæ Creditoribus faciendam obligatum esse, etsi hanc isti non expetiverint. Ita tenent *Molina Lessius, Joan. de Salas.* Probatur. Tali inductioni Donatarius erat efficax causa ejusmodi alienationis, quam scivit Creditoribus injuriosam fore: ergo ad hanc injuriam auferendam obligatur: atqui non potest eandem aliter auferre, nisi restituendo rem acceptam: ergo &c.

Confirmatur Gregorius IX. cap. fin. de injurijs in genere decidit: *Si culpâ tuâ damnum est datum, vel injuria irrogata, seu alijs irrogantibus obem fortè tuliſti, jure super his satisfacere te oportet.*

Confirmatur 2. Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.*

Dico 4. Licèt donans à Dona- 11
tario nequaquam inductus fuerit ad donationem, si tamen Donatarius fuerit conscius, hanc fieri in præjudicium & fraudem Creditorum, Donatarium nihilominus probabiliùs obligatum esse ad restituendum acceptum, quatenus ad satisfaciendum Creditoribus necessarium fuerit. Hanc sententiam defendunt *Cajet. tit. 2. opusc. cul. tract. 8. cap. 4. Adrian. de restit. in materia de usura q. ult. quæ incipit. hoc igitur. Cab. in 4. dist. 15. q. 11. art. 3. dub. 16. Paludanus ibidem quæ 2. art. 5. num. 27. Sotus lib. 6. de Justit. q. 1. art. 4. ad 3. Navarr. cap. 17. num. 216. Sylvest. verbo usura 8. num. 1. Covarru. 3. varia cap. 3. num. 6. Rebellus 2. p. de obligat. Just. l. 1. q. 7. num. 14. Joannes de Salas tract. de usuris cap. 42. num. 5. & alij.*

Oppositam tamen etiam vere probabilem tuentur *Molina tract. 2. de Just. disp. 328. concl. 3. & 4. Petrus Navarr. lib. 3. cap. 4. num. 218. Lessius lib. 2. cap. 20. dub. 19. num. 168.*

Probatur conclusio. Accepta rem in talibus circumstantijs commisit injustitiam adversùs Creditores: ergo tenetur hoc damnum injustè Creditoribus illatum reparare, atqui non potest reparare, nisi rem acceptam restituat, quatenus ad satisfaciendum Creditoribus est necessarium: ergo &c.

Pro-

Probatur primum antecedens, ipse donans & faciens scienter hac donatione se impotentem ad satisfaciendum Creditoribus commisit injustitiam, ponendo donationem injuriosam, & damnosam Creditoribus: ergo etiam acceptans. Probatur consequentia. Acceptans in hanc injuriosam donationem physicè ac scienter influxit: ergo si donans commisit injustitiam, etiam commiserat acceptans seu Donatarius. Probatur antecedens. Quælibet donatio ut sit valida, alterius, Donatarij scilicet, acceptatione indiget, ita ut hæc sit essentialis pars donationis: ergo Donatarius in hanc donationem physicè ac scienter influxit: ergo scienter injuriam, & damnum Creditoribus intulit, consequenter ad hoc reparandum est obligatus.

Confirmatur juxta priorem conclusionem inducens alterum ad donationem Creditoribus injuriosam, tenetur istis satisfacere, in quantum est necessarium: ergo etiam acceptans Donatarius. Probatur consequentia. Hic posterior etiam efficaciter influit in actionem Creditoribus damnosam, prout modo ostendimus: ergo si inducens tenetur, etiam tenebitur acceptans: ideo enim inducens tenetur, quia physicè influit. Quinimò acceptans influit efficacius ipso instigante. Probatur. Acceptatione complet alienationem intrinsecè tanquam parte illius constitutivâ instigans ex opposito, est causa tantùm extrinseca.

Confirmatur 2. Si agrum, quem scio Petro jam esse venditum, denuò à Paulo venditore emerem, deberem Petro tantundem restituere, quanti ipsius Petri interest, ut ille ager mihi non fuerit venditus, etiamsi talis emptio fuerit valida: ergo etiam debeo satisfacere creditoribus quantum istorum interest, ædes mihi non esse Donatas, si conscius Donantem fore impotentem ex Donatione, ego tamen rem Donatam accepi. Probatur consequentia. in utroque casu scienter alios impedio à consecutione sui debiti. 1

Dices 1. Qui mutuum ab usurario accipit, vel juramentum ab illo exigit, quem scit fore perjurum, vel carnes obligato ad jejunium subministrat etiam concurrunt ad pravam actionem alterius, quin sint hujus causa: ergo idem de nostro casu dici poterit. Respondeo distinguendo, enumeratæ personæ etiam sunt injustæ actionis causa remota tantum, indirecta & per accidens duntaxat. concedo. sunt causa per se directa ac immediata nego antecedens & distinguo consequens: ergo idem de nostro casu dici poterit, si acceptans sit causa etiam tantum remota concedo. Si sit causa per se actionis formaliter atque intrinsecè injuriosæ tertio: negatur. Commestio carnis, 12

perjurium, non sequuntur immediatè per se ac necessariò ex præfatis actionibus, prout tamen ex acceptatione Donationis sequitur immediatè atque essentialiter constituitur actio injuriosa Creditoribus.

13 Dices 2. cùm ædes alienatæ nullo modo fuerint, vel saltem ponantur non fuisse oppignoratæ Creditoribus, sed verè sub dominio donantis, potuit iste illas alienare: ergo Donatarius acceptando acquisivit illarum dominium, cùm ad hoc nequaquam inhabilis fuerit. Respondeo concesso antecedente, distinguo consequens: ergo acquisivit dominium debile atque imperfectum. concedo. Stabile, firmum, & sine obligatione reparandi damnum creditoribus voluntariè illatum. Nego Cons.

14 Dices 3. Non obligatur ex ulla injuria creditoribus illata, ut istis satisfaciat: ergo &c. probatur antecedens. Non ipsa acceptatio in se spectata damnificat Creditores, sed solum in quantum debitorem impotentem reddit ad satisfaciendum ergo &c, Probatur antecedens. Impotentia ista potius oritur ex defectu aliorum bonorum, quàm ex ipsa donatione: ergo acceptatio in se spectata non damnificat creditores. Probatur consequentia. acceptatio non est causa, ut alienanti alia bona deficiant, neque quòd istis deficientibus velit alienare, sed supposita voluntate alienandi utitur proprio jure acceptandi rem sibi donatam.

Respondeo nego antecedens utrumque cum sua probatione ponimus enim, quod alienatio alienantem reddat impotentem ad satisfaciendum creditoribus, & in probatione nostræ sententiæ ostendimus hanc alienationem formaliter atque intrinsecè constitui ex acceptatione atque compleri: ergo si alienatio est injuriosa, talis etiam erit acceptatio.

Dices 4. acceptatio jam supponit totam injustitiam 15 positam ex parte alienantis: ergo acceptans nullam injustitiam committit. Probatur antecedens. Tota injustitia consistit in voluntate donandi rem cum præjudicio Creditorum: ergo &c.

Respondeo transmisso antecedente, distinguo consequens. Non committit ullam injustitiam ut cooperans malitiæ alienantis, vel istam causans physicè concedo. Non committit, in quantum cooperatur damnificationi Creditorum concurrendo, ad procurandam impotentiam Debitoris. Nego. Qui cooperatur fugæ equi ad Petrum spectantis, non cooperatur peccato hujus equi, qui ad peccandum est incapax: cooperatur iste tamen damno ex fuga hujus equi in Petrum resultantis. Idem contingit in nostro casu.

Dico 5. Acceptans neque jure 16 naturali neque positivo obligatur ad

ad aliquid : ergo &c. Probatur primum membrum. Si jure naturali obligaretur, maneret obligatus etiam post elapsum annum contra *Legem penultimam Cod. quæ in fraudem Creditorum, & Legem sequentem item ultimam ff. eod. tit.* Probatur etiam secundum membrum. Rationes à nobis pro nostra opinione allatæ si quid probant, ostendunt obligationem naturalem. ergo &c.

Respondeo : hanc obligationem esse naturalem, & consequenter perpetuo obligare. Hinc jura civilia ad diminuendas duntaxat lites actionem rescissoriam in foro tantùm externo ad unicum duntaxat annum restringere, atque limitare voluerunt.

17 Dices 6. Acceptans utitur jure suo intra justitiæ limites in quantum accipit, & suam efficit rem in se liberam, & nulli alteri obligatam, & peccato dantis in suum commodum utitur : ergo &c. Confirmatur. Licitè accipitur mutuum sub usuris, quia accipiens utitur peccato dantis in suum commodum.

Respondeo, distinguo antecedens. Utitur jure suo, ut tamen immediatè influat, essentialem partem ponat actionis injuriosæ alijs, atque hanc ultimatò compleat. Concedo. Ita ut hæc non faciat. Nego. Dein distinguo etiam illud ultimum. Utitur peccato dantis in suum commodum, ita ut etiam immediatè in hoc influat, & illud compleat. Concedo : alio modo. Nego.

Urgebis : acceptatio supponit pravam voluntatem intendentis se impotentem facere : ergo huic non cooperatur. Respondeo, distinguo consequens, non cooperatur intentioni internæ. Concedo. Non cooperatur peccaminosæ actioni externæ, vel etiam internæ effectivè damnosæ Creditoribus. Nego. Ad confirmationem ex acceptatione mutui petitam reponimus : neque illam licitam esse, si nulla rationabilis causa petendi mutuum habeatur, eò quòd sine tali desit fundamentum atque justa causa honestans permissionem peccati, quod ipse usurarius committit. Quòd si autem justa causa adfuerit, petens mutuum, quod licitè dari posset, utitur tantùm adjuncto peccato usurarij, dando occasionem scandalo duntaxat pharisaico : in præsenti autem casu, simpliciter & absolutè non potest in istis circumstantijs ob præjudicium Creditorum ejusmodi res alienari : ergo non solùm ex intentione alienantis est mala, sed in se, ac absolutè spectata. Ergo intra unum ac alterum dabitur disparitas.

Dices 7. Ex nostra opinione sequi, Ecclesiam, pauperes, convivas, operarios, mercatores, Creditores posteriores, valde probabiliter prævidentes, fore, ut Cajus fiat impotens expungendis debitis jam contractis, peccare con- 18

contra justitiam; & ad restitutionem jure naturali obligari, si Ecclesia donarium, piam fundationem, pauperes eleemosinam, mystæ pro missis stipendium, convivæ epulas, operarij mercedem, mercatores pretium mercium, creditor posterior solutionem ante antiquiores acceptent, consequens est nimium: ergo &c. R. Vi nostræ conclusionis hanc obligationem in accipientibus dandam esse, quando isti sciunt donantem fore impotentem ad solvendum, ut neque in re, neque in spe habeat, ex quo creditoribus satisfaciat: cùm ergo istud nequaquam sequatur in omnibus allatis casibus, hinc neque adductæ sequelæ omnes à nobis admittendæ sunt. in specie autem dicimus, neque Ecclesiam, neque pauperes posse illa gratuitò accipere, ex quorum donatione prævident certò impotentem donatorem evasurum; quia opera misericordiæ ac gratuitæ pietatis postponenda sunt operibus justitiæ & alij debitis ex obligatione. Idem multò magis dicendum de convivis, nisi hi videant sumptus jam esse factos, & hinc hospitem jam impotentem effectum fuisse; vel efficiendum, licet ipsi ab illo convivio abstinuerint. 3. Quod mercatores & operarios concernit; poterunt isti accepta taliter retinere; cùm enim æquale pro accepto rependant debitori, hic neutiquam ex hoc evadit impotens. accedit, quòd subinde debitoribus ad conservationem vitæ & sui statûs liceant aliqua, quæ in præjudicium Creditorum videntur cedere, in quo casu etiam alijs licebit ad tales actus concurrere. Denique etiam Creditores posteriores, si ex nulla justa causa prælationis jus habeant, utique non possunt ante Creditores anteriores si isti jus majus, ut præferantur subsequentibus, habeant, sibi debita exposcere.

Neque dicas, hac ratione operarijs, mercatoribus semper prius considerandum esse, an non sua actione, acceptione, contractu, per se licitis sit causa influens & complens, impotentiam contrahentis: respondemus enim, raró evenire casum, ut aliquis ex quocunque etiam levis momenti contractu reddatur impotens: ergo si non antea contra alium fiat magnum in hoc puncto præjudicium, securè poterit cum illo contrahi. 16

§. III.

§. III.

Solutio tertij Quæsiti.

Utrum memorati Cives sibi has ædes vindicare valeant, eò quòd ad illas materialia necdum persoluta submi-nistraverint?

18 SUppono 1. Materialia ista non mutuò tantùm data, sed verè ipsi Commissario fuisse vendita, licèt ab isto debitum pro illis pretium necdum persolutum fuerit.

19 Suppono 2. Hanc venditionem uno ex sequentibus duobus modis celebratam fuisse; ut scilicet venditores emptori materialia dederint, interea tamen nec pretium, nec satisdationem ab hoc acceperint per fidejussores, neque cautionem per pignus, nec fidem de eo habuerint: vel concesserint quidem moram solvendi, dominium tamen sibi reservaverint usquedum solutum fuerit pretium, neque pretium pro soluto habuerint.

Secundo potuerunt materialia vendidisse, horúmque dominium in Commissarium transtulisse, ita ut pretium non statim acceperint, sed solam cautionem per fidejussores, pignora, vel sola emptoris promissione contenti ejusdem fidem secuti fuerint.

Posse autem rem alteri vendi, quin illius transferatur dominium, habetur *ex Lege procuratoris 5. §. planè: versu: sed etsi dedi ff. de tributaria actione Leg. quod vendidi 19. ff. de contrahenda emptione, §. venditæ Instit. de rerum divisione.* Ratio est, quod venditor intendat transferre dominium rei venditæ solùm sub conditione sibi concessi pretij, consequenter non transtulit dominium usquedum pretium oblatum fuerit, vel de hoc solvendo fides data, id ipsum sentiunt *Cajetan, Armilla Joan. Medina, Navarrus, Rebellus l. 2. q. 19. n. 4.* Molina *Disp. 338. 396.* Lessius *lib. 2. cap. 15. n. 7.* Palao *de Just. lib. 1. pu. 18. §. 14.*

Quodsi igitur omnia materialia Commissario à Civibus cum retentione dominij fuerint vendita, ædium istarum donatio saltem quoad materialia ab urbe submini-strata nulla videtur esse, eò quod rem non suam nemo validè alteri donare, aut alienare possit, consequenter præfati cives vindicare sua materialia potuerunt; quia tamen Commissarius aliquas impensas in fabros murarios, lignarios & vecturas fecerat, etiam 20

ratio haberi, & compensatio aliqua per cives donatario ædium facienda exigi poterit.

Hæc omnia confirmari possunt *ex Lege adeo §. cum in suo ff. de acquirendo rerum dominio, & Instit. de rerum divisione §. cum in suo* habetur, cum qui in suo solo ex aliena materia ædificat, dominum fieri ædificij, ubi autem ædificium fuerit dirutum materiæ dominum eam vindicare posse: ergo cum prælaudatus Commissarius in alieno, non autem in proprio solo hanc pistrinam ædificaverit, materialia non fecit sua, & consequenter à Civibus vindicari poterunt.

Cæterùm videtur Commissarius etiam in hoc supposito dominium horum materialium obtinuisse per specificationem; hac enim dominium haberi posse habetur *in §. 25. Instit. de rerum divisione* intelligitur autem per specificationem introductio novæ formæ in materiam, seu mutatio materiæ in aliquid aliud, ut quasi nova species produci dicatur. verùm cum ad specificationem translativam dominij requiratur ut species, quæ semel facta est, non possit reduci ad priorem materiam, ipsa verò ligna & lapides remaneant destructis ædibus, merito dubitatur, num in hoc casu ope specificationis dominium materialium à Commissario acquisitum fuerit. interea negari non poterit talem immutationem hìc intercessisse, ut in commercio humano nova res novo nomine substantiali elata fuerit producta.

Quid Si autem ponamus materialium dominium in ipsum Commissarium translatum fuisse, tunc.

Dico 1. Si vendentes cives hypothecam in ædibus ædificandis aut materialibus venditis expresè sibi reservaverint donec integrum pro illis pretium persolutum fuerit, tunc materialia, vel pro istis pretium à donatario repetere poterunt. Probatur. In hoc casu habebant vendentes Cives non solum jus personale in emptorem Commissarium, sed etiam reale in ipsis materialibus hypothecatis, consequenter ab omnibus ad quos ista pervenerint, repetere illa possunt; cùm pignus & hypotheca in hoc conveniant, quod sit res subjecta seu obligata pro debito, ut nisi impleatur inde satisfiat.

Confirmatur. Tales venditores ultra jus hypothecæ habent jus prælationis ut in re vendita præferantur omnibus alijs creditoribus anterioribus, qui generalem duntaxat hypothecam in omnibus emptoris bonis fuerint consecuti.

Probatur 2. Jus hypothecarium non potuit extingui per alienationem rei aut eorum conditio fieri deterior ex facto emptoris, *L. 1. §. 2. de separat. L. debit.*

debitorem 25. Cod. de pactis : juncta Lege 2. ff. de V. oblig.

22 Dico 2. Si venditores hypothecam in re empta specialiter non reservaverint sibi; sed generaliter duntaxat in omnibus bonis emptoris; ratione hujus generalis hypothecæ non potuerunt sibi vendicare donatas alteri ædes. Probatur. Stante tali hypotheca generali non habuerunt majus jus in has ædes & materialia, quàm habebant alij habentes etiam hypothecam generalem: atqui non obstante hypotheca generali aliorum Commissarius potuit hanc domum sicut alias res suas generali etiam hypothecæ subjectas juxta quotidianam praxin alienare: ergo &c. Probatur Major. Si haberent majus jus in has ædes tunc etiam ratione hujus generalis hypothecæ, præferrentur cæteris omnibus etiam generalibus hypothecarijs sed istis non præferuntur juxta *Neguzanum de pignor. part. 5. membro 2. n. 18. Berlich. Bassum Semuint. controv. 10. n. 6. & communem aliorum in Legem 7. Cod. qui pot.* Citata enim hæc lex nullum favorem concedit illi, qui mutuum pro prædio comparando dat, nisi hoc specialiter mutuanti sit obligatum: ergo neque dabit vendenti. Probatur consequentia, mutuum dans pro prædio studet soli debitori mutuatario prodesse, vendens autem suum lucrum ex contractu spectat: ergo si lex priori nullum favorem concedit, neque vendenti concedet. Verba Legis ita sonant: *eum cujus pecuniâ prædium comparatum probatur, quod ei pignori specialiter obligatum convenit, omnibus anteferri juris authoritate declaratur. Vide de hoc P. Friderich de venditione n. 827.*

Confirmatur juxta *Palaum de Justit. D. 5. pu. 18. §. 16.* hypotheca specialis à generali ab eo differt, quod specialis hypotheca non pereat, tametsi debitor rem hypothecatam in alium transferat possessorem; secùs autem generalis, cùm hæc debitoris bona afficiat, non prout hæc sunt in se, sed quatenus debitoris sunt: ergo si non sunt alterius debitoris, in illis nulla dabitur hypotheca.

Dico 3. Si venditores neque 23
hypothecam specialem neque generalem in venditis materialibus atque in emptorem quoad dominium translatis non habuerunt, non potuerunt in compensationem hujus sui debiti vindicare ædes alteri donatas. Probatur. Ædes non amplius fuerunt debitoris Commissarij, sed illarum dominium ab isto translatum fuerat in Donatarium: ergo non poterant creditores cives ex illis tanquam re aliena solutionem sui debiti facere.

Probatur 2. Ut aliquis rem certam ac determinatam sibi vendicare possit, debet habere vel

illius dominium, vel hypothecam in illam, vel res ex alio titulo eidem esse devincta: ergo si venditores nec hypothecam nec dominium in illas ædes habuerunt, & istæ nullo titulo ijsdem venditæ fuerunt, non possunt sibi illas vendicare.

Probatur 3. Equus uni quidem venditus, sed non traditus, si vendatur & actu tradatur secundo, ab hoc secundo non potest emptor primus equum repetere, quia tantùm habet jus personale in venditorem, & nullum reale in equum: ergo si etiam in nostro casu venditores materialium nullum jus habent in ædes Donatas non poterunt istas repetere.

Confirmatur. Si debitor alia sua quædam bona titulo oneroso in alium transtulisset, non tamen in fraudem Creditorum, non possent ista suis dominis aufferri, ut solutionem sui debiti acquirant: ergo neque hæ ædes: ex eo enim quod materialia suppeditaverint non habent ullum jus juxta dicta, cùm ponantur sibi nullum jus expresè reservâsse, neque ex dispositione Juris sibi aliquod competere probare possint.

Procedunt autem ista ex supposito, quòd in fraudem horum Creditorum alienatio non fuerit facta. Neque donatarius hujus conscius fuerit. Hinc spectatis atque expensis omnibus circumstantijs considerandum erit, num omnibus ad solvendum debitum medijs ita destitutus hic Commissarius fuerit, ut neque pro tunc in re, neque in spe proxima habuerit, unde hoc debitum expungeret, quod tamen valde difficile creditu in ejusmodi personis videtur esse. videntur itaque hi creditores ad talia tentanda ex eo potiùs permoti, quod discedens ex illa vicinia, & territorio Commissarius non sine aliqua difficultate atque incommodo conveniri posset; ut ergo hanc difficultatem & molestias effugerent solutionem ex prædictis ædibus, quam absque ullo labore statim facere poterant, accipere decreverunt at quanta cum injuria donatarij ex dictis constat, quia non licet alteri suum eripere, ut damnum, quod patior amoliar.

Ob. 1. Qui mutuum dederunt ad ædificandam aut reparandam domum, habent in ista tacitam hypothecam: ergo etiam qui materialia suppeditant. Probatur consequentia, etiam dans mutuum transfert dominium rei in mutuatarium: ergo &c. Respondeo nego consequentiam. Mutuanti tacita hypotheca à legibus constituta est non autem vendenti ratio autem hoc statuendi de uno & non de altero est, quia mutuans ex re mutuo data nullum percipit commodum cùm hoc totum quantum sit mutuatarij: vendens ex opposito suum quoque com-

commodum intendit. Æquum igitur fuit, ut leges magis prospicerent mutuanti quàm vendenti.

25 Ob. 2. Nimis durum videtur creditores privari simul merce existante apud Donatarium & simul pretio. 2. Donatarius agit de lucro cessante, vendens de damno emergente: ergo hic donatario est præferendus. Respondeo, Etsi hoc durum appareat, venditores tamen sibi imputare debent, quod fidem ementis secuti fuerint. dein possunt Commissarium convenire apud suum Judicem competentem. Ad 2. Respondeo, quod ponatur donatarius possessionem & dominium ædium donatarum jam adijsse: ergo etiam iste agit de damno. 2. nemo debet se privare lucro in gratiam alterius.

Ob. 3. Si venditor prævidis- 26
set sibi pretium ab emptore non fore persolvendum, in istum dominium ædium non transtulisset: ergo transtulit dominium sub hac conditione: si solverit: cùm igitur hæc conditio non fuerit impleta, dominium non fuit absolutè translatum.

Respondeo concesso antecedente distinguo consequens: ergo sub hac conditione transtulit, si actu talem animum habuit concedo, si habuisset tantùm, casu quo prævidisset periculum, actu autem non habuit. negatur. multi non darent Eleemosynam pauperi, si præviderent hunc illa ad malos fines abusurum, & tamen censentur absolutè dedisse.

CASUS IV.

De Usu Depositi.

SEmpronius centum Taleris in specie, quos apud se deposuerat Titius, hoc inscio utitur. Item à Cajo centum ducatos in specie mutuos accipit: quia autem valor ducatorum interea auctus, Talerorum verò diminutus erat, hinc

Q. 1. Utrum Sempronius licitè hoc depositio in suum commodum uti potuerit?

Q. 2. Utrum satisfiat Cajo mutuatori, si eidem centum ducati in valore, non autem in specie restituantur?

Q. 3. Utrum Titio deponenti restituendum sit tantum, quantum ab eo acceptum in quantitate, vel quantum in valore?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum?

Utrum Sempronius licitè hoc deposito in suum commodum uti potuerit.

1. *Definitur depositum, & in quo à commodato, & precario differat, ostenditur.*
2. *Depositi dantur variæ species.*
3. *Eique adduntur contractus alij.*
4. *Puro depositio in nostrum usum uti non possumus sine consensu deponentis.*
5. *Secus dicendum, si contractus mutui accesserit.*
6. *In aliquo casu potuit Sempronius uti hoc depositio absque gravi culpa.*
7. *In quibus circumstantijs deponentis consensus in usum depositi præsumi valeat?*

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum?

Utrum satisfiat Cajo mutuatori, si eidem 100. *ducati in valore, non autem in specie restituantur.*

8. *Varij, & diversi modi, queis contrahere inter se Cajus, & Sempronius potuerint, expenduntur.*
9. *Si non convenerint, ut centum ducati in specie iterum redderentur, excessus aucti interea valoris poterit detrahi.*
10. 11. 12. 13. *Satisfacit objectionibus.*
14. *Centum ducati in specie, ac numero nequaquam solvendi erunt, licèt conventum fuerit, ut in simili moneta mutuum redderetur, si non expresè fuerit additum, ut centum in specie ac numero solvantur.*
15. *Si tempore contracti mutui fuerat incertus valor ducatorum tempore solutionis extiturus, mutuator exigere potuit, ut sibi centum ducati in specie restituerentur.*
16. *Si tempore contractûs verosimilius sit tempore solutionis aucturum iri valorem insuper in hoc tem-*

tempus aliàs conservati fuissent aurei, ut tantùm solvatur convenire mutuator cum mutuatario potuit.

17. 18. 19. Satisfit objectionibus.

20. Idem tamen centum aurei non potuerunt exigi, si illos ad tempus aucti valoris mutuator non conservasset, & de augmento hujus valoris moraliter certus erat.

21. & 22. Satisfit objectionibus.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Utrum Titio deponenti restituendum sit tantum, quantum ab eo acceptum in quantitate, vel quantum in valore?

23. 24. 25. 26. Afferuntur rationes suadentes satisfacere, licet centum taleros in specie tantùm restituat, etsi illorum valor diminutus fuerit.

27. Contractum hunc mutui in depositum ex usu hujus pecuniæ commutatum fuisse ostenditur.

28. Quo posito defectus diminuti pretij à Sempronio supplendus.

29. Prout etiam supplendus esset, si Cajus sub hoc onere dederat, ut secundùm æstimationem tempore contractûs habitam restitueret, modo illos in suum usum convertere statuerit Sempronius, priusquam illorum valor diminueretur.

30. 31. 32. & 33. Solvuntur rationes ab initio §. propositæ.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum Sempronius licitè hoc depositio in suum commodum uti potuerit?

NOt. 1. Depositum in *L. 1. & sequentibus ff. de deposito* & §. *præterea; instit. quibus modis re contrahatur obligatio: & cap. 1. & 2. de deposito.* definiri, esse id, quod alicui in custodiam conceditur, quia autem ordinariè commodatum, & precarium in gratiam è con-

recipientis conceditur, depositum è contrario in gratiam solius concedentis, constat depositum à commodato & precario distingui.

2 Not. 2. *In Lege 1. ff. de depositis.* Depositum aliud constituitur urgente necessitate v. g. incendij, tempestatis, belli &c. aliud extra talem necessitatem. Item aliquod vocari sequestrum, & quidem voluntarium, aut necessarium. Datur autem sequestrum, quando litigantes depositarij fidem sequuntur, ut vincenti depositum extradatur: quòd si ex ultroneo consensu, & voluntate litigantium deponatur, dabitur voluntarium: necessarium verò, quod non ultroneo consensu litigantium, sed officio judicis, præstatur: eò quòd talem sequestrationem rei, de qua litigatur, natura expostulet.

3 Not. ulterius 3. Contractuj depositi subinde adjungj contractum mutuj, locationis aut conductionis. Qui deponit apud alterum rem quandam fungibilem sub hoc pacto, ut deponenti tantum ejusdem speciei & ponderis reddatur, is contractum mutui, & non depositi celebravit; eò quòd vi ejusmodi conventionis tam possessio, quàm dominium in depositarium translatum fuerit. Quod si autem ille, apud quem res quædam deponitur, mercedem accipiat, vel immediatè ex rei talis custodia, vel ex officio ad custodiendum ordinato, depositò contractus locationis adjectus fuit vi §. 1. *Inst. de locatione* & §. *ultimi Instit. de mandato.* His præmissis.

4 Dico 1. Si depositum certum talerorum fuit purum depositum, non poterat illo uti Sempronius in suum commodum, aut in alium quendam usum absque expresso, vel tacito consensu deponentis constat conclusio ex lege: *qui furtum ff. de conditione furtiva,* & *L. 3. Codice. depositi.* Probatur etiam ratione: de re aliena non possum disponere sine expresso, vel tacito consensu veri domini, aut possessoris: sed tale depositum est res aliena: ergo.

5 Dico 2. Si concessio centum talerorum potiùs contractus mutui fuerat, quàm depositi, eosdem licitè in suum usum convertere potuit Sempronius cum obligatione tamen satisfaciendi alijs pecuniis deponenti Titio. Ita communis, & ratio illius est, quòd contractu mutui in mutuatarium transferatur dominium, & quilibet dominus cum sua re disponere possit juxta suum beneplacitum.

6 Dico 3. Si Titius sempronio non prohibuerat, ne depositâ pecuniâ uteretur, insuper Sempronius moraliter certus fuerit, se posse ejusdem speciei & bonitatis monetam repetenti Titio restituere, utendo depositis pecuniis probabiliter non peccavit moraliter. Ita Molina *disp. 524. in fine.* Lessius. *lib. 2. cap. 27. dub. 2. n. 8.* Laym. *l. 3. summæ sect. 5. tract. 4. cap.*

7. cap. 25. n. 5. Probatur gravitas peccati est desummenda ex gravitate, aut levitate damni atque injuriæ, quam in tali casu Sempronius deponenti Titio intulit: at hæc non est gravis. Probatur: ponitur, quòd ejusdem bonitatis & speciei monetam repetenti Titio possit dare: sed hoc posito non est gravis injuria, vel grave damnum eidem illatum ergo &c.

Confirmatur hac ratione deponens in hoc casu Titius aliquod lucrum reportat. Probatur. Si depositum ex culpa levissima aut levi prout evenire potuit, fortassis perijsset illius interitum ipse Titius debuisset luere: modo autem tota summa ab ipso utentes Sempronio est persolvenda.

7 Tota itaque difficultas nunc illuc devolvitur, utrum tacitum Titij consensum prudenter Sempronius præsumere potuerit, expressum etenim non adfuisse, supponimus. Layman *de deposito. n. 3. cap. 25.* asserit attendendum, num pecuniam clausam, vel obsignatam in saculo quodam tradiderit? vel numeratam, non clausam, non obsignatam custodiæ Titij commiserit? in priore casu supponendum juxta Layman, & alios est, nullam licentiam ad usum depositi concessam fuisse: bene autem in posteriore *arg. legis si saculum ff. depositi.* Laymanno *tamen, uti* & Rebello *2. parte de obligat. lib. 16. q. unica de deposito n. 19. idem tenenti* in hoc contradicit Molina *dis. 523.* post *princ.* in quantum negat depositum semper constitui mutuum, quotiescunque res in numero, pondere, ac mensura consistentes, numeratæ, ponderatæ, aut mensuratæ traduntur; rationem dat quia ejusmodi numeratio, ponderatio, atque mensura fieri possunt, & ut plurimum solent, ut depositarius, & quantum sibi tradatur, & quantum sibi restituendum sit, intelligat. ergo ex his non semper colligitur, deponentem mutuare voluisse talem rem alteri, consequenter alia quædam signa hanc præsumptionem fundare debent.

Interea certum est *ex lege 1. Cod. de bis qui in publicis rationibus lib. 10. & leg. 1. & 2. Cod. de bis qui in publicis collat.* eodem libro; custodientibus depositapublica prohibitum, atque illicitum esse uti ejusmodi depositis, licèt certi sint habituros se suo tempore pecunias, quas in suum usum conversis substituant.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Utrum satisfaciat Cajo mutuatori, si eidem centum ducatos in valore non autem in specie restituat?

1 Cùm obligatio contrahentium vel maximè dependeat ex conventione, ac voluntate illorum, hinc ante omnia sciendum, quàm varijs, atque diversis modis mutuatarium mutuator obligare possit.

Sciendum itaque primò, mutuum pro contractu sumptum dici traditionem rei usu consumptibilis sub obligatione postmodum similem reddendi: cùm ergo in præsenti casu ponantur mutuo dati centum ducati, ideo modus, quo dati eidem fuêre, investigandus erit. Primo itaque illas potuit dare, quin eidem genus, & speciem pecuniæ, in qua restitutio facienda esset, determinaverit. 2. potuit cum mutuatario convenisse, ut solutio in eadem moneta, ejusdem speciei ac bonitatis, in meris scilicet ducatis fieret, non addendo tamen numerum. 3. potuit etiam exegisse, ut Sempronius mutuatarius centum ducatos in specie, & ejusdem bonitatis sibi restitueret. & hoc ultimum in varijs circumstantijs fieri potuit: vel enim determinatè, certò, aut probabiliùs scivit mutuò datorum ducatorum valorem tempore solutionis augendum; vel hoc erat dubium? & æquale periculum de augendo vel minuendo illorum valore? item vel mutuator intermissa hac mutuatione aliàs suam pecuniam in tempus solutionis & augendi pretij conservâsset, vel non? ulterius considerandum, num tempus aucti valoris pro termino solutionis sit? vel non sit constitutum? Denique si etiam habuerit animum eo usque conservandi, videndum, num hanc suam mentem explicaverit, & expressè obligaverit mutuatarium ad tantùm restituendum, vel ab hoc in contractu penitus abstraxerit.

Dico itaque 1. Si Cajus centum ducatos simpliciter mutuo dedit, non addendo, ut centum ducatos in specie & ejusdem bonitatis sibi restitueret, & interea tempore scilicet solutionis aucta sit valor ducati, hanc majorem æstimationem diminuto numero ducatorum Sempronius detrahere poterit, consequenter ad restituendos 100. ducatos in specie nequaquam obligandus erit. In exem-

mplo tempore accepti mutui quilibet ducatus habebat valorem trium florenorum cum dimidio; tempore autem solutionis valent singuli quatuor florenis; Sempronius ex summa ducatorum in specie reddenda detrahere poterit 50. florenos, & restituere tantùm debebit octoginta, & septem ducatos unà cum duobus florenis: vel si in argento solvere placuerit, satisfaciet, si reddat 350. fl. ita sentiunt Covarruvias, Mynsinger, Sylvester, Joan. Medina, Petrus Navarra: Rebellus *2. p. l. 11. q. 15. conc. ultima:* Filliuccius *tract. 35. n. 490.* Eman. Saa *verbo mutuum n. 9. contra* Fachineum *libr. 2. controv. cap. 9. q. 1.* Tiraquel. *libr. 1. de retractu § 2. Glossa 18.* Navarr. *cap. 27. n. 194.* Azor. *t. 3. lib. 7. cap. 10. q. 2. item* Molina *disp. 312.* Sot. Tolet. Lugo *disp. 25. de Just. sect. 7. n. 124.* Illsung *de Just. art. 3. de mutuo n. 439.* asserentes mutuum non debere reddi in eadem specie monetæ, sed in moneta quacunque ejusdem valoris, quo accepta fuit, sive postea creverit, sive decreverit monetæ acceptæ valor.

Prob. Con. nostra primo. Usus & consuetudo omnium fermè locorum jam obtinuerunt, si non aliud quid in pactum fuerit deductum, ut omnia debita tum ex venditione, tum ex delicto, & alio quocunque pacto contracta solvantur in quacunque legitima moneta: ergo etiam in mutuo: probatur cons. si in mutuo diversum quid fieret, ratio esset, quia istud parit obligationem solvendi in eadem specie: hæc ratio nulla est, probatur min. potissima species monetæ non desumitur ex materia, sed ex valore, formaliter pecuniam in ratione monetæ constituente, ita ut hic valor sit forma, & essentia monetæ, qua variatâ etiam variatur natura monetæ. ergo quando solvitur in moneta habente eundem cum mutuata pecunia valorem, solvitur in eadem specie ac bonitate. Probatur 2. Natura mutui solùm exigit, ut tandundem ejusdem bonitatis, & qualitatis reddatur, quantum fuit acceptum; atqui hoc in nostro casu fit: ergo &c. Probatur min. In casu posito accepit 350. florenos (tanti enim valoris tunc fuerunt 100. aurei) & tempore solutionis iterum restituit 350. florenos: ergo tantum restituit, quantum accepit. Confirmatur. Solutio sortis est commensuranda æstimationi rei mutuatæ, quam hæc habuit, tempore mutuationis: atqui 100. hi ducati tempore mutuationis habebant æstimationem 350. florenorum: ergo huic commensuranda est solutio. Probatur mai. Si hoc non fiat, tunc mutuans accipit aliquid ultra sortem mutuò datam, 50. scilicet florenos ultra 350. mutuò datos.

30 Opponunt adversarij 1. In restitutione rei mutuatæ bonitas intrinseca est consideranda, non autem extrinseca & per accidens se habens ad illam : ergo &c. Probatur A. si modium tritici accepi tempore, quo valebat 10. denarijs, & solvo tempore, quo valet 12. debeo restituere modium, & supra istum non plus aliquid, si bonitas intrinseca tritici sit æqualis tritico mutuato : ergo, &c. Probatur A. natura mutui etiam in nostris principijs exigit, ut quoad fieri potest, idem, quod acceptum est, eadem scilicet species, quoad quantitatem, & qualitatem cum ea, quæ accepta est, restituatur, & nec plus nec minus : ergo. &c. Resp. dist. ant, Est spectanda bonitas intrinseca in rebus distinctis à pecunia concedo in ipsis etiam pecunijs nego, cùm essentia & natura pecuniæ fermè nullam aliam, quam ex præscripto principis, & communi populi consensu æstimationem habeat, ideo hæc potissimum spectanda erit in mutuata pecunia.

31 Urgent. Ponamus casum, quòd non sola æstimatio extrinseca, sed etiam materia intrinseca ducatorum variata fuerit notabiliter, item quod cuprea moneta fuerit substituta, habens valorem extrinsecum maiorem supra bonitatem intrinsecam materiæ ; non poterit dici, an satisfaciam, si 350. florenos in specie ducatorum restituam, vel in moneta ærea. R. Covarr. *dicto §. unico, conclus. 3.* Anton. Fab. *de varijs pecun. debit. solut. cap. 4. n. 10.* Tiraquel. *de utroque retractu lib. 1. §. 2. Glossa 18.* Laym. *tract. 3. pag. 1. cap. 5. n. 19.* Palao *d sp. 4. de Just. puncto 1. n. 1.* ex communissima Doctorum sententia testantur, mutuatarium fore obligatum in tali casu ad reddendam eam, quam mutuo accepit, materiam vel ejus æstimationem : rationem dant, quòd reddens monetam longè deteriorem illâ, quæ accepta fuerat, licèt in æstimatione forensi æquivaleat, non reddat tantundem bonitatis, & qualitatis, quantum accepit : Probatur : mutuo accepta moneta intrinsecè melior in commutationibus, venditionibus, & cæteris contractibus pluris æstimatur, quàm materia merè cuprea aut notabiliter deteriorata : ergo &c.

Urgent 2. Si hactenus dicta 11
subsistunt, qui accepit centum ducatos in specie, licèt tempore solutionis eadem illorum æstimatio detur, non satisfaciet, nisi centum ducatos in specie restituat, etsi in argento reddat valorem 100 ducatis, in specie æquivalentem: Probatur : materia restitutionis, cùm sit argentea, est intrinsecè deterior aureis : ergo &c. Resp. hujus opinionis fuisse. Bartolum *in lege 1. §. ult. ff. de auro, & argento legato.* Antonium Butrium

&

& Panormitanum *in cap. quando de solution.* Baldum *in lege si quis argentum : Cod. de donat.* Boëtium *decis. 327.* Covarr. *de veteri numism. collat. cap. 3. §. unico.*

Contrarium tamen tuentur Fachin. *l. 2. controv. cap. 49.* Rebellus *2. part. lib. 8. q. 1. sect. 1. in fine moliua tract. 2. disp. 299. §. Jura.* Palao *pu. 1. disp. 4. n. 9. de mutuo : eò quòd vi legis 1. ff. de contrahenda emptione*, ibi : *non tam ex substantia, quam ex quantitate, & legis unicæ Cod. de argenti pretio, quod thesauris infertur :* ex asserto Imperatoris *in publicis collationibus licet pro 20. libris æreis unum auri solidum : & pro singulis argenti libris quinos æreos inferre.* Et ratio horum est, quia, quando aliter non est conventum, nobilitas acceptæ materiæ compensatur quantitate, & valore pecuniæ solutæ, cùm valor extrinsecus, & æstimatio potissimùm in pecunia consideretur.

13 Ob. 2. Si tempore, quo auctus fuit valor ducatorum mutuator Cajus unum ducatum in specie comparare sibi vellet, deberet pro illo expendere quatuor florenos, item quadringentos pro 100. ergo debent etiam eidem restitui quadringenti floreni. Resp. con. ant. neg. cons. quia minor quantitas jam adæquat summam, & æstimationem monetæ mutuò datæ.

14 Dico 2. Si concessum hoc mutuum fuerat, ut solutio in simili monera aurea fieret, quin tamen additum fuerit, ut 100. numero & in specie iterum reddantur, non erunt in nostro casu centum ducati persolvendi. Ratio est, quòd ex una parte valor, & æstimatio, quam habebant tempore mutuationis, possit reddi in moneta aurea, licèt non centum dentur : ex altera parte tota hæc adjecta conditio hoc modo impleri potest, cùm hæc verba prout jacent, nequaquam significent, voluntatem mutuantis esse, ut centum in specie ducati restituantur. Adde, quod hæc verba solùm videantur eum in finem adjecta, ut solutio non fiat in alia monetæ specie, nisi aliunde colligi possit diversa mens mutuatoris.

Dico 3. Si tempore concessi 15
mutui dubium æquale, vel æquè probabile, aut incertum fuit, an valor ducatorum tempore solutionis diminuendus, vel augendus sit, licitum erat pactum, quo mutuator mutuatarium obligavit, ut sibi centum ducatos in specie denuo restitueret. Ita Sylvester *v. usura q. 14.* Sotus *6. de Just. q. 1. a. 2. in fine :* Navarr. Toletus *l. 5. cap. 34.* Molin. *disp. 310.* Rebell. *2. p. de oblig. Just. lib. 8. q. 8. n. 1.* Lessius *lib. 2. cap. 20. dub. 17. n. 145.* Joan. Salas, Laym. *l. 3. summæ sect. 5. tract. 4. cap. 16. n. 14.* Palao *pu. 13. n. 2. loci citati.* Probatur 1. *ex lege vinum ff. de rebus creditis, & ex cap. in civitate : & cap. Naviganti in 2.*

casu de usuris. Probatur 1. Ex eo, quòd in hoc casu nulla inæqualitas inter utrumque contrahentem deprehendatur.

16 Dico 4. Si verosimilius sit, augendum fore tempore solutionis pretium, & mutuator etiam præscindendo ab hac mutuatione conservare hos centum ducatos in illud tempus constituerit, exigere poterit, ut tempore solutionis 100. ducati in auro vel in moneta alia, æquante valorem illius temporis restituat. Ita tenent Navarr. Petrus Navarra *3. de restit. 2. p. cap. 2. dub. 5.* Molin. Lessius, Rebell. Salas. Probatur, mutuator non tenetur ratione hujus mutui dati, & exhibiti mutuatario favoris, aliquod damnum in suis rebus pati: sed pateretur: ergo &c.

17 Dices: vel talis mutuator, ad hæc ut possit centum ducatos in specie exigere tempore aucti valoris, tenetur hanc circumstantiam mutuatario insinuare? vel non? si tenetur insinuare, consequenter, si hoc omiserit, non poterit illud exigere. Quòd autem insinuanda sit hæc circumstantia, ex eo videtur constare, quòd aliàs ipsi mutuatario obligatio ad solvendum excessum sit involuntaria, cùm hoc pactum non iniret, si sciret valorem tempore solutionis auctum iri. Resp. probabiliùs non dari obligationem insinuandi hanc circumstantiam explicitè; cùm abundè insinuetur implicitè, & sub conditione, si sciret augendus esset valor, eo ipso, quòd petat, ut sibi centum ducati in specie restituantur.

Dices: hæc implicita, & sub conditione facta insinuatio non tollit involuntarium in ipso mutuatario: ergo &c. Probatur: ant. adhuc in illo datur ignorantia augendi valoris. Resp. hanc ignorantiam esse solùm secundum quid, neque obesse valori contractûs: non versatur circa substantiam contractûs, eò quòd moraliter loquendo, & in communi existimatione illud periculum solvendi plus ignoretur, consequenter onus reddendi tot numero ducatos communiter non æstimatur magnus, quàm mutuatarius apprehendat: ergo cùm pecunia adhuc suum valorem retineat, non datur ignorantia circa substantiam contractûs.

Confirmatur: si etiam mutuator ignorâsset augendum esse valorem ducatorum, ignorantia mutuatarij nequaquam vitiâsset valorem hujus contractûs: ergo neque vitiat, licèt mutuator fuerit conscius, quia hujus scientia nihil immutat ex parte mutuatarij, nec onus ex parte mutuatarij ob hoc erit majus, & mutuatarius etiam nollet ita accipere mutuum, ei sciviſſet mutuantem ignorare, augendam brevi æstimationem monetæ, ipsi tamen hoc intimatum fuisset ab alio.

Confirmatur 2. Si mutuans sciat, brevi minuendum esse valorem

lorem pecuniæ mutuò datæ, licèt hoc non insinuet mutuatario, & hic si id sciret, non mutuâsset, poterit ille tamen obligare mutuatarium, ut valorem, quem tempore dati mutui habeat, restituat, nec ignorantia mutuatarij hujus valoris obstat: ergo neque obstabit, si augendus valor sciatur à mutuante, & ignoretur à mutuatario.

19 Dices: saltem, mutuator est causa hujus ignorantiæ. Resp. neg. non enim iste illam infert, sed tantum aufert.

20 Dices 5. Si mutuator hos centum ducatos conservare usque ad tempus solutionis destinatum non decrevisset, & mutuatario etiam liberum reliquisset, ut ante tempus augendi valoris solveret, non potuit probabiliùs exigi idem ducatorum numerus, is moraliter certum fuit, valorem monetæ augendum esse. Ita sentiunt Molina *disp 311. & 312.* Lessius *l. 2. cap. 20. dub. 17. n. 149.* Rebellus *2. p. de oblig. Just. l. 8. q 8. n. 5.* Laym. *l. 3. summæ sect. 5. tract. 4. cap. 16. n. 14. & 15.* Salas, Palao *n. 4. loci cit. contra* Sylvestrum, Sotum, Navarrum, Toletum *l. 5. c. 14. n. 3.* Solon, Graffis, Garciam, Lopez. probatur concl. si petatur, ut idem numerus ducatorum in valore auctus reddatur, petitur quid amplius, quàm quod fuerat traditum: atqui petere quid amplius in mutuo est usura, & illicitum: ergo &c. Prob. maj. Substantia omnis pecuniæ præcipuè in æstimatione, & valore, proveniente à lege consistit: ergo si iste ex hac fuit auctus, & tantùm petatur, petitur amplius, quàm quod fuerat mutuò datum.

Confirm. Si mutuator sciret, tempore solutionis diminuendum fore valorem ducatorum; cùm non deberet in gratiam mutuatarij jacturam pati, posset exigere, ut tantundem in valore reddatur, quantum datum erat mutuum: ergo è contrario, quando scit, auctum valorem, duntaxat tantùm exigere poterit, quantum dedit. Prob. conf. Si hoc non observaretur, & mutuatario præjudicaretur, & plus, quàm expensum fuisset, acciperet mutuator.

Dices: si mutuatario liberum 21
relinquitur, ut mutuum restituat ante tempus augendi valoris, tunc mutuatori est dubium, an sit solutio facienda ante vel post auctum valorem pecuniæ: & ipse mutuatarius sibi debet adscribere, quòd ante illud non persolverit. Ergo poterit tale quid exigi. Resp. neg. conf. ratio est, quòd libertas solvendi ante valorem auctum non impediat, quin aliquid accipiatur ultra sortem, & consequenter committatur usura, qualis committeretur, si mutuatarius ad solvendum certo tempore mutuum obligaretur sub onere solvendi aliquid ultra sortem, si tem-

pore tali constituto solutionem facere omiserit.

22 Dices 2. Qui scit valorem pecuniæ minuendum esse, & mutuum concedit sub conditione, ut illi eadem quantitas pecuniæ reddatur, nullam committit usuram: ergo neque prior. Resp. nego. conseq; disparitas est, quòd pro tempore dati mutui pecunia adhuc retinuerit illum suum valorem: ergo si tantundem expetit, non expetit aliquid ultra datum.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Utrum Titio Deponenti restituendum sit tantum, quantum ab eo acceptum in quantitate, vel tantum, quantum acceptum fuit in valore?

23 POsuimus in casu valorem centum talerorum, quos apud Sempronium deposuerat Titius; interea diminutum fuisse, insuper Sempronium in suum usum convertisse 100 taleros, quando illorum valor adhuc erat integer: in tali supposito, quòd satisfaciat Sempronius, si centum taleros similes in specie restituat non obstante diminuto illorum valore, inde videtur constare.

Primo *in Lege in Navem ff. locati versu respondit, hæc habentur: idem Juris esse in depositio: nam si quis pecuniam numeratam ita deposuisset, ut neque clausam, neque obsignatam traderet, sed adnumeraret, nihil aliud eum debere, apud quem depositia esset, nisi tantundem pecuniæ solvere*, sed si restituit, centum taleros, tantundem pecuniæ solvit: ergo non tenetur plures, quam istos centum in specie restituere.

2. Omne depositum manet 24
sub dominio possidentis: & quælibet res perit domino suo: ergo iacturam ex diminutione pretij ferre debebit deponens Titius.

3. Si Sempronius non usus 25
fuisset illis taleris depositis, utique satisfeciisset, si illos in specie, & numero centum taleros reddidisset: ergo modo satisfacit, si omnino similes reddat, qui in æstimatione morali habentur pro ijsdem numero.

4. Juxta legem: *sed mihi videtur*, §. *si reddita. ff. comodati.* & *lege. 1. §. si res deposita. ff. depositi.* depositarius tenetur depositam rem restituere talem, qualem

lem recepit, hoc est, non tractam, non diminutam non detritam, corruptamve, neque aliquo modo deteriorem factam, sed hoc fit, modo restituantur ejusdem bonitatis centum taleri in specie.

Hæ sunt rationes faventes Sempronio: ut autem, quid sentiendum sit, gradatim ostendamus.

27 Dico. 1. Si Sempronius his centum taleris sive ex consensu expresso, sive præsumpto, sive invito positivè deponente Titio usus fuerit, contractum depositi transijsse in mutuum, ita, ut ex illo tempore centum depositi taleri non ampliùs rationem depositi, sed veri mutui habuerint ita Lessius *lib. 2 de justitia cap. 27.* Lugo. *de justitia disp. 33. sect. 1. n. 3.* Azor. *l. 10. cap. 7. cum communi aliorum.* probatur ulterius *ex lege certi condictio §. ultimo ff. de rebus creditis ibi depositi apud te decem, postea permisi ea tibi uti:* Nerva, Proculus: *etiam antequam moveantur, condicere quasi mutua, tibi hæc posse, ajunt, & est verum ut & Marcello videtur: animo enim cœpit possidere: ergo transijt periculum ad eum, qui mutuam rogavit, & poterit ejdem condicj.*

Dein colligitur *ex lege: in navem ff. locati.* pecuniam depositam, quia ipso usu consumitur, & perit, videri transire in dominium depositarij utentis.

Ratio esse potest; depositarius eo animo, ac intentione utitur tali pecunia, quæ annumeratur rebus usu consumptibilibus, ut deponens postea certior factus non censeatur esse rationabiliter invitus: sed solùm tunc dominus non est rationabiliter invitus, quando depositarius pecunias ut mutuas accipit, & in suos usus ita convertit: ergo in tali casu depositum transit in mutuum.

Dico 2. Supposito, quòd de- 28
positum in verum & purum mutuum transierit, defectum diminuti pretij à Sempronio supplendum esse. Ita Sentiunt omnes illi authores, qui aucto valore monetæ mutuò datæ defendunt ex quantitate accepta posse tot ducatos subtrahi, quot detractis prodeat valor acceptæ mutuò pecuniæ.

Probatur. Si nihil addatur, sed præcisè restituantur centum taleri, tunc redditum non est æquale, ac ejusdem bonitatis cum accepto: hoc enim, cùm acceptum fuisset, æquivalebat v. g. 200. florenis, casu quo singuli taleri distrahebantur duobus florenis: tempote autem restitutionis adæquant 100. taleri duntaxat 150. florenos ergo &c.

Confirmat hoc ipsum sentiens *Lugo disp. 25. sect. 7. n. 124.* hoc modo: valor horum talerorum non perit deponenti, aut mutuanti sed mutuatario: quia per usum taleri evaserunt proprij ip-

sius mutuatarij, ita ut verus illorum evaserit dominus: quælibet autem res perit domino suo.

Probatur 2. Quælibet restitutio mutui debet juxta dicta fieri quantum potest in eadem specie, bonitate, & quantitate, hoc autem non fieret, quia 100. taleri diminuto illorum valore extrinseco in æstimatione morali non sunt ejusdem bonitatis: ergo mutuatarius haberet lucrum cum damno mutuantis.

3. Licet defectus diminuti valoris compensetur, ex hoc tamen mutuans Titius non acquirit plus, quàm quod dederat, datum enim ponitur habuisse valorem ducentorum florenorum: si autem cujuslibet taleri valor extrinsecus diminutus fuit dimidio floreno licet 100. taleris in specie addantur 50. adhuc floreni, non plus accipiet mutuator Titius, quàm Sempronio concesserat.

Dico 3. Licet Titius mutuator
29 sciviſſet, valorem talerorum diminuendum esse eundem tamen potuisse illos Sempronio mutuos dare sub hoc onere, ut sibi restituat secundùm æstimationem, quam habebant, cùm dedit, modo Sempronius eosdem antequam diminueretur valor, in suos usus impendere voluerit. Ita Azor *p. 3. lib. 10. cap. 7.* Probatur in hoc casu mutuator Titius nullum lucrum acquirit, cùm pecuniam det secundum æstimationem, quam tunc habent, & solum damnum devitet

Confirmatur, licèt metuam, ne centum taleri apud me pereant, nihilominus possum illos alteri mutuò dare, apud quem nullum jacturæ periculum apparet: item rem apud me perituram possum vendere, licet videam illam apud alium haud perituram esse.

Neque obsunt hactenus dictis 30
propositæ superius rationes. nam ad legem *in Navem 31. ff. locati* respondeo, in tali casu nequaquam tandundem pecuniæ solvendum, quantum receptum fuit, si centum solum taleri solverentur: eo quòd ob diminutum illorum valorem extrinsecum non censeantur esse eædem cum mutuo datis pecuniæ.

Ad 2. Dico licet omne depo- 31
situm quamdiu manet tale, maneat sub dominio deponentis: centum tamen taleri in mutuum transiêre, ex quo illos in suum usum absumpserat Sempronius.

Ad 3. Dico: si Sempronius 32
ijsdem taleris non fuisset usus, mansissent ut depositum sub dominio deponentis: ex usu autem facti sunt Sempronij.

Quarta etiam soluta manet, 33
si dicamus, centum taleros tempore diminutj pretij non amplius in æstimatione morali censeri esse ejusdem bonitatis qualis fuêre tempore concessi, & absumpti depositi.

CASUS

CASUS V.

De Commodato.

JAcobus volens invisere suum amicum Norbertum aliquot horis distantem, accipit in hunc finem cujusdam alterius equum commodato; contigit autem, ut equus eodem die domum redux inceperit ægrotare, ac non obstantibus medicamentis, quæ fuerunt adhibita, omnino altero statim die perierit.

Q. 1. In quibus circumstantijs sumptus in curationem equi facti à nostro Jacobo sint persolvendi?

Q. 2. Ex qua culpa ad istos teneatur, si eidem equus in gratiam solius commodantis, aut in hujus & ipsius commodatarij gratiam fuerit concessus?

Q. 3. Ex qua culpa teneatur, si in solius Jacobi gratiam equi usus huic concessus fuert?

Q. 4. Quid præstare debeat Jacobus in dubio, utrum suâ culpâ equus perierit, vel deterioratus fuerit?

SYNOPSIS.

1. *Natura commodati explicatur.*
2. *Uti & materia illius.*
3. *Commodati à cæteris contractibus differentia.*

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An medicamenta in curationem equi adhibita teneatur commodatarius Jacobus solvere?

4. *Expensæ tantùm minores in rem commodatam à commodatario faciendæ.*
5. *Commodatarius per se non tenetur ad curationem equi.*
6. *Nisi culpæ in usu equi reus sit,*

7. Excusatur etiam in casu fortuito.
8. Nisi iste culpam Jacobi subsecutus.
9. Aut à Jacobo in se susceptus fuerit.
10. Vel culpabilis mora in restitutione intervenerit.
11. Secùs si mora fuerit inculpabilis, aut res eodem modo apud dominum perisset.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Ex qua culpa ad solvendos sumptus in curationem equi factos teneatur Jacobus, si in solius commodantis, vel in utriusque commodum equi usus concessus fuerit?

12. Commodari equus potuit in solius commodantis gratiam: vel in solius Jacobi, aut utriusque.
13. In primo supposito tenetur de solo dolo, & culpa theologica gravi.
14. Non autem ex levi aut levissima.
15. Ad majorem tamen diligentiam tenebitur commodatarius, si in ipsius, & commodantis gratiam equus concessus fuerit.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Ex qua culpa teneatur Jacobus, si in ipsius solius gratiam equi usus concessus fuerit?

16. Tenetur ad illam, ad quam communiter commodatarij in tali casu se obligant.
17. Ad quam præstandam commodatarium leges obligent.
18. Non tamen ante sententiam Judicis extra culpam Theologicam.
19. Quædam leges minorem, quam exactissimam curam exigunt.
20. Non obstantibus adversariorum responsis.
21. Satisfit contrario nobis cap. unico de commodato.

22. Ubi

22. *Uti & legi*, in rebus ff. commodati : ac legi : obligationes 1. §. ille quidem ff. de oblig. & action.
23. *Leges istæ obligant prout in usu vigent.*
24. *Culpa levis in certo sensu est etiam culpa lata.*
25. *Qualiter jura in hoc attendant bonum commune.*
26. *Commodatarius se obligat juxta leges, prout istæ in usu sunt.*

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

An Commodatarius Jacobus teneatur aliquid solvere, si dubuet, an sua culpa equus perierit, vel deterioratus fuerit?

27. *Varium potuit esse Jacobi nostri dubium.*
28. *Certus, quod actio vel omissio de se, dubius autem, num actu fuerint noxiæ, tenebitur.*
29. *De ipsa actione, vel omissione damnosa dubium positivum, vel negativum haberi potest.*
30. *Negativè dubius de negligentia, vel actione damnosa non tenetur.*
31. *Idem tenendum de positivè dubio.*
32. *Pro diversis circumstantijs est absolvendus, aut obligandus.*

1 COmmodatum accipi solet tum pro ipso actuali contractú, quo alicui res quædam ad usum traditur, vel pro re ad usum alteri concessa. Prout est ipsa actualis conventio definitur illa à Laym. *lib. 3. de Just. tract. 4. cap. 14.* quòd sit *rei alicujus ad solum usum gratuita ad nutum tamen non revocabilis concessio*, quòd si nomine commodati effectum illius, hoc est, obligationem, quæ ex tali conventione resultat, consideremus, ex parte commodantis nascitur obligatio concedendi, & permittendi ad tempus, & finem præfixum rem alteri ex tali conventione concessam, commodatarius ex oppositio, cui scilicet rei usus gratuitus conceditur, jus & facultatem obtinet, utendi re ad finem sibi à commodante permissum.

2 Ex definitione commodati colligimus, materiam hujus contractûs esse non solas res immobiles, sed etiam mobiles; cùm universalis iste terminus *alicujus rei*, quam-

quamlibet tam mobilem, quàm immobilem includat. Cùm autem res quædam, ut pecunia, vinum, usu ipso absumantur; vi autem hujus contractûs ad solum usum res concedantur, optimè authores concludunt, res usu ipso consumptibiles non fore materiam hujus contractûs, nisi ad pompam & ostentationem alteri concedantur, ut habetur *L. 3. §. ult. ff. commodati.*

3 Dein, cùm commodatum ad solum usum concedatur, inferimus, illud differre à pignore, atque depositio; quia horum usus pignoratorio, ac depositario est prohibitus. Præterea cùm res mutuò data in dominium mutuatarij transeat, nec necessariò eadem res, sed etiam alia similis secundùm genus, & qualitatem restituenda veniat; concluditur mutuum à commodato distinctum esse; cùm in isto solus, uti diximus, usus rei concessus, & hinc eadem numero res commodanti, & quidem per nullam culpam commodatarij deterior effecta, reddenda sit. Licèt autem cum locatione commodatum maximè conveniat, hoc tamen ab illa distinguunt, illæ in definitione commodati adjectæ particulæ: *gratuita concessio*; in locatione enim non gratis elocatæ rei usus conceditur, sed pro mercede in pecunia numerata, juxta *legem: naturalis §. at cùm do: junctâ Gloss. verbo: si res ff. de præscript. verbis:* ex oppositio gratuitam concessionem locationi essentialem esse, demonstrat *§. item q. 5. instit. quibus rebus re contrahatur obligatio*, ibi: *Commodata res tunc propriè intelligitur, si nulla mercede accepta, vel constituta, utenda data est: alioquin mercede interveniente locatus usus rei videtur: gratuitum enim commodatum esse debet.* Denique particulæ illæ *ad nutum non revocabilis:* distinguunt commodatum à precario, *quod precibus petenti utendum conceditur, quamdiu is, qui concedit, non revocaverit. leg. 1. ff. de precario: & c. ult. de precarijs.*

§. 1.

Resolvitur primum Quæsitum.

In quibus circumstantijs sumptus in curationem equi facti, à nostro Jacobo sint persolvendi?

Expensæ in rem ad solius commodatarij commodum & gratiam commodatæ, vel sunt ordinariæ, modicæ ac leves; aut extraordinariæ, graves atque magnæ: primi generis sumptibus adscri-

ſcribuntur cibaria, victus, hoſpitium. Secundo expenſis iſtis faciendis, vel ipſe commodatarius culpâ ſuâ cauſam, & occaſionem præbuit, vel absque illius culpa faciendæ fuerunt. Communiter tenent Authores, expenſas circa rem ad ſolius commodatarij commoditatem factas, ſi fuerint ordinariæ, modicæ, atque leves ab ipſo commodatario perferendas eſſe: ita Lugo *de Juſt. diſp. 33. ſect. 2. n. 14.* Leſſius, Taberna, de la Croyx. non enim videtur rationi, ac æquitati conforme, ut commodans ordinarias expenſas in uſu ſuæ rei factas perferat, ſi illius commodum in contractu, & conceſſo uſu non fuerat quæſitum. Ad extraordinarios tamen ſumptus, in rem commodatam faciendos, commodatarius â nemine obligatus agnoſcitur, niſi iſte ſua culpâ cauſam ejsdem præbuerit.

5 Dico itaque primo, ſi Jacobus in uſu commodati ſibi equi, nullam culpabilem cauſam morbo, in cujus curationem poſtea expenſæ factæ fuerunt, præbuerat, ad refundendas iſtas condemnari non poterit. Ita communis doctorum. Prob. expenſæ in curationem morbi factæ annumerantur expenſis extraordinarijs: ſed ad extraordinarias absque ſua culpa factas juxta dicta non obligatur commodatarius: ergo ad ſumptus in curationem ægrotantis equi factos absque ſua culpa commodatarius Jacobus non eſt obligatus.

Dico ſecundò: ſi Jaobus in 6
uſu equi illam commiſerat culpam, ob quam commodatarius â legibus etiam in conſcientia obligatur ad rem deterioratam compenſandam ad ſumptus in equi curationem factos erit obſtrictus. Prob. conclus. quilibet commodatarius obligatur, ne utendo re ſibi commodata, hæc damnum aliquod patiatur, & beneficium, commodantis favore obtentum, in hujus detrimentum cedat ergo &c. Prob. 2. Juxta *legem, ſed mihi 3. §. ſi reddita 1. lege. in rebus 18. §. ſive autem 1. ff. de commodato.* res commodata propriè & bona fide non videtur reddi, ſi deterior, & non integra, prout à commodante fuerat accepta, reddita fuerit. Nam *lege ſed mihi 3. §. ſi reddita 1. ff. de commodato* habetur ſi *reddita quidem ſit res commodata, ſed deterior reddita, non videbitur reddita, quæ deterior facta redditur; niſi quod intereſt, præſtetur. Propriè enim dicitur res non reddita quæ deterior redditur*: ergo deteriorationem ſua culpâ factam tenetur compenſare commodatarius, ſolvendo expenſas in curationem equi â ſe deterioratı, factas.

Dico tertiò: ſi absque com- 7
modatarij culpâ caſu fortuito equus deterioratus fuerit, aut poſtmodum perierit, ejusmodi

for-

fortuitum casum præstare commodatarius non tenebitur saltem ex jure communi, atque regulariter: ita tradunt Azor. *part. 3. lib. 7. de commodato c. 7. q. 2. Harprecht. ad §. item is 2. Instit. quibus modis re contrahatur obligatio n. 33.* Haunold. *tom. 4. de Jur. & Just. tract. 10. n. 728.* Engel., König, Schmalzgrueber, Prob. conc. ex *lege pignus 9. Cod. depignorat. action. ibi pignus in bonis debitoris permanere, ideoque ipsi perire, in dubium non venit.* Idem habetur *in lege in Rebus ff. commodati.* & *lege 1. Cod. de commodato. item lege 1. §. is vero: ff. de obl. & act.*: ergo commodatarius jure communi, atque regulariter non obligatur ad hunc casum præstandum. Item ex *lege contractus 23. fin. ff. de Reg. Juris. ibi animalium casus, mortes, quæque sine culpa accidunt â nullo præstantur.* Prob. etiam eadem concl. ex *cap. unico de commodato lege. si ut certo 5. §. quod verò 4. eodem.* Prob. etiam ratione. juxta legem: *quæ fortuitis 6. Cod. de pignorat. action.* æquitas non patitur, ut regulariter â contrahentibus præstentur casus, quorum vis major est, quàm ut ab aliquo prævideatur.

8 Diximus autem in conclusione, *regulariter*, & vi *juris communis* casum fortuitum â commodatario præstandum non esse; ut insinuaremus, eum non fore excusatum, si culpa, ex qua infelix casus secutus est, præcesserat. ita *lege si ut certò 5. §. sed interdum 7. ff. commodati.*

Idem tenendum erit, si commodatarius & commodans ab initio ita convenerint, ut periculum hujus certi, & determinati, vel etiam cujuscunque alterius infortunij ab initio in se commodatarius susceperit, vi *legis, si ut certò cit. §. nunc videndum 2. lege contractus 23. ff. de Reg. Juris* ratio est, quòd contractus ex conventione legem accipiant, juxta legem: *depositum 1. §. si convenit 6. ff. depositi.* 9

Tertiò eandem obligationem subit commodatarius noster Jacobus, si post confectum iter in mora culpabili fuerit restituendi suum equum commodanti; quia mora sua cuilibet est nociva; & qui est causa damni, damnum dedisse censetur, hinc reparare debet: atqui causa damni censetur esse, qui est causa culpabilis moræ, ex qua veluti ex causa secuti fuerunt morbus, deterioratio, vel ipsius equi interitus. 10

Erit tamen ad casum fortuitum præstandum, etsi iste ob moram in restituendo commodato fuerit subsecutus, commodatarius nequaquam obligatus, si iste habuerit justam causam differendi rei commodatæ restitutionem. 11

2. Si res commodata etiam restituta, eodem modo, v. g. incendio, apud suum dominum destructa, vel deteriorata fuisset,

§. III.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Ex qua culpa ad solvendas expensas obligetur commodatarius Jacobus, si eidem equus in gratiam solius commodantis; aut in hujus & ipsius commodatarij gratiam fuerit concessus?

12 Priusquam huic quæsito satisfaciamus; advertimus, equum potuisse Jacobo commodatum fuisse vel in ipsius solius gratiam: vel in gratiam commodantis, aut denique in gratiam utriusque tam commodantis, quam commodatarij.

13 Dico 1. Si Jacobo in gratiam solius commodantis equus commodatus fuisset, ad reparandas expensas tenebitur de dolo, & culpa Theologica gravi. Obligationem ex dolo commisso resultare, docent *lex contractûs ff. de reg. juris.* & *lex: si sine ff. depositi* juncta *Glossâ Acursij*: & *Instit. quibus modis re contrahatur obligatio. §. præterea & is.* Idem etiam ex ratione probatur: quicunque dolo rem commodatam deteriorat, vel omnino destruit, injuriam junctam cum damno commodanti voluntariè infert: sed qui injuriam conjunctam cum damno infert alteri, ad compensandum hoc est jure merito obligatus: ergo &c. ex non absimili ratione probatur, equum ex-theologica culpa crassa, seu mortali Jacobi commodatarij destructum, vel deterioratum ab eodem compensandum esse.

14 Dico 2. Quod ex culpa quadam minore, levi scilicet, aut levissima illatum equo damnum compensari saltem in conscientia non debeat, si iste in bonum solius commodantis Jacobo concessus fuerit, patet ex textibus supra citatis: nam *Instit. quibus modis contrahatur obligatio, §. præterea & is* dicitur *depositarium* (qui gratis rem depositam custodit) *teneri solùm ex dolo*: ubi sub nomine doli etiam culpa lata continetur. juxta Glossam. ratione conclusionem ita probo. Ad conservationem rei alienæ mihi concessæ in gratiam solius commodantis non teneor majorem diligentiam adhibere, quàm communiter adhiberi solitam in conservandis rebus proprijs: ergo si ego vi eorum, quæ communiter fieri solent, non teneor in proprijs conservandis ad diligentiam exclusivam culpæ levis, aut levissi-

vissimæ, nec hanc teneor adhibere in custodiendis rebus alienis, in bonum solius commodantis concessis: ergo ex culpa levi & levissima nemo in talibus casibus tenetur. ant. Prob. videtur æquitati vel maximè contraria obligatio ad majorem diligentiam adhibendam ad custodiendas ejusmodi res alienas, quàm ad proprias: ergo non tenetur in tali casu ex culpa levi.

Confir. in tali casu Jacobus â dante non accepit aliquod beneficium, sed potiùs huic aliquod præstitit? ergo sufficit, si sola culpa lata præstetur. Prob. conf. si ipse Jacobus accepisset beneficium, eò quod ipsi equus in illius solius gratiam concessus fuisset; teneretur juxta multos ex culpa levissima: ergo ex hac non tenebitur in præsentibus circumstantijs. Prob. conf. major, vel minor diligentia est adhibenda pro magnitudine, vel parvitate beneficij accepti: ergo si commodatarius nullum beneficium accepit, sed potiùs exhibuit, non potest teneri de culpa, de qua tenentur, qui majus beneficium â commodante accepêre.

15 Dico 3. Si equus Jacobo tum in ipsius, tum in commodantis gratiam concessus fuerit, obligatus ille erat ad majorem diligentiam adhibendam, ac si in solius commodantis gratiam & non in ipsius Jacobi commodum commodatus fuisset. Fundatur conclusio in *Glossa in cap. unicum de commodato V. levissima* Item *in lege contractus ff. de Reg. juris & lege si divisa Cod. locati lege in rebus 18. princ. V. at si utriusque juncta Glossa V. æstimatio ff. commodati.* defenditur conclusio ab Azor. *par. 3. l. 7. de commodato c. 7. q. 1.* Laym. *l. 3. tract. 4. c. 14. n. 2.* Gonzalez *in cit. cap. unicum n. 8.* Illsung. *tract. 4. disp. 2. n. 391.* Zœsius, Engel Pyrhing, König, Wiestner, Schmalzgrueber. Prob. Ratione, qui rem aliquam in sui utilitatem accipit, videtur ex naturali æquitate obligatus ad illam valde diligenter custodiendam, ne concedens damnum quoddam ex suo beneficio incurrat: ergo talis accipiens tenebitur ad majorem curam, quam si in solius concedentis gratiam accepisset, si ergo re accepta in solius commodantis gratiam teneretur ad diligentiam, quam communiter quilibet in suis rebus custodiendis adhibet, major quædam cura & vigilantia in casu, quo in utriusque gratiam, & utilitatem res concessa fuerat, commodatario erunt adhibendæ, consequenter tenebitur de culpa levi, si per hanc intelligatur omissio diligentiæ, quam soli accuratiores, ac vigilantiores in custodiendis suis rebus exercent.

§. III.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Ex qua culpa teneatur Jacobus, si in solius ipsius gratiam equi usus huic concessus fuerit?

Hucusque vidimus ex qua culpa teneatur commodatarius, si in solius commodantis, vel in hujus & ipsius commodatarij commodum res gratis concessa ejdem fuerit: cùm autem commodatum propriè dictum in solius commodatarij gratiam concedatur, de qua culpa in hoc casu teneatur commodatarius, agendum modò erit.

16 Dico 1. Quòd Jacobus noster, & quicunque alius commodatarius, si in sui solius gratiam equum acceptat, ad omnem, & solam illam diligentiam per se teneatur, ad quam communiter commodatarij in his circumstantijs se obligant, & quam communiter exercent. Ita de Lugo *disp. 8. de rest. sect. 8. & 9.* dixi in conclusione, quam communiter *commodatarij* promittunt, & in similibus casibus adhibent: non autem quam communiter alij non commodatarij in suis proprijs rebus custodiendis adhibent. Cùm enim supponamus, commodatarios communiter adhibere diligentiam debitam, & promissam; ideo si promissa à commodatarijs superat vigilantiam, à non commodatarijs in rebus suis custodiendis adhiberi solitam, hæc major diligentia erit communis, & ordinaria respectu commodatariorum.

Probatur nunc conclusio; à nullo potest major diligentia, atque vigilantia exigi, quàm quæ in contractu fuerat promissa, & de qua contrahentes inter se convenerunt: ex altera verò parte meritò præstatur damnum alteri contrahentium eveniens ex omissione diligentiæ promissæ: ergo Jacobus, & quilibet alius commodatarius ad omnem, & solam illam diligentiam tenetur, quam cum alijs commodatarijs promisit.

Confir. quando quis præstitit omnem operam promissam, & res tamen perijt, aut deteriorata fuit; ex casu fortuito censetur illa perijsse, aut deteriorata fuisse: ergo, cùm casum fortuitum nemo teneatur præstare, ad hujus reparationem non tenebitur, qui omnem operam promissam adhibuit.

Licèt autem in hoc omnes con- 17
veniant, supereſt tamen determi-

nandum, quænam sit illa diligentia, ad quam præstandam se communiter in ejusmodi casibus commodatarij obligant. Dicunt enim authorum aliqui, omnes contrahentes consentire in obligationem à legibus tali contractui annexam, eò quòd juxta dispositionem jurium velint contrahere: cùm igitur leges velint, ut commodatarius, si commodatum, ut ordinariè sit, in solius commodatarij utilitatem vergat, ex culpa levissima teneatur, hoc est, præstare debeat omissionem diligentiæ, quam exactissimi, & vigilantissimi in custodiendis suis rebus adhibere solent, hinc inferunt talem levissimam culpam, etiam à commodatario nostro Jacobo præstandam, juxta §. *2. Instit. quibus modis re contrahatur obligatio.* Item *legem 5. §. 2. ff. commodati legem: obligationes 1. §. ille quidem 4. ff. de ob. & act. cap. unicum de commodato:* ibi: *cum gratia sui quis ac commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenebitur.* Idem sentiunt Lessius *lib. 2. c. 7. dub. 8. n. 40.* Rebellus *1. p lib. 1. de contract. q. 10.* Azor *l.b. 6. c. 4.* Reginald. *lib. 10. n. 20.* Molina *disp. 295. & 297.* Dicast. *l. 2. tract. 3. disp. 1. n. 410.*

Ulteriùs cùm sciamus, nonnullas leges obligare in conscientia antè, aliàs autem primùm post sententiam Judicis; nonnullas esse merè pœnales, alias autem non; quæstio ulterior movetur, pro quibus adductæ modo leges sint habendæ? num velint, ut etiam levissima culpa præstetur, licet absque omni culpa Theologica levi, aut gravi fuerit commissa? ad quod dubium

Dico primò, allatas leges Juris positivi nequaquam obligare commodatarium, ut culpam levissimam sine peccato Theologico ex mera inadvertentia, & naturali oblivione commissam præstet. Item quòd ex sola mortali teneatur, docent Sotus *l.b. 4. de Just. q. 7. art. 2.* Ledesma *2. p. 4. lib. 1. q. 8. art. 2. §. sed dubitas.* Henriquez alios referens *de irregular. cap. 15.* Eman. Saa *verb. commodatum num. 3.* Lugo *loc. cit.* P. Pichler *de commodato n. 6.* Lessius *de Just. lib. 2. c. 7. n. 43.* nostram sententiam agnoscit probabilem. Prob. conc. leges allatæ non volunt, ut commodatarius in conscientia ante sententiam judicis sit obligatus ad præstandum casum merè fortuitum: ergo neque ad præstandam culpam levissimam non Theologicam. ant. prob. primò negativè; secundò: utique nullus judicat, commodatarium vi legis obligatum esse ad præstandum equum sibi commodatum, si hic fulmine ictus absque omni culpa commodatarij perierit? temò: commodanti sufficienter est à LL. prospectum, si à judice ad præstandam levissimam culpam commodatarius adigatur. Quartò leges ad præstandam culpam no-

18

xalem

xalem per famulum, aut domesticos datam obstringentes, non obligant in conscientia ante sententiam judicis: ergo neque istæ commodatarium in conscientia ante sententiam judicis obligant. Prob. itaque conseq. primi nostri Enthimematis: interitus, vel deterioratio rei, equi v. g. commoditi, ex omissione diligentiæ maximæ, sine omni culpa Theologica eveniens, est commodatario prorsus involuntaria, proveniens ex naturali inadvertentia, & oblivione, & hinc illi neutiquam ad culpam imputabilis: ergo, si non datur obligatio ad præstandum casum fortuitum, neque dabitur ad præstandam talem culpam levissimam, non tamen Theologicam. Prob. cons. talis in antecedente isto descripta culpa non Theologica est casus merè fortuitus: ergo si ad casum fortuitum non obligant adductæ leges ante sententiam judicis in conscientia, etiam non obligant ad præstandam culpam non Theologicam. Prob. ant. naturalis inconsiderantia, actualis somnus, aut oblivio naturalis æquè annumerantur casibus fortuitis, ac ipsa acta ab amente aut furioso: ergo cùm hæc sint actus fortuiti, etiam erunt naturalis inadvertentia, oblivio &c.

Confir. casus fortuiti sunt, qui non possunt ascribi causæ cujdam liberæ ac creatæ qua tali: sed tales culpæ non theologicæ sunt tales: ergò sunt casus fortuiti.

Neque dicas, probationem hujus nostræ consequentiæ probare nimium; eò quòd ex illa sequeretur, culpam levissimam neque post sententiam judicis præstandum esse, quia casus fortuitus, cui illa æquiparatur, vel potius idem cum illa esse dicitur, neque post sententiam judicis præstandus venit. Contra enim est: culpa noxalis per famulum, domesticum, vel per animal data respectu domini etiam habet rationem casus fortuiti, & tamen dominus tenebitur post sententiam judicis.

Dico secundò probabilius adductæ leges, saltem in quantum usu sunt receptæ neque per se commodatarios obligant ad præstandam culpam leivssimam; consequenter isti non erunt obligati ad diligentiam exactissimam, & â solis vigilantissimis, & accuratissimis adhiberi solitam, ita authores supra *n. 17.* citati cum Lugo cit. *disp. 8. de Iust. sect. 8. & 9.* prob. nullus commodatarius sibi scrupulum facit, aut anxius dubitat, utrum teneatur commodatum, quod apud se periit, præstare, quando in eo custodiendo non solùm communem diligentiam adhibuit, sed eam insuper, quam accuratiores ac vigilantiores adhibere solent; omisit tamen â vigilantissimis, & accuratissimis adhiberi solitam. ergo 19

go ex communi judicio commodatarius se non obligat ad præstandam culpam levissimam. conf. constat : nam culpa levissima dicitur talis accuratissimæ diligentiæ omissio

Confir : qui summam curam adhibent in custodiendo commodato non judicant se ad istam ex justitia obligari, sed hæc faciunt ex mera gratitudine propter commodum ex commodata re sibi proveniens.

Prob. secundò nullus unquam commodans commodatarium ad judicem provocavit, eò quòd hic quidem diligentiam communiter majorem, & â solis vigilantioribus, & accuratioribus adhiberi solitam adhibuerit, omiserit tamen diligentiam ex actissimam, accuratissimam ; & ex hac res commodata perierit : ergo commodantes non habent animum obligandi commodatarios suos ad præstandam culpam levissimam.

Prob. tertiò : multæ dantur leges, quæ in commodato contentæ sunt diligentiâ non exactissimâ : ergo non debet dici, quòd hæc vi legum â commodatario exigatur. ant. prob. ex §. *item Is 2. V. at is, qui instit. quibus mod. re contrahatur oblig.* ibi *at is, qui utendum accepit, sane quidem exactam diligentiam custodiendæ rei præstare tenetur : nec suffi it ei, tantam diligentiam adhibuisse quantam suis rebus adhibere solitus est, si modo alius diligentior potest eam rem custodire.* item *Lege si ut certò 5. §. custodiam 5. ff. commodati* habetur : *custodiam planè commodatæ rei, etiam diligentem debet præstare* : ergo diligentiorem custodiam, omittendo diligentissimam, non tenetur præstare item in *lege custodiam 3. ff. de peric. & commod. rei venditæ* Paulus ita respondit : *custodiam venditor talem præstare debet quam præstant hi, quibus res commodata est* : ergo cùm venditor non teneatur ad culpam levissimam, neque tenebitur commodatarius. Ulterius etiam in lege *si cùm venderet. 13. §. venit : 1. ff. de pignor. act.* ibi *venit autem in hac actione, & dolus, & culpa, ut in commodato : venit & custodia : vis major non venit.* ex hoc ita argumentamur : in pignore culpa levissima non præstatur : ergo nec in commodato, cum hic inter utrumque instituatur paritas.

Neque videntur planè satisfacere ad hos textus dari solitis responsis oppositæ sententiæ patroni ; licèt enim dicant in cit. §. *item is 2. V. at is qui : Instit. quibus modis re contrab. oblig.* positivo *exactam* tribuendam esse vim superlativi, ut lex ista concilietur cum *lege obligationes 1. §. ille quidem 4. §. is verò : ff. de obl. & action.* ubi diligentia exactissima rei custodiendæ præscribitur, non inquam per hoc satisfaciunt : nam inverto argumentum

tum: *in hac lege obligationes : de obligat. & action.* superlativo *exactissimæ* attribuenda est vis positivi, ut illa concordet cum lege nobis favente §. scilicet *item is qui inst. quibus modis re contrab. obligat.* cur enim lex hæc posterior potiùs explicanda, ut conveniat cum *lege obligationes*, & non ista, ut conveniat cum priore? Contra est secundò: si textus totus citatæ *legis obligationes* legatur, clarè apparet, quòd terminum *diligentiæ exactissimæ* non acceperit juris consultus in adversariorum sensu, sed in nostro; intelligendo per illam accuratiorem communiter adhiberi solitam diligentiam: verba enim ita sonant: *aliàs tamen exactissimam diligentiam custodiendæ rei præstare compellitur: Nec sufficit ei eandem diligentiam adhibere, quam suis NB. rebus adhibet, si alius diligentior custodire poterit.* In hoc textu solummodo asseritur, ut commodatarius non teneatur præstare interitum rei sibi commodatæ, non sufficere, quòd in illa conservanda adhibuerit diligentiam in custodiendis suis rebus aliàs adhiberi solitam; minimè tamen ajt, neque quamcunque aliam majorem sufficere, sed debere istam necessariò esse maximam: ergo tacitè innuit, debere diligentiam absolutè majorem esse illâ, qua quis in suis rebus custodiendis utitur: ergo nomine exactissimæ diligentiæ intellexit tundaxat absolutè majorem illâ, qua suas res aliquis custodit: dein dicit: *si alius diligentior.* non autem, si *alius diligentissimus* custodire poterit. Æquè parùm solida videtur responsio dari ab adversarijs solita ad citatam à nobis legem: *si ut certo 5. §. custodiam 5. ff. commodati.* Dicunt enim, quod hujus legis verba habeant: *custodiam planè diligentem*, quæ idem sonant: ac *diligentissimam.* Sed contra est, custodia cujusdem rei excedens curam, qua quilibet suas res custodit, est utique custodia planè diligens: ergo custodia planè diligens non est eo ipso diligentissima: ergo hi termini non sunt convertibiles. Ad legem: *custodiam 5. ff. de pericul. & commod. rei venditæ: respondent* juxta mentem Harprechti ad §. *item is 2. instit. quibus modis re contrahatur obligat.* legem istam referendam esse ad casum legis immediatè præcedentis *hoc ita 2. §. custodiam 1. ff. eodem.* ibi autem dicunt, agi de casu, quo emptio, & venditio nondum omnino perfectæ sunt, eò quòd vinum ad mensuram venditum, nondum admensum sit, hoc autem casu venditor etiam culpam levissimam præstare tenetur. Sed contra est, quòd in *cit. lege custodiam 5.* non sit sermo de diligentia exactissima, ex toto sensu illius legis clarissimè constat, ita enim sonat: *custodiam autem venditor talem præ-*

stare

stare debet, quàm præstant bi, quibus res commodata est: ut diligentiam (NB.) præstet exactiorem, quam in suis rebus adhiberet. His accedit, quòd neque in immediatè præcedente *lege: hoc ita verum est 2. §. custodiam* dicatur ejusmodi venditorem præstare culpam levissimam; cùm solummodo venditor dicatur *eam diligentiam venditorem exhibere debere, ut fatale damnum, & vis magna fit excusatum.* Hoc autem verificatur, si diligentiam exactiorem communiter adhiberi solitam adhibuerit.

Denique ad citatam à nobis *legem: si cum venderet: 13. §. venit ff. de pignorat. action.* reponunt, quod *To ut in commodato*, hæc scilicet verba, non sint referenda, ad illa priora *dolus & culpa*: sed ad posteriora: *venit & custodia*: alij respondent, Ulpianum in eo textu agere de commodato, utriusque causa celebrato; quo casu rectè procedere asserunt æquiparationem commodati & pignoris, & utroque casu dolum & latam culpam præstandos esse. ℣. tamen, quòd in dicta lege instituatur comparatio inter pignus, & commodatum; & dicatur in utroque præstari tria; dolum, culpam, & custodiam; non secus ac in ipso mandato hæc tria præstantur, vim autem in nullo horum præstari. Ad secundam responsionem dico sine fundamento hæc ab adversarijs excogitata fuisse; cùm commodati nomine propriè intelligatur res gratis in solius commodatarij commodum concessa.

Patet itaque tum ex textibus pro utraque opinione adductis, tum ex responsis ad textus allatis, non ita certum, sed ad summum dubium esse, utrùm leges exactissimam diligentiam in commodatario exigant: ergo cùm in dubio nemo sit obligandus; insuper melior sit conditio possidentis; jura autem positiva in dubio debeant explicari, ut non recedant à naturali, quod non obligat ad diligentiam maximam: standum erit pro commodatario.

Solvenda modò sunt fundamenta adversariorum: objiciunt igitur nobis *cap. unicum de commodato:* ibi: *cùm gratia sui tantùm quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur.* ℣. cùm consuetudo sit optima interpres legum, & his etiam derogare possit: juxta nostram verò probationem de facto non præsletur levissima culpa à commodatarijs: consequenter cap. istud non sit in tanto rigore receptum in conscientia; ideo in strictissimo sensu *To levissima* non erit accipiendum: ℣. secundò legem hanc esse merè pœnalem posita tam sententiam judicis primùm obligatoriam. ℣. tertiò: *To levissima* debere accipi respectivè, respectu scilicet diligentiæ, quam in rebus proprijs curandis tenemus; item respectu depositarij, asse-

asseríque, diligentiam, quam præstare debet commodatarius, debere esse majorem, quàm istorum duorum, scilicet depositarij, & patrisfamilias circa res suas custodiendas; jam autem erit major istis, si accuratior, & vigilantior cura adhibeatur à commodatario, quam ab istis: potest autem es se istis major, licèt non sit in se maxima.

Dices: si in conscientia commodatarius non tenetur de culpa levissima, neque in foro externo ad hanc præstandam obligari poterit. R. neg. cons. cum hoc propter bonum commune statutum fuerit, tum ut omnis fraus, & negligentia circa ejusmodi res impedirentur; tum, ut commodatarij excitarentur ad eam diligentiam, quæ licèt non sit ex justitia, ex virtute tamen gratitudinis videtur adhibenda. Patet hoc in defloratore virginem volentem; in damnis per animal, famulos suos illatis &c.

22 2. Objiciunt legem in *rebus princ. ff. commodati*: ibi: *In rebus commodatis talis diligentia præstanda est, qualem quisque diligentissimus paterfamilias in suis rebus adhibet, ita ut tantùm eos casus non præstet, quibus resisti non possit.*

Item *legem obligationes 1. §. ille quidem 4. V. is verò ff. de oblig. & action.* ibi: *is verò, qui utendum accepit, si majore casu, cui humana infirmitas resistere non potest (veluti incendio, ruina, naufragio) rem, quam accepit, amiserit; securus est: alàs tamen exactissimam diligentiam custodiendæ rei præstare compellitur; nec sufficit ei eandem diligentiam adhibere, quam suis rebus adhibet, si alius diligentior custodire poterit.* Ad has duas adductas leges idem reponitur, quod ad *cap. unicum de commodato* respondimus. Dein jam superius de sensu, quo sumenda sit *lex obligationes*: egimus.

Ob. 3. Commodatarius censetur se velle obligare commodanti 23
juxta dispositionem, & voluntatem ipsarum legum: ergo cùm istæ obligant commodatarium ad præstandam culpam levissimam, erit ille etiam ad hanc obligatus: R. dist. cons. erit ad culpam levissimam præstandam obligatus, prout ipsæ leges juxta praxin, & consuetudinem receptam in conscientia obligant: Conc. in alio sensu intellectæ: negatur cons. leges istæ non aliter obligant ad præstandam culpam levissimam, ac obligant leges, quæ volunt præstari damna ab animalibus, mancipijs &c. aut domesticis, illata, scilicet ad summum post sententiam judicis, quòd autem non sine fundamento æqualitatem inter istas diversi generis leges instituamus, rationes nostræ conclusionis demonstrant.

Dices: nostris rationibus probari nimium; commodatarium neque ex sententia Judicis unquam obligatum fore ad præstandam cul-

pam leviſſimam. Prob. ob culpam leviſſimam juxta nos, nunquam commodatarius citatur ad judicem: ergo &c. R. neg. utrumque antec. diximus enim, commodatarium, ſi conſtiterit eundem in cuſtodiendo commodato majorem, quàm communem diligentiam adhibuiſſe, non provocari ad judicem, ut leviſſimam in tali caſu culpam præſtet; cùm ergo non ſemper de hac majore cuſtodia conſtet, ideo tunc ad judicem provocari, & ab hoc ad leviſſimam culpam præſtandam condemnari poteſt.

Dices 2. Tunc non condemnandum eſſe ex culpa leviſſima, ſed levi: ergo adhuc ſuperfluæ erunt leges: R. diſt. conſ. erunt ſuperfluæ, ſi accipiantur in ſenſu ſtrictiſſimo, neque ut mitigatæ conſuetudine ordinaria: conc. ſi ſumantur ut mitigatæ conſuetudine, negatur.

Dices 3. Leges, quæ volunt, ut commodatarius teneatur de levi culpa, ſi commodatum in gratiam utriuſque & commodantis, & commodatarij conceſſum fuerit, obligant in conſcientia ante, & non primùm poſt ſententiam Judicis, neque ſunt merè pœnales: ergo etiam taliter obligant leges, quæ exigunt diligentiam à ſolis accuratiſſimis, & vigilantiſſimis adhiberi ſolitam, ſi commodatum in ſolius commodantis gratiam conceſſum fuerit, & conſequenter obligatio ad præſtandum intereſſe non erit pœnalis, ſed ex ipſo contractu proveniet. R. con. ant. neg. conſ. diſparitatem dant rationes noſtræ ſententiæ; culpa etenim levis facilè evitari poteſt, & in cuſtodiendis rebus alienis major, quàm communiter adhiberi circa propria bona ſolita diligentia facillimè exerceri poteſt; non autem diligentia à ſolis exactiſſimis adhiberi ſolita: ergo leges prioris generis ſunt in ſuo rigore acceptatæ, non autem poſterioris.

Ob. 4. Juxta nos commodatarius ex ſola culpa lata obligaretur: hoc eſt falſum: ergo & id, unde hoc ſequitur. Prob. maj. culpa lata eſt omiſſio diligentiæ, ad quam contrahentes in certo contractu ſe communiter obligatos agnoſcunt, & quam communiter adhibent: ſed omiſſio hujus majoris diligentiæ in cuſtodia rei commodatæ juxta nos exhibendæ, eſt omiſſio diligentiæ communiter à commodatarijs exhiberi ſolitæ; ergo omiſſio hujus majoris diligentiæ (quæ eſt culpa levis) erit etiam reipſa lata culpa. Minor prob. commodatarij juxta nos communiter hanc majorem diligentiam adhibent; cùm exhibeant majorem illâ, quam paterfamilias in rebus ſuis communiter adhibet: ergo &c. R. cum Lugone loco ſuperius citato; diſt. maj. commodatarius obligaretur ex ſola culpa lata, quæ ſcilicet in contractu commodati ſit lata;

lata ; conc. ex ſola culpa lata, quæ etiam in alio contractu ſit lata, nez. Maj. & ſic diſtincta minore nego conſeq. Poteſt enim eadem diligentiæ omiſſio extra contractum, vel in certæ ſpeciei contractu eſſe levis ; & reſpectu alterius conventionis eſſe gravis & lata : quòd ſi diligentia reſpectu certi contractûs ſit ordinaria, communis, & non major illa, quæ in tali contractu communiter obſervatur, tunc in tali ejuſmodi diligentiæ omiſſio erit culpa lata, & omittens iſtam, licèt bene cognoſcat ejuſmodi diligentiam eſſe communem, & ordinariam in obligatis ex tali contractu ; culpam latam committet.

25 Ob. 5. Jus poſitivum attendit bonum commune, rectámque Reipublicæ adminiſtrationem ſpectat : ergo etiam nulla culpa Theologica antecedente poteſt exigere præſtationem culpæ, & reparationem damni alteri facti, quando ita factum eſt, ut à prudentibus, prudentioribus, aut prudentiſſimis præcaveri potuerit. Prob. conſ. hac obligatione redduntur homines cautiores, ac vigilantiores in cuſtodia rerum ſibi commodatarum : ℟. con. ant. diſt. conſ. poteſt exigere talem reparationem dependenter à ſententia Judicis primùm faciendam : tranſ. antecedenter ad hanc ſententiam condemnatoriam ; negatur.

26 Ob. 6. Iſtæ leges, & jurà ſanciunt id, quod naturali æquitati eſt conſentaneum circà rem alienam (quam medio contractu apud nos habemus) præſtare : ergo qui facit talem contractum, ad talem diligentiam ſe implicitè obligat : & conſequenter de hac omiſſa tenebitur commodanti. ℟. 1. retorq. arg. in *Lege Aquilia*, & alijs ſimilibus. ℟. 2. ſufficienter commodantibus proſpectum eſſe, ſi ante ſententiam judicis in conſcientia commodatarius teneatur de culpa levi : & poſt ſententiam de leviſſima. Hinc conc. ant. diſt. conſ. obligabitur de tali culpa omiſſa juxta leges, in quantum ſunt iſtæ communiter receptæ : conc. in ſummo illo rigore neg. conſ.

Ut autem meliùs diſtinctio inter culpam abſolutè levem, vel reſpectivè talem intelligatur ; advertimus, quòd culpa reſpectivè levis ſit omiſſio illius duntaxat diligentiæ, quam in talibus circumſtantijs, in ſimilibus rebus, aut contractibus ſoli diligentiores, ac magis accurati adhibere ſolent. Abſolutè autem tantùm, & non reſpectivè culpa levis, eſt omiſſio diligentiæ, quàm extra iſtas circumſtantias, in alijs rebus, aut contractibus, diligentiores duntaxat adhibent : interim hæc ipſa diligentia in his circumſtantijs, in his rebus, aut contractibus communiter adhiberi ſolet : unde ejuſmodi diligentiæ omiſſio dicitur reſpectivè, hoc eſt reſpectu iſtarum circumſtantiarum, & rerum culpa lata. In exemplo ſi aliquis in-

grediatur locum, ubi non est stramen, aut pulvis nitratus, communiter lumen non includitur lucernæ: prout tamen communiter solet includi lucerna, si stabulum fæno repletum, aut pulvere nitrato ingrediamur: quis ergo sine lucerna cum lumine tale stabulum ingreditur, commisit culpam absolutè levem, non autem respectivè talem, sed respectivè latam.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum?

An Commodatarius noster Jacobus teneatur aliquid solvere, si dubitet, an sua culpa equus perierit, aut deterioratus fuerit?

27 DUbium propriè dicitur, si rationibus hinc inde perpensis intellectus nequeat etiam judicium probabile efformare, sed anceps hæreat. Subinde etiam aliquis reflexè judicat, sibi incertum esse, an res quædam sit, vel non.

Insuper potest Jacobus noster duplex habere dubium: unum, an posuerit aliquam actionem illicitam, & de se aptam ad damnificandum equum: secundò potest de hoc nequaquam dubitare, sed judicare, à se positam actionem, & quidem illicitè ex se damnificativam equi; anxius tamen & dubius potest esse, utrùm hæc sua illicita actio in actu secundo hoc damnum commodato equo intulerit. His præmissis

28 Dico primò, si Jacobus noster præsuppositа actione injustа, & de se aptа causare damnum equo, dubitet, num ex illa mors, vel morbus equi commodati secuti fuerint, probabilius ad compensationem expensarum, vel ipsius equi, si hic occubuerit, tenebitur. Ita apud Dianam in *sua resolution. moral. part. 3. tract. 6. miscell. resolut. 49.* Gallemart *in Margar. casuum conscient. verbo. commodatum*: & *verbo dubium.* Idem tenet Sanchez *de Matrim. lib. 2. disp. 41. n. 17.* citans pro se alios: quibus accedit in substantia Palao de *conse. dubia disp. 3. pu. 4. n. 3.* citans Joan. Sanchez *disp. 42. n. 14. Salas 1. 2. tract. 8. disp. unica sect. 23. n. 242. fine.* prob. quando præsuppositа injustа actio de se est apta causare hoc damnum, dubitatur autem, num in hoc singulari casu causaverit actu, tunc ipsa hæc actio injus-

injusta & ex se damnificativa est in possessione contra commodatarium Jacobum ; eò quòd constet, effectum fuisse subsecutum: ergo in hoc dubio melior est conditio actionis in sua possessione existentis, non autem ipsius Jacobi: consequenter onus probandi transfertur in Jacobum, qui ut se deobligatum agnoscat, efficacibus, & certis rarionibus probare debebit, morbum, vel mortem equi hîc, & nunc non fuisse causatam â sua injusta, & per se tale malum causante actione: atqui quando dubitat Jacobus; non habet pro se tales certas rationes: ergo non erit excusatus â restitutione damni illati. Confir. Juxta Baldum in *lege data opera n. 52. Cod. qui accusari non possint* Anaxiam *in cap. ad audientiam n. 10. de homicidio*, *Angel. l. 1. in princip. vers. ultimo, est videre ff. de eo, per quem factum erit.* quando constat de actione injusta, quæ apta est causare damnum: item quando etiam constat de damno dato, authori actionis hujus incumbit onus probandi, non causâsse damnum: ergo dum hoc non probatur, necessariò talis judicandus est causâsse.

29 Quid nostro Jacobo præstandum, si actionem injustam, de se causativam damni subsecuti, posuerit; dubitet autem, num illa hujus causa fuerit, hucusque examinavimus: supereſt altera controversia, num scilicet ad aliquam refusionem in conscientia sit obligandus, si dubitet, num omittendo necessariam diligentiam, culpam quandam commiserit, aut actionem de se damnificativam posuerit.

Potest autem dubium esse positivum, vel negativum juxta la Croyx *lib. 6. pa. 2. n. 599.* negativum habetur, si in utramque partem aliqua motiva dantur, non quidem levia, de se tamen nec sufficientia ad prudens judicium de alterutra parte formandum, ex quo provenit, ut ipsum prudens judicium necessariò sit suspendendum; quod si pro utraque parte gravia motiva habeantur, non se elidentia sed de se sufficientia, ut vi illorum pro hac, vel oppositâ parte formetur prudens judicium, aut saltem, ut reflexè judicare possit in utramque partem militare gravis momenti rationem, habebitur tunc dubium positivum.

Insistendo itaque nostris principijs, quòd scilicet commodatarius scienter committens culpam absolutè levem in custodiendo commodato, hoc ipso committat latam, eò quòd ommttat diligentiam quam ordinariè & communiter omnes commodatarij adhibent: item quòd de culpa levissima non teneatur, si hæc non fuerit Theologica.

Dico 1 In dubio merè ne- 30
gativo primùm descripto com-

modatarium nostrum Jacobum ad nullam compensationem faciendam in conscientia obligatum esse, ita Henriquez *lib. 14. c. 15. in fine.* Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 41. n. 18.* Lessius *lib. 2. cap. 27. dub. 3. in fine.* Diana *parte 3. tract. 6. Miscell. Resol. 49.* Salas *tract. 8. disp. unica sect. 23. n. 243.* Palao *tom. 1. disp. 3. pu. 4. n. 4.* Villalabas, Lugo *de Just. disp. 18. sect. 1. n. 14.*

Prob. conclus. ratione, ut commodatarius teneatur de culpa, debet hæc esse Theologica: ergo, quando dubium tale negativum datur, ad nihil tenetur. prob. cons. in dubio nullum delictum est præsumendum, juxta *legem meritò ff. pro socio* & commodatarius est in possessione suæ innocentiæ: ergo si ex culpa Theologica solùm tenetur commodatarius, ad nihil tenebitur, si de culpa dubium negativum habeatur.

81 Dico 2. Probabiliùs etiam in dubio positivo, si hoc in utramque partem sit æquale, non obligandus in conscientia erit commodatarius Jacobus ad refusionem faciendam: ita prædicti authores, nullam facientes inter dubium positivum, & negativum distinctionem. Concl. prob. in tali casu ponitur adesse sufficiens motivum, ut Jacobus formare possit prudens judicium, quòd nullam culpam Theologicam commiserit: sed qui potest hoc prudenter judicare, non tenetur ex delicto ad aliquam refusionem faciendam: ergo &c. Confir. quia delicta in dubio non sunt præsumenda, ideo etiam stante dubio negativo, cùm nullum prudens judicium formari potest de commisso, non datur ulla obligatio restituendi: ergo hæc multò minùs dabitur, si prudens judicium formari possit, quod delictum non fuerit commissum. Monet tamen non imprudenter Cardin. de lugo juxta citatos authores, hæc solùm procedere in dubio, quando pro altera parte nullæ adsint conjecturæ, aut indicia, quæ delicti præsumptionem meritò generare possint.

Neque obstat, quòd in dubio positivo ob rationes in utramque partem æquales videantur adesse ex altera parte conjecturæ, atque rationes quædam, oppositum reddentes probabile: ob hoc enim quòd commodatarius Jacobus non obligari ad ullam refusionem possit, probavimus in partis hujus primæ casu 1. de restitut. rerum inventarum n. 24.

Ut itaque ex his universalibus principijs, quid nostro Jacobo sit faciendum, concludamus, adverto, ipsum commodantem fateri, equum suum jam antea quadam infirmitate, atque defectu laborâsse. Videndum itaque erit, num de hoc defectu Jacobum, dum huic equum ad usum con-

concederet, certiorem fecerit, admonuerit insuper, ut moderatè, & sub certis cautelis equo utens â concitatione, præsertim longiùs durante cursu abstineret; quòd si de his admonitus Jacobus, citato, & effuso cursu toto die tum in itu, tum in reditu equitaverit; vel equus tempore, quo huic non expediverat, potatus fuerit, aliámve curam ex jussu commodantis adhibendam omiserit, ipsius culpâ equum perijsse, nostro judicio probabilissimum videtur: Quia autem equus juxta dicta ponitur jam antea defectum habuisse, controversia est, an totum valorem destructi equi refundere debeat, vel partem duntaxat aliquam? Etsi quandam duntaxat partem, quanta hæc debeat esse? ego judico, ante omnia inquirendum esse, qualis & quantus defectus, quo equus jam antea laboraverat, fuerit: num hoc non obstante labores suos ordinarios suo vel alteri cuidam domino præstare potuisset; & quanto tempore? Num ille adhuc quodam viliore, & quanto pretio alteri vendi sine dolo potuisset, ex his enim, & similibus circumstantijs equi valor, & quod ex hujus interitu damnum domino accreverit, determinandum, atque ex judicio prudentis & conscientiosi arbitri dicendum, quid & quantum domino â commodatario Jacobo sit refundendum. Quòdsi autem defectus, quo equus laboraverat, nostro Jacobo intimatus â commodante non fuisset, examinandum utrùm actio damnosa ex se apta fuerit, ut etiam integræ sanitatis equum destrueret, hoc enim in casu etiam â non admonito, quod admonitus debuisset, præstandum esset. Si denique ponamus culpam â Jacobo, defectûs, quo equus commodatus laboraverat, inscio, positam equo integræ sanitatis nequaquam noxiam extituram, nocuisse autem ejusmodi defectum habenti, ad nullam refusionem eundem obligatum agnoscerem; cùm culpa de se non sit connexa, & illativa damni in equo sano & integro, sed tantùm per accidens huic soli jam antea ægro nocuerit, qui effectus utpote non prævisus videtur Jacobo involuntarius, & hinc non imputandus.

Examinatis itaque, ac maturè perpensis istis omnibus, si dubium fuerit, utrùm culpa quædam Theologica â commodatario Jacobo commissa sit, juxta nostra principia ad nihil tenebitur, juxta Azorium tamen *tom. 3. l. 7. de commodat. c. 7.* Molin, Rebellum, Caietanum Gomezium compensatio Equi domino facienda erit; eò quòd authores isti existiment, in hoc casu ad obligationem restitutionis sufficere culpam juridicam, quæ non semper cum Theologica conjuncta est.

CA-

CASUS VI.

De Mutuo.

CAjus dedit Sempronio expetenti, & ſummè indigo 300. circiter ſcaphas tritici hac conditione, ut circa tempus autumnale totidem ſcaphas tritici ſibi iterum redderet, vel pro ſingulis ſolveret 10. fl. 45. crucig. ita tamen, ut ipſi Cajo ſit liberum, vel frumentum in natura expetere, vel 1. fl. 45. crucig. pro ſingulis ſcaphis. Ubi tamen bene notandum tempus autumnale ſolummodo præfixum fuiſſe tanquam terminum, ultra quem non liceret differre ſolutionem; Sempronio tamen liberum fuiſſe expungere interea debitum, quandocunque voluerit: item tempore conceſſi mutui minore quàm 10. fl. 45 crucig. pretio quamlibet ſcapham fuiſſe quidem venditam, præviſum tamen fuiſſe pretium ntra breve tempus ad 10. fl. & 45. crucig. aſcenſurum eſſe.

Q. 1. An & quando paciſci poſſit cum mutuatario, ut tantùm, quantùm acceptum fuerit, reſtituatur, ſi nullus terminus ſolutioni præfixus fuerit?

Q. 2. Ad quid obligetur mutuatarius, quando in mutuo nihil explicatum fuerat de reddenda eadem menſura; vel potiùs, eodem valore?

Q. 3. An præſens contractus fuerit uſurarius?

SYNOPSIS.

§. I.

Reſolvitur primum Quæſitum.

An & quando paciſci poſſit cum mutuatario, ut tantum quantum acceptum fuerit, reſtituatur, ſi nullus terminus ſolutioni præfixus fuerit?

1. *Affertur definitio mutui.*
2. *Quandonam in mutuo uſura lateat.*
3. *Et quod lucrum rationem uſuræ habeat.*

4. *Diſ-*

4. *Difficulter in particulari casu discernitur, num aliquod lucrum ultra mutuum accipiatur.*
5. *Contrahentes variè inter se circa restitutionem mutui convenire possunt.*
6. *Ubi etiam de tempore, quo facienda est restitutio mutui.*
7. *Nulla usura commissa fuit si nullum determinatum tempus restitutioni assignatum fuerit, & conventum, ut in omnem eventum totidem mensuræ reddantur mutuanti.*
8. *Aut si conventum, ut si frumentum tempore faciendæ restitutionis decrescat, reddatur tantum, quantum æquivalet valore frumenti.*
9. *Usurarius autem contractus fuit, quando conventum, ut plus solvatur, si tempore solutionis decreverit valor: si autem creverit, non pauciores, sed tot, quot mutuatæ fuerunt, mensuræ solvantur.*
10. *Solvitur objectio* ex cap. usura 14. q. 3. desumpta.
11. *Aut si prævisum fuerit, pretium tempore solutionis destinato augendum esse, & mutuatarius istud neque prævertere, neque subsequi solutione possit.*
12. *Excepto tamen casu, quo mutuatarius statuisset servare suum frumentum usque ad tempus augendi pretij.*
13. *Si hoc non decreverit, licèt nullum tempus designaverit, obligari tamen mutuatarius sine usura non potuit, ut solvens tempore aucti pretij, cum hoc augmento mutuatum triticum solvat.*
14. *Aliud dicendum, si tempore intermedio decreverit valor, & illo etiam restituere mutuum potuerit, dubiumque, an non tunc sit restituturus, fuerit.*
15. *Suppositâ autem majore probabilitate de restitutione in tempus aucti pretij differenda, usura dabitur.*
16. *Qualis etiam erit, sub prætextu lucri cessantis obligare mutuatarium, ut frumenti valorem maximum, quem habiturum erit, solvat.*

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum?

Ad quid obligetur mutuatarius, quando in mutuo nihil explicatum fuerat, de reddenda eadem mensurâ, vel potiùs eodem valore?

17. *Mutuator probabilius satisfaciet reddendo eandem mensuram cum æquali bonitate, si tempore contractûs nec credebatur, nec attendeba-*

debatur ad augmentum, vel decrementum, valoris tempore, quo restituitur mutuum, futuri.

18. 19. Satisfit 2. objectionibus.

20. Idem tenendum, licèt diminutionem istam prævideriț mutuans, nihil tamen de mensura restitutionis determinaverit.

21. Neutiquam etiam mutuatarius obligabitur ad restituendum totam mensuram, si pretij incrementum tempore solutionis prævisum, & circa hoc à mutuante nihil expressum fuerit.

22. Solvitur objectio contraria.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An præsens contractus fuerit usurarius?

23. Fuit ille usurarius, si mutuans noluit servare usque ad tempus aucti pretij.

24. Secus si in illud asservatum fuisset.

25. Hoc tamen etiam posito non potuerunt pro singulis scaphis exigi 1. fl. & 45. crucigeros, licèt frumentum ante incrementum pretij fuerit restitutum.

26. Uti neque tunc, si post tempus facti incrementi mutuatarius primùm restituerit mutuum facultate mutuanti relicta determinandi solutionem in pecunijs, vel in frumento.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An & quando paciſci possit cum mutuatario, ut tantum, quantum acceptum fuerat, restituatur, si nullus terminus solutioni præfixus fuerit?

1 CUm decisio hujus casûs ex principijs contractûs mutui sit desumenda, ideo ante omnia sciendum, mutuum pro contractu sumptum esse donationem rei, pondere, numero, aut mensura, constantis, factam ex animo, ut statim fiat accipientis cum obligatione tamen, ut alia ejusdem naturæ, ac qualitatis reddatur. Ita Taberna, & quoad substantiam communis aliorum. Quia autem dona-

donatio est quasi doni datio: donum autem juxta Laym. *lib. 3. de Just. tract. 4. cap. 12. n. 1. versu donatio* est datum gratuitum, id est, quod neque ex justitia debitum est, neque alteri vicissim aliquam obligationem, sive debitum ex justitia imponit. ex altera verò parte in mutuo mutuatario imponitur obligatio, ut alia res ejusdem naturæ ac qualitatis imponatur; hinc expressiùs videtur mutuum definiri à Laym. *cap. 15. de Just. num. 1.* quòd sit *traditio rei in suo genere functionem recipientis, ut statim accipientis fiat, & postea tantundem ejusdem generis, ac qualitatis restituatur.*

2 Ex his modò relatis ultimis verbis Tamburin. *lib. 8. tract. 3. cap. 8. de mutuo* cum cæteris colligit, toties in mutuo latere usuram, quoties præcisè vi ipsius mutui aliquid plus exigitur sive in pecunia, sive in aliquo gravamine, quàm sit ipse mutui valor, quia in tali casu non redditur præcisè tantundem, quod tamen ad mutuum requiritur.

3 Hinc usuræ nomine venit lucrum ex mutuo, seu aliquid pretio æstimabile, quod ultra sortem (id est capitale, sive summam mutuò datam) recipitur tanquam debitum præcisè vi mutui.

4 Licèt autem omnes in hactenus dictis conveniant, sæpius tamen disputatur, num in hoc vel in illo casu aliquid accipiatur ultra id, quod est debitum præcisè vi mutui, cùm enim juxta definitionem datam mutuum exigat, ut res restituenda sit ejusdem speciei, bonitatis, ponderis, ac numeri: ex altera verò parte sæpiùs contingat, ut manente eadem bonitate intrinseca, valor scilicet illius, mutetur, hinc difficultas oritur, an si tempore restitutionis valor rei extrinsecus mutatus fuerit, auctus scilicet, vel diminutus, hæc tamen in eadem bonitate, mensura, & pondere, sub quibus accepta mutuò fuerat, sit restituenda; vel num mensura minuenda, vel augenda sit, si valor auctus, vel diminutus fuerit?

In Exemplo: ego hodie duas scaphas tritici mutuo Petro, cùm quælibet valet 2. fl. ambæ autem quatuor: tempore restitutionis autem quælibet scapha venditur 4 fl. Quæritur, utrum mihi restituenda tantùm sit unica scapha valore suo tunc conficiens 4. fl. aut duæ: licèt tunc octo florenis constent? item si hodie, dum mutuo Petro duas scaphas, quælibet constat 4. fl. ambæ autem octo: tempore restitutionis verò quælibet vendatur 2. fl. ambæ autem quatuor. Quæritur utrum tunc duæ tantum scaphæ, vel quatuor sint restituendæ?

5 Possunt autem mutuans, ac mutuatarius circa hæc expresè aliquid determinásse; v. g. ut tot præcisè scaphæ reddantur, quot fuerunt mutuatæ, sive dein tempore restitutionis plus vel minus

valeant: vel si plus tunc valuerint, detur mensura minor, quæ scilicet suo valore tunc adæquat pretium, quod duæ scaphæ tempore contractus mutui habebant: quod si pretium diminutum fuerit, major detur, in quantum solvenda mensura erit, quæ pretium, quod tempore mutui contracti duæ scaphæ habebant, adæquet.

6 Præterea potuit mutuatario vel nullum, vel aliquod determinatum tempus, quo solutio facienda erit, fuisse constitutum, & ita quidem, ut nec ante, nec post illud restituere mutuum eidem liceat: vel solumodo ut terminus, ultra quem solutionem protrahere nequeat; licet eundem prævertere, si voluerit, possit. Idque totum potuit fieri, ut tam mutuanti, quam mutuatario incertum, ac dubium fuerit, num tempore solutioni assignato pretium augendum vel diminuendum esset, vel hoc ipsis aut uni saltem illorum probabile, certum, ac indubitatum, his præmissis.

7 Dico 1. Si nullum determinatum tempus mutuatario pro restitutione assignatum, & conventum etiam fuerit, ut sive crescat, sive decrescat frumenti pretium tempore solutionis, totidem mensuræ mutuanti reddantur, nullam usuram commissam fuisse. Ita Lessius *lib. 2. cap. 20. dub. 17. n. 149.* Laym. *l. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 15. n. 3. & cap. 16. n. 14.* Palao. *de Just. comm. disp. 4. pu. 1. n. 6. citans* Abbat. Alex. de Nevo, Baldum, Sotum *idem docet* Tambur. *item* Lugo *de Just. disp. 25. sect. 7. n. 112. citans* Molinam *disp. 311. Salam dub. 24. n. 2.* cum communiore. Probatur in hoc casu nulla datur inæqualitas inter mutuantem ac mutuatarium: estque mutuatario liberrimum restituere mutuum, quo vel auctum vel diminutum fuerit pretium. Probatur 2. mutuans tanquam dominus frumenti habet jus ad suas presentes mensuras, neque tenetur in gratiam mutuatarij se ijsdem spoliare.

Probatur 3. In tali casu æquale periculum subeunt mutuator ac mutuatarius recipiendi æqualem, majorem, vel minorem valorem rei mutuatæ: ergo nulla committitur injustitia.

Confirmatur: ratio & natura mutui exigit, ut quantum fieri potest, idem, quod acceptum fuit, reddatur, eadem scilicet species quoad quantitatem & quoad qualitatem: ergo contractus talis erit vel maximè conformis naturæ ac essentiæ mutui, consequenter nequaquam usurarius.

Dico 2. Si mutuans cum mutuatario paciscatur, ut si frumenti valor tempore restitutionis faciendæ decrescat, reddatur tantum, quantum æquivalet valori fru-

frumenti, qui datur tempore conceſſii mutui, nullam etiam uſuram commiſſam fuiſſe. Ita Tamburin. *lib. 8. tract. 3. cap. 8. §. 1. n. 10.* Molina *§. quoad ſecundum loco cit.* Leſſius Salas: Lugo: *n. 114. loco cit.* Ratio eſt, *ex lege 3. ff. ſi certum petatur*, conſtat, in mutuo rem omnino ſimilem in ſpecie, & quantitate, ac bonitate reddendam: atqui hæc fiunt in dato caſu; mutuator enim nihil plus ultra datum mutuum recipit.

Confirmatur: mutuator habet modò jus ad præſens pretium ſui frumenti: ergo etiam poteſt iſtud exigere, quod facit, dum vult, ut defectus decreſcentis pretij aucto frumento compenſetur.

Probatur **2.** Mutuans poſſet tunc alteri vendere ſuum triticum pretio tunc currente, ſolutionem autem transferre usque ad illud tempus, quo decreſcet valor frumenti: ergo etiam poteſt talem contractum mutui facere: probatur conſ. hac ratione contractus venditionis convertitur in permutationem, vi cujus loco perſolvendi pretij ſolvendum erit triticum adæquans valore ſuo pretium.

9 Dico **3.** Si mutuans cum mutuatario pactus fuerit, ut ſi tempore ſolutionis decreverit valor, plus ſolvatur: ſi autem creverit, non pauciores, ſed totidem menſuræ, quot mutuatæ fuerunt, contractum fore uſurarium. Ita *Card. de lugo loc. cit. cum alijs.* Ratio eſt: in contractu mutui debet ſervari æqualitas: aſt hæc non obſervatur: ſi enim auctum fuerit pretium, accipit mutuans aliquid ultra datum: non autem quid minus, ſi decreverit mutuati frumenti valor.

Dices contra **2.** Conclus: in 10
cap. uſura 14. q. 3. dicitur *uſura eſt, ubi amplius requiritur, quàm datur v. g. ſi dederis ſolidos decem, & amplius quæſieris vel dederis frumētum modium unum, & ſuper aliquid exegeris.* Sed hoc fit in caſu ſecundæ concl: ergo. R. hîc ſolumodo dici, uſuram eſſe exigere aliquid ultra id, quod datum eſt: atqui iſtud non contingit in poſito caſu. Probatur: cùm diminutum fuit pretium duo modij tritici æquivalent unico accepto: ergo formaliter non plus aliquid exigitur.

Dico **4.** Si veroſimiliùs fuit 11
augendum eſſe pretium frumenti tempore, quod pro ſolutione mutuatario ita deſtinatum fuit, ut hic neque illud prævertere nec ſequi ſolutione poſſit, commiſſam fuiſſe uſuram, ſi præcisè ex vi mutui mutuatarius fuit obligatus, ut tantam, quantam acceperat, menſuram reſtitueret, ita Molina *diſp. 310. §. quando vero.* Rebell. *2. p. de oblig. Juſt. lib. 8. q. 8. n. 3.* Leſſius *dub. 17. n. 147.* Salas *de uſuris. dub. 24. n. 3.* Palao *de Juſt. diſp. 4. pu. 13. n. 3.*

n. 3. lugo disp. 25. de usura sect. 7. num. 118. probatur impedire mutuatarium, ut non possit se liberare ab onere solvendi mutui, nisi illo tempore, quo aliquid plus restituendum erit, grave quoddam onus reputatur esse. Confirmatur juxta superius dicta, si tempore restituendi mutui prævideretur valor diminuendus, posset auctarium supra sortem datam peti, ut valor, quo vendebatur tempore dati mutui, adæquaretur: ergo viciſſim, si augendus erit valor, non poterit tradita mensura exigi, quia tunc aliquid ultra valorem dati acciperetur scilicet totidem quidem mensuræ majoris tamen valoris.

12 Dico 5. Quodsi mutuatarius suum frumentum servare statuit usque ad tempus, quo pretium illius prævidetur augendum; potuit sine usura contractum primò nunc indicatum facere, modo æstimatio laboris, periculi, & sumptûs interea faciendorum deducatur. Ita Navarrus *cap. 17. n. 219.* Petrus Navarra *3. de Restit. 2. p. cap. 2. dub. 5.* Molina, Lessius, Rebellus cum Palao & Lugo. Ratio est, nemo tenetur ratione mutuatarij jacturam suarum temporalium rerum pati, sed se indemnem servare potest.

13 Dico 6. Licèt mutuatario liberum fuerit, ut restitueret mutuum tempore, quo ipsi placuerit, etiam ante auctum frumenti pretium, sine usura tamen probabiliùs non potuit obligari, ut, si ante auctum pretium non restituerit, res mutuata cum tali augmento restituatur tempore, quo moraliter certum, aut probabilius fuerat auctum iri valorem, quando mutuans usque illuc servare suam rem non decreverit, ita cum alijs sentiunt Lessius *l. 2. cap. 20. dub. 17. n. 149.* Rebellus *2. p. de oblig. Just. l. 8. q. 8. n. 5.* Laym. *l. 3. sum. sect. 5. tract. 4. cap. 16. n. 14. & 15.* Salas *dub. 24. de usur. n. 3. & dub. 25.* Palao *dicto loc. n. 4.* Lugo *cit. disp. 25. contra* Molin. Eman. Saa Toletum *R. 5. c. 34. n. 6.* Rebellum. Ratio est: licet mutuatario liberum fuerit tradere tempore, quo minus constitit, & ipse sibi quodammodo id imputare debeat, nihil ominus verum est, quòd mutuans rem pretiosiorem â mutuatario accipiat, quam fuerit data, quia acquirit v. g. scapham tritici valentem 12, cùm dederit valentem duntaxat 10: ergo committitur usura. Confirmatur: si cum mutuatario pactum fuisset, ut si noluerit intra tale tempus solvere, aliquid ultra sortem solveret, commissa fuisset usura: ergo etiam si petatur, ut solvat eandem mensuram, licèt hæc pluris valeat, quia etiam tunc aliquid accipitur ultra sortem.

Con-

Confirmatur 2. Usura committeretur, si expressè mutuatarius obligaretur, ut frumentum daret illo tempore, quo majus illius erit pretium, vel ut solveret aliquid ultra sortem, casu, quo illud ante semestre non restituerit; ergo etiam in præsenti casu: probatur cons. cùm augmentum pretij prævidetur tempore solutionis futurum; licèt liberum maneat mutuatario prius solvere, si tamen obligetur ad tantum solvendum non obstante augmento valoris, hic contractus continebitur implicitè in priori casu: ergo &c. Probatur ant. si antea non solverit, mutuatarius habet jus, & vi sui contractûs mutui obligabit, ut plus restituatur: ergo &c.

14 Dices: ponamus, post semestre vel annum prævideri augmentum pretij, currens tamen hoc pretium durante tali semestri aut anno minuendum; mutuatario insuper & liberrimum esse etiam hoc tempore solutionem facere, & simul dubium, an non tempore intermedio, quo decrescet, pretium sit restituturus; saltem in hoc casu nulla usura commissa fuit. ergo: prob. ant. stante tali æquali dubio de facienda solutione, etiam dabitur æquale periculum aliquid plus, vel minus accipiendi, quàm ipsam sortem ex parte mutuantis, nec mutuatarius majus periculum subit, quàm mutuans, cùm possit evenire, ut etiam minus quid ipsa sorte sit recepturus. Ex. cum Lugone *n. 120.* loci citati, probabilius hunc contractum ob æquale periculum damni, & lucri non fore usurarium ob rationem allatam. Accedit, quod juxta omnes ob probabile periculum sortis aliquid liceat supra istud exigere: cùm ergo in hoc casu periculum amittendi saltem partem ipsius sortis detur, si nimirum solveretur mutuum tempore diminuti pretij: potuit aliquid ultra sortem exigi sub præfata conditione.

Quòd si autem probabilius esset, 15
solutionem mutui faciendam esse temporis majoris valoris, usurarius contractus foret, si plus aliquid vi solius mutui exigeretur, & quidem ob inæqualitatem contractûs, vi cujus mutuatarius majoris damni periculum subiret, quàm ipse mutuans, & præcisè vi solius mutui, quod totum ulteriùs adhuc confirmatur. Si tempus aliquod certum, quod prævenire non liceret mutuatario, statueretur, & probabilius esset, quòd tunc valor sit augendus, non posset sine usura exigi eadem mensura, quæ data fuit: ergo neque poterit hæc exigi, si tempus quidem solutioni nullum fuit præfixum, interea tamen probabilius est, quòd plus aliquid supra sortem mutui sit accipiendum: probatur cons. si absolutè probabilius est, mutuantem aliquid vi solius mutui accepturum esse, parum refert, an major hæc probabilitas

tas proveniat ex hoc, vel illo augmento ad contractum magis vel minùs æqualem reddendum: ergo modò probabilius sit, accipiendum esse aliquid ultra sortem, unde unde hæc probabilitas major proveniat, erit contractus illicitus.

16 Dico 6. Non minus usurarium fore contractum, quando sub prætextu lucri cessantis obligatur mutuatarius, ut frumenti pretium solvatur secundum valorem maximum, quem habiturum erit à die celebrati contractûs usque ad tempus solutioni destinatum, ita Laym. *lib. 3. tract. 4. cap. 16. num. 14.* Probatur: vel venditor suum triticum servaturus fuisset usque ad tempus solutioni præfixum, vel non fuisset servaturus? Si primum: non potuit à mutuante exigere, ut frumenti tantam quantitatem sibi solvat, quantum adæquatura est valorem maximum, quem habiturum erit à tempore celebrati contractûs usque ad tempus solutionis: probatur, unica ratio exigendi aliquid ultra sortem in hoc casu potest esse, ne mutuans patiatur detrimentum aliquod ob traditum mutuum; atqui nullum patitur, licèt non solvatur secundum valorem maximum illius temporis, si illud venditurus non fuisset tempore intermedio, sed illud servâsset usque ad tempus solutionis, ut patet consideranti: ergo &c. Si dicas, frumentum non fore servandum usque ad tempus solutionis, sed tunc vendendum fuisse, quando maximus ejusdem valor extiterat: contra est, nemo potest sua providentia determinare punctum valoris maximi, nec certò scire, quòd iste valor sit summus, nec postea augendus: ergo non potest id exigere à mutuatario, cùm hac ratione mutuans suæ duntaxat securitati consulat, totúmque periculum in mutuatarium conijciat.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Ad quid obligetur mutuatarius, quando in mutuo nihil explicatum fuerat de reddenda eadem mensura vel potiùs eodem valore?

17 Dico 1. Si tempore contractûs neque credebatur, neque attendebatur ad hoc, quòd valor frumenti tempore restitutionis sit augendus, vel minuendus probabilius satisfaciet mutuator

tor reddendo eandem mensuram cum æquali bonitate &c. Ita *docent* Sotus *lib. 6. q. 1. a. 2.* Navarrus *cap. 17.* Binsfeld, Molina *Tom. 2. disp. 311.* Toletus *l. 5. cap. 34.* Lugo *disp. 25. sect. 7. n. 122.* Laym. *loco cit. n. 14.* Lessius *n. 149. & 150. contra Petrum* Navarra. Probatur : ipsa natura & essentia mutui est, ut eadem mensura, genus, & bonitas intrinseca rei, quæ mutuò fuerat accepta, restituantur, ergo si hoc fiat, uti contingit in hoc casu, satisfactum fuit mutuanti.

Confirmatur, in contractu mutui nequaquam per se attenditur valor extrinsecus, sed intrinsecus solùm, nisi contrarium â contrahentibus expressum fuerit. Suffragatur huic nostræ opinioni etiam communis experientia, si enim ab initio contractûs nihil expressum fuerit, nullus mutuans conqueritur, si eadem tantùm mensura restituatur, licet valor extrinsecus pro illo tempore fuerit major. præsumitur enim hanc intentionem habuisse, cùm aliud non explicavit.

18 Dices. Si valor decrevit, & detur eadem duntaxat mensura, tunc restitutum non est æquale accepto : atqui observanda est æqualitas in mutuo, ergo &c, R. D. M. restitutum non est æquale accepto quoad bonitatem ac valorem intrinsecum, neg. quoad valorem extrinsecum conc. & sic dist. min. neg. conf.

Dices 2. Qui accepit 10 aureos cùm singuli valerent 4. fl. non satisfaciet, si totidem restituat, quando illorum valor extrinsecus decrevit : ergo idem de alijs rebus tenendum erit. 19 R. Disparitatem esse, quòd in pecunia præcipuè attendatur valor extrinsecus, non autem in alijs rebus fungibilibus.

Dico 2. Si pretium tempore 20 restitutionis decreverit, & hoc decrementum præviderit mutuans, nihil autem circa mensuram restitutionis determinaverit, probabilius satisfaciet mutuatarius dando eandem mensuram non obstante decremento valoris *intrinseci, ita de Lugo disp. 25. sect. 7. n. 123.* Probatur : in hoc casu præsumitur mutuans solam æqualitatem inter mensuram intendisse, ac valoris excessum condonâsse mutuatario : ergo &c. Probatur. ant. natura ac essentia intrinseca mutui intendit ac exigit duntaxat æqualitatem intrinsecam inter acceptum ac redditum : ergo si prævidens valorem extrinsecum diminuendum esse, & tamen de augmento nullam mentionem fecit, præsumitur hoc condonâsse, cum hanc condonationem absque injustitia, vel alio peccato potuerit facere.

Dico 3. Si pretij incremen- 21 tum pro tempore solutionis prævisum fuerit, mutuatarius neu-

tiquam obligatus erit ad eandem mensuram vel quantitatem, quæ accepta fuerat, restituendam, si mutuatarius circa hoc nihil expresserit ita Lugo *loco cit.* Ratio est: ipse mutuans non potuit exigere, ut eadem mensura solveretur si prævidit certò pretium tunc auctum iri: ergo mutuatarius non tenetur solvere, cum mutuans ad illud omni jure careat, & consequenter non sit præsumendus illud exigere, cùm delicta præsumere non debeamus: adde quod hoc exigens, injustitiam committeret, consequenter contractus ad æqualitatem â mutuatario reduci possit.

22 Dices. Si pretium decrescat, tunc præsumitur mutuans, decrementum pretij liberaliter condonare mutuatario: ergo vicissim mutuatarius præsumendus est, liberaliter condonare hoc augmentum, si valor rei tempore restitutionis fuerit auctus, quia hoc videtur æquum & justum esse, consequenter eadem mensura erit reddenda. R. neg. cons. disparitas est, quòd mutuatarius invitè ac quasi involuntariè hunc contractum celebret; ergo onus quodcunque sibi oppositum tenetur invitus suscipere, nec censendus in dubio condonare: ex opposito mutuans liberè ac sponte in mutuum consentit, censetur itaque condonationem illam facere.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An contractus allatus usurarius extiterit?

23 Dico 1. Si mutuans suum frumentum non decreverit servare usque ad tempus, quo singulæ scaphæ prævidebantur vendendæ 1. fl. 45. crucig. sed ante illud distrahere; usurarius contractus fuit. Constat ex dictis: unicus enim titulus exigendi hoc pretium fuerat lucrum cessans, quod pateretur si modo, cum vilioris est pretij, illud emit aut mutuat non passurus, si tempore posteriore vendidisset: atqui hoc lucrum non cessat, si non eousque servare, sed prius vendere decreverat; uti constat: ergo &c.

Ex opposito determinat exigere sine usura 1. fl. & 45. crucig. potuit, si usque ad illud tempus servare decreverit, ex altera verò parte priùs restituere mutuum non voluerit, aut non potuerit mutuatarius. Constat

ſtat ex dictis in concl. 5. §. 1. imo videtur etiam tunc disjunctivè potuiſſe exigere, ut ſibi facultas vel recipiendi 1. fl. & 45. crucig. pro ſingulis ſcaphis, vel totidem ſcaphas relinqueretur, in hoc enim caſu non videtur gravatus fuiſſe mutuatarius, cum memoratas pecunias, ſi eas præ frumento in ſpecie maluiſſet mutuans, divenditis illis ſcaphis, facillimè comparare potuiſſet. Adde quòd præſens contractus videatur non fuiſſe purum mutuum, ſed aut hoc, aut venditio, electione ipſius mutuantis pro tempore reſtitutionis faciendæ relictâ.

24 Dico 2. Non potuit ſine labe uſuræ à mutuatario exigi, ut ipſe pro ſingulis ſcaphis ſolvat 1. fl. 45. crucig. licèt frumentum reſtituerit, antequam valor frumenti auctus fuerit, etſi ad tempus creſcentis pretij ſervare ſuum frumentum conſtituiſſet. Ratio eſt, quòd tunc ceſſet ratio, ob quam ſolam hanc pecuniam potuerit exigere, in eo conſiſtens; quòd ſe indemnem potuerit conſervare ob lucrum ex hoc mutuo ceſſans: ſi enim ante valorem auctum reſtituatur frumentum, hoc poſtea, cum auctus fuerit valor, majore pretio poterit divendere: ergo nullum eidem tunc lucrum ceſſat, & hinc non plus aliquid poterit exigere.

25 Dico 3. Etſi mutuans revera ſervare ſuum frumentum ad tempus, quo valor cujuslibet ſcaphæ confecturus erat 1. fl. 45. crucig. atque tunc vendere decreverit; non potuit ſine uſura exigere à mutuatario, ut ſi ille poſt illud tempus ſoluturus eſſet mutuum, mutuanti reſtitueret, vel totidem ſcaphas, vel pro ſingulis 1. fl. 45. crucig. relicta facultate mutuanti eligendi ex his, quod placuerit. Ut veritas hujus aſſerti clariùs appareat, ſciendum, mutuantem apud ſe ita ratiocinatum fuiſſe, vel mutuator reſtituet mihi meas 300. ſcaphas tempore, quo valor cujuslibet ſcaphæ conſtabit 1. fl. 45. crucig. (ad quod tempus eundem tamen nolo obligatum) vel reſtituet illas mihi poſt iſtud tempus? ſi primum, nullum patior damnum, nec ullum lucrum ceſſans aderit, eò quòd conſuetum illius temporis valorem, vel frumentum in ſpecie quoad eandem menſuram ſim recepturus: ſi ſecundum: tunc vel valor frumenti tempore reſtitutionis excedet 1. fl. 45. crucig. vel non excedet? ſi excedet, debebit mihi ſolvere tot ſcaphas in ſpecie, & conſequenter recipiam aliquid ultra ſortem: ſi decreverit pretium, denuo damnum nullum patior, quia debebit pro ſingulis ſcaphis mihi ſolvere 1. fl. 45. crucig. pretium ſcilicet, quo vendere potui, & decrevi meum frumentum, atqui ita paciſci eſt uſurarium.

Probatur: mutuatarius obligatur ad reddendum aliquid ultra 26

sortem præcisè vi mutui: probatur. Obligatur ad solvendas totidem scaphas, quot acceperit, licèt singulæ majoris tunc valoris sint, casu quo eas solvere voluerit tempore crescentis pretij, sed totidem scaphæ, cùm sunt majoris valoris, sunt aliquid ultra sortem, quia valent tunc plùs, quàm antea: ergo &c.

Confirmatur Archidia: Sylvest. Angel. Tabien, Armilla citati ab Azor *p. 3. lib. 8. cap. 9. q. 4.* defendunt implicitam usuram committi, si quis rem vendat pretio, quod valet accepto, ea tamen conditione, ut si hinc ad Pascha v. g. plus valuerit, plus sibi reddatur: sin verò minùs, pretium solutum nihil minuatur, & quidem propterea, quia multò melior est conditio venditoris, quàm emptoris, cùm nihil ex pretio possit amittere venditor, emptor autem cogatur pretium augere, si pluris merces æstimatæ fuerint, atqui præsens contractus est huic similis: si enim pretium frumenti interea auctum fuerit, debebit mutuans plus reddere, quàm 1. fl. 45. crucig. pro qualibet scapha: si diminutum, de summa 1. fl. 45. crucig. nihil poterit detrahere.

Confirmatur 2. Ut ea quantitas possit recipi, cùm valor extrinsecus fuit auctus, quæ fuit tradita, debet æqualis conditio, ac periculum fuisse mutuantis & mutuatarij, ac æquè probabile, quòd mutuans sit minus quid, vel majus quid ipsa sorte recepturus: ast hoc non dabatur in præsenti casu, ubi certus erat mutuans, quòd tantum, quantum in valore dederat, sit recepturus, & simul spes aliqua aderat recipiendi aliquid ultra sortem: ex parte verò mutuatarij hæc deerant.

Dices 1. In mutuo valorem & bonitatem intrinsecam rei mutuò datæ, non autem extrinsecam, quæ datur solùm per accidens considerari: cùm ergo non plures, quàm acceptæ fuerint, scaphæ repetitæ fuerint, nihil ultra sortem redditum iri. R. dist. habetur in mutuo duntaxat ratio valoris ac bonitatis intrinsecæ, si æquali periculo lucri, vel damni exponatur tam mutuans, quàm mutuatarius, conc. si mutuans se omnino securum reddiderit, & solus mutuator sit expositus periculo patiendi damnum, *negatur*. Vi pacti hujus in nullo casu mutuans recipere posset minus quid ipsa sorte, si enim pretium tritici decreverit, recepturus erit 1. fl. 45. crucig. si auctum scaphas frumenti: ex opposito mutuans si reddere vult tempore diminuti pretij, debebit pro singulis scaphis 1. fl. 45. crucig. si cùm auctum pretium, frumentum in specie. 17

Dices 2. Etiam mutuans est expositus periculo alicujus damni: si enim mutuatarius restituat tempore diminuti pretij, vel so- 18

so pretio 1. fl. 45. crucig. contentus esse debebit, vel solo frumento, ita ut tunc eidem carendum sit augmento valoris, quod habiturus esset, si restitutio fieret tempore valoris supra 1. fl. 45. crucig. ascendentis.

℟. Non obstante hoc periculo mutuantem tamen securum ac certum fore de valore adæquante pretium, quo vendere constituerat suum triticum: mutuatarius ex opposito, certus erit, quòd sibi solvendum sit 1. fl. 45. crucig. vel in specie, vel æquivalenter in frumento: simul autem incertus, an non sit aliquid ultra istud pretium sibi persolvendum, posito, quòd tempore restitutionis frumenti pretium auctum fuerit. Ut autem liceat ultra sortem aliquid accipere adesse debet simul periculum, ne minus quid ipsa sorte recipiat; nec sufficit dare periculum, ne ipsam duntaxat suam sortem nullum autem lucrum aliud accipiat.

29 Dices 3. Excessus, quem mutuans tempore majoris valoris ultra sortem accipit, quando tot, quot mutuatæ fuerunt, scaphæ redduntur, non provenit ex vi mutui, sed ex socordia & negligentia mutuantis, si enim illo tempore restituisset, quo minoris valoris erant, non daretur ille excessus: ergo non ex mutuo, sed ex socordia mutuatarij hoc provenit; consequenter sibimetipsi imputare hoc damnum debet. ℟. etiamsi mutuatarius potuisset simpliciter restituere tempore, quo singulæ scaphæ minoris constitêre, consequenter ipse sibi aliqualiter imputare debeat excessum ultra 1. fl. 45. crucig. eò quòd solverit, cum illæ majore pretio, non autem cum minore pretio venduntur, magna tamen inæqualitas in hoc contractu intervenerat: mutuatarius enim fuit obligatus, ut si tempore restitutionis quælibet scapha valeret 1. fl. 45. crucig. debuerit solvere mutuanti totidem scaphas, vel pro qualibet scapha 1. fl. 45. crucig. relicta libertate mutuanti eligendi, quod præplacuerit: sin valor autem inferior esset 1. fl. 45. crucig. debeat solvere nihilominus 1. fl. 45. crucig. pro qualibet scapha: quod si denique valor tritici 1. fl. 45. crucig. superaret, tot scaphas in specie ac in naturâ debebat solvere: ex altera parte mutuans certus fuerat se accepturum semper esse ad minimum 1. fl. 45. crucig. pro singulis scaphis, quocunque demum tempore restitutio fieret; simul autem non modicam spem habebat accipiendi aliquid ultra 1. fl. 45. crucig. casu, quo restitueretur mutuum, dum scapha tritici plus valebit quam 1. fl. 45. crucig. ergo dabatur magna inæqualitas.

℟. 2. Tunc solùm suæ socordiæ mutuatarius excessum supra sortem ascribere debet, quando

ipsi liberum fuerat restituere triticum tempore quo minus valebat, ita ut pretio hoc minore contentus debuerit esse mutuans; quia tunc æqualitas inter mutuantem ac mutuatarium extitisset, & mutuans æque incertus fuisset de lucro ac de damno, atqui hoc in nostro contractu non intervenit, ob quem majoris damni periculum maius subit mutuans quàm mutuatarius: quin imo hic nullum omnino subiret, eò quod semper sibi solvendi essent 1. fl. 45. crucig. pro qualibet scapha, licèt hæc longè minore pretio venderetur.

CASUS VII.

De Venditione Tritici apparenter Usuraria.

CAjus vendit Sempronio expetenti, & summè indigo trecentas circiter scaphas Tritici hac conditione, ut circa tempus autumnale pro singulis scaphis sibi solvat 10. fl. 45. crucig, licèt tempore contractûs minori pretio singulæ scaphæ venirent. Ulteriùs tamen circa hunc contractum notandum, prævisum tunc fuisse, quamlibet scapham Tritici intra breve tempus prædicto pretio vendendam esse, insuper tempus autumnale emptori tanquam terminum solutionis, quem tamen prævenire posset, constitutum fuisse.

Q. 1. An Cajus ad restitutionem obligaretur, si emptorem intra dimidium justi pretij læsisset?

Q. 2. An cariùs potuerit vendi ratione lucri ex venditione cessantis?

Q. 3. Num ob periculum recipiendæ solutionis augeri pretium potuerit?

SY-

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An Cajus ad restitutionem obligaretur, si emptorem intra dimidium justi pretij læsisset?

1. *Explicatur natura Emptionis.*
2. *Ex qua essentialia cujuslibet emptionis eruuntur.*
3. *Justitia pretij non dependet à consensu solo contrahentium.*
4. *Aut à sola mercium natura, & intrinseco valore.*
5. *Sed ex statuto Principis Supremi vel Magistratûs.*
6. *Præter hoc legitimum datur adhuc aliud, quod vocatur, naturale.*
7. *Licet triticum notabiliter melius communiter vendi solito, vendere aliquantulum cariùs.*
8. *Non licet sine causis naturale pretium augentibus cariùs vendere suum triticum, etsi læsio sit infra dimidium.*
9. 10. 11. 12. 13. 14. *Satisfit objectionibus.*

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An cariùs potuerint vendi ratione lucri ex venditione cessantis?

15. *Lucrum cessans est sufficiens causa vendendi res majore pretio.*
16. *Uti etiam vis, metus, aut fraus ad venditionem compellentes.*
17. *Etiam istis non intervenientibus ob speratum majus lucrum aliàs obtinendum cariùs vendi res possunt deducta tamen æstimatione laborum &c.*
18. *Quandonam venditio sit vera causa cujusdam lucri cessantis.*
19. *Satisfit objectioni.*

§. II.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Num ob periculum recipiendæ solutionis augeri pretium potuerit?

20. Adducuntur rationes probantes ob periculum solutionis non posse augeri pretium.

21. Defenditur tamen oppositum.

22. Et superius allatæ rationes contrariæ enervantur.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum?

An Cajus ad restitutionem obligaretur, si Sempronium intra dimidium justi pretij læsisset?

1 EMptio prout ab alijs contractibus distincta, speciale quoddam pactum constituit, à plerisque jurisperitis non incommodè definitur, quòd sit *contractus Juris gentium, nominatus bonæ fidei solo consensu initus, de re, sive merce emptori tradenda, & pretio certo venditori dando.* Brevius alij dicunt, quòd *emptio sit pactio pretij dandi pro merce: venditio autem pactio mercedis dandæ pro pretio.*

2 Ex hac definitione optimè infertur, quòd ad venditionis, aut emptionis substantiam, constitutionem, ac perfectionem, necessariò requirantur consensus, pretium, & merx: hæc ex parte venditoris: illud ex parte emptoris; consensus ex parte utriusque; iste respectu mercis, & pretij tanquam cujusdam materiæ habet rationem formæ, ac necessariò requiritur vi *legis nonæ princ. ff. de contrab. emptione*; atque in eo consistit, quòd contrahentes circa rem & pretium mutuò conveniant, dum venditor promittit traditionem rei, emptor solutionem pretij, sine pretio emptionem celebrari non posse, annuant *Lex 2. ff. de contrahenda emptione, & lex 72. ff. eodem: ibi substantia emptionis consistit in pretio.* Hoc autem debet esse verum, certum, pecuniarium, & justum.

Dubium

3 Dubium nunc movetur, an hujus pretij determinatio ex particulari contrahentium consensu; aut ex ipsa mercium natura, & intrinseco mercis ac pretij valore: vel ex statuto legis, aut denique ex recepto contrahentium usu facienda sit, ut justum denique pretium alicujus mercis statuatur.

In hoc puncto est communis omnium & certa sententia, non omne statim pretium circa quod in quolibet particulari casu contrahentes conveniunt, justum esse, consequenter non esse licitum, quovis pretio emere, aut vendere. Nam *in lege 33. ff. ad legem Aquiliam: & Leg. 63. ff. ad legem falcidiam* habetur, *pretia rerum non ex affectu, nec utilitate singularum, sed communiter* (juxta communem æstimationem) *funguntur:* consequenter res tanti est æstimanda, quanti verè est, & omnibus valet, non autem ex affectu cujuslibet erga illam.

Nec ista immerito statuerunt jura: nam in contractu emptionis, uti etiam in cæteris, æquitas observanda est inter contrahentes: sed hæc consistit in æqualitate pretij cum re: ergo hæc æqualitas pretij cum re observanda erit: atqui hæc æqualitas non consistit in sola particulari conventione contrahentium super hoc vel illo pretio, cùm tam res, quæ venditur, quàm pretium, quo venditur, habeant intrinsecum quendam valorem, qui ab æstimatione hujus, vel illius mentis, vel vendentis in particulari, cùm possit esse erronea, non dependet.

4 Æquè parùm mensura justi pretij desumi potest ex sola mercium natura, & intrinseco earum, & pretij valore, quia iste ordinariè nobis est incognitus secundum intrinsecam suam bonitatem, ac perfectionem, vel secundum aptitudinem ad humanos usus, & commoda in his vel illis circumstantijs.

5 Hinc ab omnibus tenetur, determinationem justi pretij ex statuto Magistratus vel supremi Principis fieri posse, quod legitimum, hoc est, lege Principis, Magistratus, aut Reipublicæ statutum nominatur.

Præter hoc legitimum etiam naturale pretium datur, quod sine humanis legibus, ex naturis, conditionibus, & circumstantijs rerum consurgit, ac definitum à fori consuetudine, & communi contrahentium usu fuit. Ita habetur *in leg. pretia rerum 63. ad legem falcidiam.* Hujus naturalis pretij æquitas fundatur in communi multitudinis judicio: quia tanti quælibet res æstimatur, quantum pro ea communiter offerri aut dari solet, hoc modo acceptum naturale pretium rerum nequaquam in indivisibili consistit, sed latitudinem patitur: consequenter justitia ab eo nequa-

quam violatâ fuit qui intra hujus justi pretij latitudinem subsistit. His præsuppositis.

7 Dico 1. Si venditum à Caio triticum notabiliter melius fuit illo, quod communiter vendi solet pretio legitimo, aut naturali, non peccavit vendendo illud cariùs, si excessus pretij non superavit excessum venditi tritici supra communiter vendi solitum. Probatur: pretium minus legitimum aut naturale est taxatum duntaxat pro frumento inferioris notæ: ergo vendens majore, excessum tamen bonitatis non superante pretio, non commisit injustitiam, quia hanc intantum violasset, in quantum supra ordinarium pretium vendidisset.

Confir. Lopez *p. 2. Instruct. cap. 42.* Lessius *lib. 2. c. 21. n. 33.* concedunt, in nostro casu, si scilicet triticum venditum sit melius illo, quod ordinarie venditur, posse vendentem nobiliori suo tritico aliud vilius immiscere, eò quòd tunc æque bonum, & utile, ac est aliud frumentum, vendat. Ergo etiam si venditum à Caio triticum fuit notabiliter melius illo, quod communiter vendi solet pretio legitimo, aut vulgari, si excessus pretij non superavit excessum venditi tritici supra communiter vendi solitum; vendendo illud cariùs, non peccavit. Prob. conf. ideo immiscens nobiliori suo tritico aliud vilius, & vendendo istud pretio currente non peccat, quia merx est æqualis pretio, & istud adhuc est justum, atqui hoc etiam in nostro casu verificatur: prob. min. pretium ordinarium & inferius, duntaxat est justum respectu tritici vilioris: ergo cum venditum ponatur nobilius ordinariè & communiter vendi solito, licèt majore pretio fuerit venditum, hoc tamen potuit esse justum.

Dico 2. Si Caius absque cau- 8
sis, ex quibus naturale pretium crescit cariùs vendidi suum triticum, etsi læsio sit infra dimidium, peccavit, atque ad restituendum excessum est obligatus. Ita D. Thomas *2. 2. q. 77. art. 1.* cum communi.

Probatur concl. *1. ex Deuteron. cap. 25. v. 13.* prohibente, quin discrimen inter parvam & magnam quantitatem faciat, deceptionem in pondere, ac mensura item Prov. *20. V. 10. pondus & pondus, mensura & mensura, utrumque abominabile est apud Deum.* Item *Lege 6. §. 2. ff. de jure dotium habetur. quod æquo & bono non conveniat, aut lucrari aliquid cum damno alterius, aut damnum sentire per alterius lucrum.*

Probatur 2. Etiamsi læsio sit infra dimidium, per hoc tamen violata fuit æqualitas inter mercem & pretium: æqui justitia postulat hanc æqualitatem. Conf. 1. læsio infra dimidium facta in certo contractu potest multùm supe-

superare læsionem ultra dimidium in alio minoris momenti contractu factam: ergo læsio infra dimidium non excusatur ob parvitatem materiæ, etsi lædens ultra dimidium in minoris momenti contractu tenetur restituere, tenebitur etiam lædens infra dimidium.

Confirmatur 2. Nullus datur titulus, ut quiscunque excessus supra justum pretium retineatur, sed absque titulo non potest alicujus rei dominium de novo acquiri ergo &c. Probatur Maj. non potest dici, quòd emptor donaverit, quia putat esse debitum ex contractu, & valorem mercium: dein ex hoc contractu pariter est indebitum ergo &c.

Probatur 3. Si nulla lex positiva fuisset lata, quæ læso infra dimidium denegat actionem, omnes asserrent, dari obligationem solvendi hunc excessum, tanquam acceptum injustè: licèt non superet dimidium: ergo etiam datur posita tali lege. Probatur. cons. hæc lex lata nequaquam à læsione infra dimidium hanc injustitiam abstulit, sed solum actionem in foro externo taliter læso denegat.

9 Contra dicta num. 4. Ob. 1. juxta vulgare Juris peritorum axioma: *ex lege pretia rerum 63, ff. ad legem falcidiam* desumptum *res tanti est quanti vendi potest.* ergo Justitia pretij determinatur ex conventione contrahentium. ℟. dist. ant. tanti est res, quanti vendi potest licitè, ac intra limites justi pretij: aut quanti vendi potest secluſis dolo, fraude, ignorantia, violentia, necessitate, nimio affectu, vel cæca passione, concedo: quanti vendi potest extra limites justi pretij vel non secluſis dolo, fraude &c. Negatur ant. & cons.

Ob. 2. Contra dicta ejusdem 10
num. 4. Quisque suæ rei moderator est, & arbiter ergo potest alteri rem suam tradere pretio quod sibi placet. ℟. dist. ant. quisque est suæ rei arbiter, ita ut ordinariè illam non teneatur alienare, aut retinere, sed alienare vel retinere possit: conced. ut illam etiam pretio, in quo non servetur æqualitas inter hoc & mercem, distrahere possit, negatur.

Ob. 3. Contra nostram pri- 11
mam conclusionem. In cap. *cùm dilecti*: 3. & c. *cùm causa 6. h. tit.* & lege *rem majoris 2.* item lege *si voluntate 8. C. de rescindenda venditione.* Negatur actio læso contra lædentem, nisi læsio sit ultra dimidium consulti pretij, ergo &c. ℟. neg. conseq. aliud enim est, in foro externo lædentem infra dimidium non obligari ad restitutionem, nec habere in foro externo actionem, vi cujus talis lædens à judice in foro externo compellatur ad restitutionem, & aliud prædictis legibus

talem infra dimidium factam læsionem ut justam approbari, quod illud prius duntaxat fiat, ex eo constat, quia in alijs etiam materijs denegantur actiones in foro externo, licèt in conscientia peccatum fuerit, & detur obligatio restituendi. 2. Certum est, quòd mala fide, ac scienter alterum taliter lædens in conscientia peccaverit, ergo jura, ne sint injusta, fide mala factam læsionem non approbant: ergo neque approbant intra dimidium bona fide factam. Probatur cons. citatæ leges nullum discrimen inter bonæ ac malæ fidei factam læsionem facientes indifferenter ijsdem terminis de utraque in genere loquuntur, ergo &c.

12 Urgent: potuit lex humana ad vitandas lites, & animarum pericula statuere, ut læsio infra dimidium injustitia, & obligatione restituendi careret, prout videmus in præscriptione factum, R. ideo leges de præscriptione agentes aufferre dominium rei legitimè præscriptæ priori domino, non autem jus ad excessum infra dimidium justi pretij læso, quia incommoda, quæ sequi possunt in hoc ultimo, non sunt tanta, quanta sequuntur, si præscriptio non transferat dominium in præscribentem, uti patet consideranti: si enim præscriptione non transferretur dominium, multi ex divitibus subitò pauperes evaderent, & toto tempore etiam longissimo in constanti, ac perpetuo metu amittendi sua bona versarentur. Deinde in *lege 3. ff. de Usucapionibus.* Præscriptio dicitur esse *formalis acquisitio dominij* per continuationem possessionis tempore, & modo à LL. præscriptis.

Ulteriùs *l. 1. ff. de usurp. & usucapionibus.* dicitur usucapio fuisse inducta bono publico, ne diu, & ferè semper incerta essent dominia rerum: ergo præscriptio juxta legem completa ita transfert dominium in præscribentem, ut hoc certum sit; quale non foret, si dominium in conscientia non obtineret: ex his duobus fundamentis constat, præscribentem ex dispositione LL. fieri dominum; atqui nulla talis lex asseri potest pro dominio translato in lædentem infra dimidium, ergo non est paritas.

3. Multò facilius res nostras custodire possumus, quàm deceptionem in emptionibus evitare: ergo major ratio habetur transferendi dominium in præscriptionibus, quam in læsione emptionis infra dimidium justi pretij.

Urgent 2. Si hæc ita se habent, injusta erit lex, quæ læso infra dimidium actionem in foro externo denegat. Probatur seq. hac ratione non succurritur læso. 2. Foventur fraudes contrahentium, qui eò liberiùs se circumveniunt, quòd sciant læso in foro externo denegari actionem, qua ad restitutionem compelli possent. R. neg.

neg. sequelam : ratio est, quòd ob varietatem circumstantiarum, ac diversum intrinsecum valorem etiam ejusdem speciei mercium, in foro externo perfecta æqualitas exigi, aut exactissima quædam regula constitui non poterat : ne itaque ex qualibet læsione lites, æque incommoda orirentur, præfatam legem jure merito latam fuisse, tenendum est. Dein cùm pauci modò deterreantur à læsione ultra dimidium, licèt actionem ex ea sibi intendi posse prævideant, ideo hæc lex non fovet, nisi subinde tantum per accidens, reliquorum contrahentium fraudes, ac malitiam.

Ob. 4. *Scienti ac consentienti nulla fit injuria.* R. dist. ant. consentienti non fit injuria, si omnino velit, ac prorsus sponte consentiat in hoc pretium conc. si etiam involuntarium admixtum sit, ac emptor solùm consentiat, quòd minore pretio comparare mercem nequeat, licèt hoc absolutè velit, neg. ant. & cons. ut emens talem excessum donare censeatur, ultro ac sponte hunc excessum debebit dare, etiamsi ignorantiâ justi pretij non laboret, nec iniqui venditoris avaritia, minore pretio nolentis vendere, compellatur, nec denique cupiditate, aut majoris lucri spe allectus fuerit. 14

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum?

An cariùs potuerit vendi ratione lucri ex venditione cessantis?

15 INter alias causas, ob quas majore, quàm naturali pretio res nostras vendere possimus, communiter numeratur etiam lucrum ex venditione cessans, quod tunc contingere dicitur, quando vendens majus lucrum ex re sua facere posset, si hanc non venderet, cùm ergo in præsenti casu fuerit positum, à venditore prævisum fuisse, pretium frumenti intra breve tempus ad 1. fl. 45. crucig. augendum esse, cessationem lucri ex hac anticipata venditione subsecutam fuisse apparet.

Dico itaque 1. Si Cajus ad vendendum ante tempus augendi pretij per vim, metum, aut fraudem injustè coactus fuerat, potuit justè hoc augmentum exigere, licèt ementi insinuatum non fuerit, quòd ob brevi futurum pretij augmentum excessum istum 16

exigat. Probatur. cuilibet licèt à se avertere damnum injustè sibi ab altero inferendum, vel illatum: sed ablatio spei de lucro aliàs faciendo, vel hujus ipsius lucri faciendi aliàs; est aliquod damnum injustè à cogente ad venditionem illatum: ergo &c. Probatur 2. *in cap. ult. de injurijs, & damno dato, & Clement. 1. de privilegijs* statuitur, ut læsis satisfacere compellantur, qui per vim, metum, aut fraudem alterum impedierunt à faciendo alicui legato: ergo ablatio spei est aliquod damnum, quod, si injustè illatum fuit, reparari debet.

47 Dico 2. Si Gajus nulla vi, metu, aut fraude injustè compulsus fuit ad vendendum, attamen ex hac sua venditione verè aliquod lucrum eidem cessavit, exigere plus aliquid potuit, quanti scilicet speratum illud lucrum æstimabatur. Detracta tamen æstimatione laboris, periculi, vel expensarum, in ejus conservatione, ac distractione faciendarum. Ita ex communi docent Navarr. *cap. 17. n. 21. & c. 18. n. 82.* Valentia *disp. 5. q. 20. pu. 2. & 5.* Medina *de restit. q. 32.* Petrus Navarr. *3. de restit. c. 2. n. 33.* Lessius *l. 2. c. 21. dub. 4.* Molina *disp. 35. in princ.* Salas *dub. 19. n. 3. §. 8. servaturus.*

Probatur 1. Ex *cap. naviganti: ultimò de usuris* habentur sequentia, *qui pannos granum, vinum, oleum, vel alias merces, vendit, ut amplius, quam tunc valeant, in certo termino recipiat pro ijsdem, si tamen eo tempore contractûs non erat venditurus*, intellige, *non debet ex hoc usurarius reputari.* ergo &c.

Probatur 2. Merx, cujus pretium paulò pòst erit majus, jam mihi pluris est propter occasionem lucrandi, si illam servaverim, quàm si eandem quidem servaverim, nullum tamen lucrum essem facturus: ergo aliquid potero ultra ordinarium ejusdem pretium exigere, quod secluso illo sperato lucro exposcere non potuissem. Probatur consq. juxta omnes potest venditor supra justum pretium aliquid expetere, quando merx vendentis plùs valebat, vel aliquod peculiare commodum vendenti afferebat, si illam in tempus servaturus fuisset, ubi frumenti valor futurus esset major: ergo &c.

Probatur 3. Piscator quando ex suo labore aliquem fructum reportaturus esset, hìc & nunc autem eundem laborem in gratiam alterius intermittat, in compensationem hujus sui sperati lucri potest aliquid exigere: ergo etiam noster Caius.

Probatur 4. Juxta communem ab damnum emergens, quod ex venditione in gratiam emptoris factam vendens patitur, potest ultra valorem ordinarium rei venditæ aliquid exigi: ergo etiam ob lucrum cessans, quia est etiam ali-

aliquòd damnum emergens, cùm lucrum non minus sit æstimabile, quàm damnum, & cuilibet perinde sit, sive centum florenos, quos jam actu possidet, sive alios centum, quos certo consecuturus esset, amittat. item si aliquis certam spem consequendi ducentos florenos habeat, gravius huic accidet illorum jactura, quam si amittat 50. jam possessos.

13 Examinandum modò sit, in quibusnam circumstantijs venditio sit vera causa cujusdam lucri cessantis.

Circa hoc conveniunt cummunissimè omnes authores, requiri, ut merx vendita præscindendo à tali venditione verè fuisset conservanda in tempus, quo majus illius pretium erit; neque conservanda in aliud adhuc longius tempus fuisset, quo illius pretium denuo diminutum erit. Item ut pecunia, quæ tunc pro mercè persolvitur, à venditore non fuisset conservata ad illud tempus, in quo talis monetæ valor augebitur: ratio horum est, quia in tali casu nullum lucrum vendenti cessat.

Secundò, tuentur non posse communiter totum illud, quòd prævisum sperabatur, augmentum pretij exigi: ratio est, quòd illud tantum lucrum ex venditione præsente mihi cesset, quod deductis expensis haberem: ergo ex hoc lucro sperato deducenda erit summa sumptuum, ac laborum, qui in tali merce (si modò illa non venderetur) conservanda, deportanda, ac distrahenda, deberent fieri, consequenter non poterit absolutè totum, quod sperabatur, augmentum pretij exigi.

Tertiò Valentia *2. 2. disp. 5. q. 20. pu. 2. concl. 3. §. 3.* Salas *tract. de empt. dub. 30. n. 4.* requirunt, si plus exigatur, emptori à venditore insinuandum esse exigi à se aliquid plus ob lucrum aliquod cessans: probant: hac insinuatione omissâ, hujus Excessûs solutio erit ementi involuntaria, plures enim emptores nollent emere, si eisdem constaret, ultra vulgare pretium à venditore quidpiam expeti: alium etiam adirent, qui pretio currente ejusmodi rem venderet sibi, aut denique in aliud tempus emptionem differrent.

Quartò, insuper exigunt nonnulli, ut excessus pro lucro cessante, si hoc non tunc statim, sed secuturo primùm tempore emergat, ultra vulgare pretium expetitus, non statim tunc, sed etiam postea primùm ab emptore persolvatur. Probatur: si tunc statim solveretur excessus, emptor jam tunc solvendo excessum privaret se etiam jam tunc suâ pecuniâ & lucrô, quod inde habere posset, cùm tamen vendenti tunc nondum cessaret lucrum: ergo non servaretur æqualitas, quam tamen contractus exigit, volens

ut emptor non plus, quam debeat, solvat, & venditor non plus, quàm valorem suæ mercis recipiat. Dein venditor jam tunc haberet pecuniam & lucrum, quod ex pecunia habere potest; & tamen tunc nullum adhuc lucrum eidem cessaret: ergo non servaretur æqualitas.

Ex his demum colligimus, ut licitè à Cajo quælibet scapha frumenti 1. fl. 45. crucig. vendi potuerit, debuisse eidem certum, aut multùm probabile fuisse, frumenti pretium intra breve tempus ad illam, vel adhuc majorem summam elevandum esse: Dein quòd prescindendo ab hac sua venditione frumentum in illud tempus conservaturus, & tunc distracturus, & non in aliud longius, quo iterum valor diminuendus erat, conservaturus fuisset. 2. Ut adæquatum illum excessum, quem prævidit post breve tempus currenti tunc pretio adijciendum, expetere potuerit, necessarium fuit, ut in conservando usque ad illud tempus, & tunc distrahendo tritico nullæ expensæ, & nulli labores faciendi fuissent: si enim his existentibus totus excessus acciperetur, acceptum superaret lucrum cessans, cùm illud tantummodo lucrum cesset, quod expensis deductis deest.

Dices. Licèt probabiliter prævisum fuerit augmentum pretij, nihilominus periculum quoddam ex parte venditoris aderat perdendi hoc lucrum: & ob hoc periculum fuerat aliquid detrahendum: ergo adhuc non poterat exigere totum excessum pretij cum tempore futuri. 19

R. si verè aliquod periculum, vel perdendi frumenti, vel non obtinendi speratum lucrum adfuerit, ejusmodi periculi rationem habendam fuisse, consequenter debuisse inter se comparari spem lucri faciendi periculum non faciendi, ac si ambo fuerunt æqualia, nihil potuisse exigi, prout tamen potuit, si spes lucri periculô dimittendi fuerit major ita Molina *2. disp. 36. num. 6. de mutuo*, Card. de Lugo *disp. 25. n. 101.* Ratio est, quòd alias nulla æquitas servaretur, quæ exigit, ut pretium magnitudini spei respondeat, quæ tanto minor est, quanto majus est periculum non recipiendi lucrum.

§. III.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Num ob periculum solutionis augeri à Cajo pretium potuerit?

40 VIdimus in positione casûs frumentum hoc fuisse Sempronio venditum creditò, seu habita de pretio fide, ac datâ eidem solvendi morâ: cùm ergo Emptoris hujus conditio causare non immeritò timorem, ac periculum possit, ne postea facultas solvendi eidem desit; movetur quæstio, num ob hoc periculum ultra vulgare, aut legitimum pretium recipere aliquid licitè venditor noster possit in pretium damni, quod tale periculum affert. Negativam in hac lite tenent Sotus, Navarrus, Toletus, Rebellus, Conrad. Lopez, Bannez *citati apud* Salas *tract. de empt. dub.* 41. *n.* 5.

Nituntur 1. Hi authores cap. *Naviganti de usuris*: ubi hæc leguntur: *Naviganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eò quòd suscipit in se periculum recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus.*

Moventur 2. *cap. in civitate de usuris.* ubi mercatores dicuntur peccare, qui piper aut cinamomum, quæ constant quinque libris, creditò alijs vendunt, ut postea sex libras numerent.

3. Inquiunt: in quacunque venditione saltem creditò facta aliquod periculum datur obtinendi pretium: ergo pro isto semper aliquid posset exigi.

4. Cùm etiam periculum sit, ne hic excessus amittatur, etiam pro hoc iterum alius novus excessus, & sic ulteriùs pergendo, posset exigi.

5. Cùm vendens possit rem istam omnino non vendere, ergo liberè vendens, liberè quoque in se hoc periculum suscipit.

6. Cùm aliqui venditores sint ex natura sua magìs timidi, quàm alij, possent illi plus exigere, quàm isti, quia majus periculum suo judicio subeunt.

7. Tale auctarium deberet esse medium quoddam assecurationis: atqui non est tale aptum medium, quia & ipsum periclitatur.

8. Si liceret in tali casu recipere auctarium, ratio foret, quia hoc licet accipere, si prævideantur expensæ in obtinendo pretio faciendæ: hæc ratio nulla est.

Probant min. non est eadem ratio de periculo expensarum, & de periculo ipsius solutionis: expensæ etenim faciendæ sunt aliquid diversum ab ipsa solutione, periculum verò solutionis non est aliquid ab hoc diversum, cùm non aliud detrimentum, quàm ipsius solutionis afferat: consequenter omne damnum reddit, qui pretium solvit.

9. Licentia petendi hoc auctarium non probatur ex eo quòd fidejussor pro sua fidejussione ob periculum possit aliquid expetere, etsi postea ipse debitor solvat. Ratio est; quod fidejussor novam, atque à debito diversam obligationem in se recipiat: ex opposito venditor nullam obligationem exspectandi pretium diversam subeat.

10. Si subsequenti tempore pretium justum à debitore persolutum fuerit, omne malum fuit reparatum: ergo si aliquid plus superaddatur non servatur æqualitas

11 Si periculum non obtinendæ solutionis diversum quid à merce foret, & diversa ejdem solutio foret debita, etiam fur deberet ultra sublatum equum, & cætera causata damna quidpiam addere propter periculum, quod dominus equi passus fuerat ob recuperationem oblati per furem equi: atqui hoc est falsum.

Hæc ut ut probabilem sententiam hanc efficiant, oppositam tamen nobis verosimilior apparet, affirmans quando verè periculum aliquod subest non obtinendæ solutionis vendentem creditò posse augere pretium, ita sentiunt Joan: Medina, Petrus Navarr: Cordub: Arragon, Salon: Molina *tract. 2. disp. 356.* Lugo *de Just. disp. 25. à n. 80. & disp. 26.* Valent: *22. disp. 5. q. 20. pu. 2. conc. 4.* Lessius *lib. 2. cap. 20. dub. 13. & 6. 21. dub. 6.* Gibal, Santanellus. *favet istis etiam* D. Thomas *opusc. 73. de usuris c. 10.*

Probatur. molestia, timor & anxietas animi in gratiam & commodum alterius ab aliquo in se susceptæ sunt aliquid pretio æstimabile: sed pro re æstimabili licitè aliquid exigitur: ergo pro molestia, timore, atque anxietate animi potest aliquid exigi: subsumo. atqui vendens creditò alteri, apud quem verum datur periculum non obtinendæ solutionis, suscipit in se talem molestiam, anxietatem ac timorem animi, ergo pro his potest aliquid exigere: probatur major hujus argumenti, molestia corporis, item labores, aut dolores sensibiles capitis, si in gratiam alterius suscipiantur, sunt aliquid pretio æstimabile: ergo etiam molestiæ & anxietates animi, minor, & totum subsumptum etiam patent; ergo &c.

Con-

Confirmatur : valde inter se sunt diversi isti contractus , vi cujus unus vendit alteri frumentum pro præsenti pecunia , vel creditò absque tamen periculo obtinendæ solutionis : alius econtra vendit illud frumentum creditò & cum magno periculo non obtinendæ solutionis : ergo si prior potest justum pretium exigere , posterior poterit accipere aliquod auctarium : probatur cons. huic posteriori contractui est aliquod novum onus adjectum : ergo &c.

Confirmatur 2. Literæ censuales venduntur minore pretio propter periculum obtinendæ solutionis : ergo hoc est pretio æstimabile.

Confirmatur 3. Periculum amittendi pretium verè habet rationem damni , cùm virum prudentem , & nequaquam timidum reddat solicitum , molestiam non modicam ejdem creans : atqui pro damno emergente licitè aliquid exigitur : ergo &c. Quæ omnia ex solutione , quæ huic sententiæ objecta superius fuerunt , magis patebunt.

82 Ad *cap. Naviganti* enim omissis illis , quas alij responsiones afferunt , respondeo , ibidem Pontificem de illo fæneratore loqui , qui aliter vendere vel mutuum dare recusat , nisi sibi simul liceat suscipere periculum sortis aut pretij , & ratione hujus suscepti aliquid exigere : cùm tamen vendenti aut mutuatario debeat esse liberum assecurare creditorem hoc , vel illo modo.

Ad *cap. in civitate : de usuris* , reponimus illum textum huc neutiquam quadrare , cùm ibidem solumodo asseratur , ob dilationem solvendi pretij illicitum esse pluris merces vendere , quàm modo valeant , nisi dubium habeatur easdem tempore solutionis plus vel minùs valituras.

In tertio argumento , negatur , in qualibet venditione creditò facta , hoc periculum subesse : deest etenim illud , si aliquid venditori oppignoretur si debitor sit integræ fidei , experientia notissimus , aut fidejussorem afferat.

Ad 4. Dicimus Lugone *n. 84. loco citato disp. scilicet 25. sect. 6.* Quòd omnia ista , quæ pro periculo istius excessûs possunt expeti computentur jam in primo interesse , nam pro periculo pretij justum pretium censetur illud primum interesse periculosum , pro cujus periculo nihil aliud exigatur : ex quo infertur , minus quàm defacto taxetur , taxandum fore interesse , si hoc statim solveretur.

Ad 5. Dicimus , quòd vendens liberè , se quidem in hoc periculum conijciat cum augmento tamen , & aliquo excessu , ob hoc periculum liberè in se susceptum , quod licitè potest exigere , ob rationes nostræ assertionis.

In sexto loco allatam rationem solvimus, quòd mensura hujus auctarij ob periculum sortis sumenda sit ab æstimatione atque affectione prudentis, ut tantum accipi ratione periculi possit, quanti vir prudens & constans æstimaret illum metum & molestiam animi ex periculo oriri solitam: seu quanti ipse emeret liberationem ab hoc periculo: ergo ex nostris principijs malè infertur, magis timidum, ac magis anxium venditorem posse plus exigere.

In septima objectione negamus suppositum, tale enim auctarium non petitur ad assecurationem sortis, ad quem finem magis conduceret pignus aut fidejussor sed exigitur ad compensandam illam anxietatem ac molestiam animi de amittenda solutione solliciti.

Denique cùm fundamenta nostræ sententiæ non innitantur principijs in object. 8. 9. 10 & 11. ideo allatæ ibidem solutiones nobis objici nequeunt.

CASUS VIII.

De Emptione Chyrographorum, ac Nominum.

CAjo præfecto ærarij regij offertur emendum leviore pretio chirographum, vi cujus ipse Cajus ex suo ærario regio Creditori solvere tenetur 50. florenos annuos, occasione hujus casus.

Q. 1. Utrum minore pretio ejusmodi chirographum emi possit, quia ex illius emptione damnum aliquod ementi emergit, aut quoddum lucrum cessat?

Q. 2. Quid si nullum damnum eidem per accidens emergat, aut lucrum cesset, quæ tamen communiter alijs eveniunt?

Q. 3. Quid liceat, si ordinariè ac communiter nullum inde damnum, aut lucrum cessans ex chirographo detur.

Q. 4. Quid in his liceat præfectis ærarij?

SY-

SYNOPSIS.

1. *Explicatur status quæstionis.*

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum minore pretio ejusmodi chirographum emi possit, quia ex illius emptione damnum ei quod ementi emergit, aut quoddam lucrum cessat?

2. *Ob lucrum cessans, aut damnum emergens ementi, possunt minore, quàm ordinario pretio chirographa emi.*

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Quid si nullum damnum ementi eveniat, aut nullum lucrum cesset per accidens, licèt communiter hæc dentur in alijs?

3. 4. 5. 6. *Afferuntur rationes pro sententia negante.*

7. *Et asseritur etiam in tali casu posse minore pretio emi.*

8. *Solvitur prima objectio ex superiùs allatis.*

9. 10. 11. *Satisfit reliquis tribus.*

12. *Possunt tamen his omnibus positis chirographa pretio adæquante debitum distrahi, atque vendi.*

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Quid liceat, si ordinariè, ac communiter nullum tale damnum, aut lucrum cessans ex chirographo detur?

13. *Volentium etiam tale minore pretio emi posse chirographum ex communi æstimatione desumpta ratio dissolvitur.*

14. *Uti & secunda ratio, ex paritate censuum personalium mutuata.*

15. *Nec non & tertia ex eo petita, quod jus ad 100, sit minus ipsis 100.*

16. *Nec favet asserenti opinioni, quod nunquam inveniri possit pretium tali debito æquale.*

17. *Aut quod fundus sterilis ematur vilius fructuoso.*

18. *Aut fructus acerbi tantò minus valeant, quantò magis distant à tempore perceptionis.*

19. *Decidituir pro sententia negativa, quæ confirmatur authoritate.*

20. *Probatur etiam rationibus.*

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

Quid in his liceat præfecto ærarij?

21. 22. 23. *Afferuntur rationes illicitam esse talem emptionem præfectis ærarij persuadentes.*

24. *Ac demum etiam pro licentia.*

Omnibus constat passim in Europa, hunc morem invaluisse, ut certa pecuniæ quantitas apud cassas principum deponatur, vi cujus ematur jus percipiendi annuatim certos reditus seu census. Quæstio nunc in eo versatur, utrum tale chirographum minore pretio, quam sit summa debita, emere liceat. Ut autem certiora incertis præmittamus, examinabimus primò, utrum minori pretio comparari possint, si emptori aliquod dam-

damnum ex emptione emergat, quale incurreret, si in consequendo capitali aut censibus annuis expensas deberet facere, vel lucrum aliquod cessaret, in quantum expensa in alios fines sua pecunia aliquid plus lucrari posset; aut si periculum aliqnod sit amittendi ipsum capitale; vel magni labores in obtinendis annuis reditibus exantlandi, postmodum inquiremus, an si omnia ista absint, damnum scilicet emergens, & lucrum cessans, nullum periculum amittendi capitale, neque ulli labores lites aut molestiæ in obtinendis reditibus adsint, nihilominus minori pretio possint emi, cùm autem possit contingere, ut uni soli duntaxat personæ nullum damnum aut lucrum cessans ex emptione talium censuum eveniant, bene autem cæteris: vel ut omnino nulli ejusmodi chirographario, quiscunque ille sit, saltem ordinario cursu emergant, hinc quid in utroque hoc casu licitum sit, examinabimus. Denique videndum an talia chirographa ut ut licitè ab alijs minore pretio comparentur, eodem modo etiam ab ipso præfecto emantur.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum?

Utrum minori pretio ejusmodi chirographum emi possit, quia ex illius emptione damnum aliquod ementi emergit, aut quoddam lucrum cessat?

2 Dico 1. Ob lucrum cessans & damnum ementi ex emptione chirographi obveniens, diminui potest pretium. Ita communis. TT. ac Jurisperitorum. Probatur 1. quoad damnum emergens. damnum emergens est pretio æstimabile: ergo regulariter & extra necessitatem extremam, vel gravem proximi compensari potest, detrahendo tantùm ex consueto aliàs pretio rei, quanti damnum æstimatur. Probatur consequentia, æquitati non convenit, ut vel venditor, vel emptor ex contractu damnum patiatur. item juxta *Can. 4. §. 3. 10. q. 2. ratio & usus obtinet, neminem, cui non vult, contra utilitatem ac rationem cogi, de proprio facere beneficium.*

Probatur 2. In casu, quo mihi ex emptione damnum emergit, tunc idem est, ac si meum pre-

pretium, quod volo dare pro merce tantò plus valeret, ac est ipsum damnum, quod patior: sed si tantò plus valet, tunc minore hoc pretio possum comparare illud chirographum: ergo &c.

Confirmatur 1. Quando pretium oblatum pro chirographo excederet 6. florenis valorem ordinarium illius, possem repetere à venditore 6. florenos: ergo si damnum conjunctum cum pretio consueto chirographi superat valorem chirographi, possum excessum detrahere.

Probatur 3. à debitore sunt compensanda damna, quæ fidejussor occasione fidejussionis patitur: ergo etiam emptori sunt compensanda à venditore damna, quæ emptor ex emptione patitur.

Confirmatur 2. In hoc casu cupit venditor, ut ego cum damno meo chirographum à se emam: ergo possum ab illo exigere, ut mihi pro illo damno compensationem faciat, quæ fit, si aliquid de ordinario pretio mihi remittatur.

Optimè autem authores monent opus esse, ut revera damnum ex talis chirographi emptione nascatur. 2. ut damnum ex emptione chirographi resultans propter venditorem subeam, aliàs non subiturus, secus non ipse venditor causa erit, sed habebit se damnum per accidens ac impertinenter. 3. ut venditor de hoc admoneatur, diminui scilicet propter ista pretium.

Probatur nunc etiam quoad lucrum cessans. *In cap. navigantes de usuris habetur ab usura excusari eum, qui pannos, granum, vinum, oleum vel alias merces vendit, ut amplius quam tunc valeant, in certo termino recipiat pro ijsdem, si tamen ea tempore contractûs non erat venditurus.* Ergo idem tenendum erit de emptore.

Probatur 2. *juxta* D. Thomam *2. 2. q. 62. art. 4. ad 1. & q. 71. art. 2. ad 1. lucrum cessans ob etiam quoddam damnum emergens:* sed juxta dicta ob damnum emergens potest aliquid exigi: ergo etiam ob lucrum cessans.

Confirmatur. Pecuniæ emptoris ob spem illis aliquid lucrandi, jam nunc sunt plures, ac essent sine illa spe lucri: ergo non teneor ordinarium pretium pro chirographo dare.

Confirmatur 2. Si in gratiam alterius omitto laborem, ex quo lucrum possum facere; licitum mihi erit propterea aliquid ab altero exigere: ergo si etiam in gratiam venditoris privo me quodam lucro, potero aliquid propter id exigere, diminutionem scilicet ordinarij pretij.

§. II.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Quid si soli emptori, benè autem cæteris nullum damnum emergat, aut nullum lucrum cesset?

Cùm sæpiùs ejusmodi chirographarij communiter atque ordinariè multam difficultatem in obtinendo censu habeant: ex oppositio emptor per accidens solus vel omnino nullam vel modicam, major in decisione hujus quàm prioris quæsiti difficultas reperitur.

1 Pro sententia negativa facit, primò, quòd illud debitum unicè minus fiat ob periculum & damnum: ergo quando sublata hæc fuerunt, pariter sublatus erit titulus emendi minori pretio.

2 2. Argumentantur à pari: ponamus, ajunt, casum, quòd aliquod debitum creditori sit dubium atque incertum, alij autem liquidum & certum, non poterit iste minori pretio â creditore hoc debitum comparare: ergo neque talis chirographum, si alteri hoc molestias, non autem ementi causet.

3 3. Si debitum, quod amoto damno emergente ac cessatione lucri cum expensis & labore recuperandum est, secundum se minus valeret, quàm si foret sine expensis ac labore recuperandum, iniquè ageret creditor, si ab ipso debitore pro debito 100. florenorum, 100. pariter florenos reciperet, eo quòd minus valeret tale debitum, utpote non sine labore acquirendum.

4. Deberet mutuatarius pauper & infidus mutuanti etiam non petenti aliquid supra sortem promittere. Probatur. difficultas, quam talis mutuans habet in comparatione sui mutui â mutuatario, paupere atque infido augeret juxta hæc principia ipsam summam mutuò datam, ita ut hæc secundum se plus valeret: ergo &c. 6

His tamen non obstantibus dico cum Molina *tract. 2. disp. 361. n. 10.* Cardinal. de Lugo *disp. 26. n. 94.* Sal. *tract. de emptione dub. 40.* Gibal. *l. 4. de negot. hum. c. 4. art. 4. conject. 1. n 5.* Quod tale chirographum etiam in casu tali possit minoris emi, si communiter & ordinariè ab alijs absque cessante lucro, & emergente damno comparari, & haberi nequeat. Probatur. valor alicujus rei desumendus est ex communi æstimatione, qua communiter 7

niter res æstimaretur, si publicè vænalis exponeretur, non autem ex privata alicujus particularis personæ utilitate: atqui si tale chirographum, creans potissimis suis possessoribus ordinariè & ut plurimum aliquas molestias in obtinendis solutionibus, vænale proponeretur, illud minoris æstimaretur, ac emeretur: ergo à tali poterit etiam minoris emi, habita scilicet ratione pretij à communitate taxati, licèt ipse per accidens illam difficultatem neutiquam patiatur.

Confirmatur. Si emptori speciale lucrum, vel commodum ex emptione aliqua exoritur, non est licitum vendenti augere ex hoc capite pretium rei à communitate taxatæ, eò quòd non ipse venditor sit causa commoditatis ex tali emptione ementi resultantis: ergo neque in tali chirographo augendum erit pretium à communitate taxatum, eò quòd ob singulares circumstantias ementi soli proprias, illas difficultates comparans non patiatur.

Confirmatur 2. Demus, quòd & vendens & alij communiter levissimo labore absque periculo annuos reditus possint obtinere, Petrus autem per accidens difficillimo labore, & non sine periculo amissionis eosdem obtinere possit, nemo dicet, talem venditorem obligatum esse, ut viliori pretio suum chirographum ipsi Petro divendat: ergo etiam talis minori pretio poterit emere, licèt faciliore labore reditus comparare possit, quamvis eundem peccaturum contra charitatem aliqui authores censeant, si venditor per magnam inopiam cogatur vendere.

Neque infringunt conclusionem nostram, quæ sententiæ oppositæ patroni pro se attulerunt. Ad 1. enim respondeo cum distinctione, chirographum tale unicè minus fit, ob periculum damni, quod communiter & à potiori debent subire habentes tale chirographum, conc. ant. minus fit ob periculum & damnum, quod quilibet habens illud chirographum patitur in comparatione annuorum reditum: neg. ant. & dist. cons. ergo quando hoc periculum, & damnum apud communitatem & potiorem partem populi est sublatum, erit sublatus etiam titulus emendi minori pretio, conc. cons. Si tantùm apud unum, vel alterum possessorem illius chirographi, & hoc ipsum per accidens est sublatum, erit etiam titulus sublatus, neg. cons. Similia ideò minori venduntur pretio, quia ipsis venditoribus & communiter alijs periculum, & damnum aliquod imminet. manifestam instantiam habemus in equo feroci, quem minori pretio ob ferociam suam possum emere: licèt ob peculiarem, mihique soli cognitam industriam illud malum auferre valeam, & consequenter nullum in-

incommodum ex illo vitio patiar.

9 Ad 2. Negatur paritas inter debitum Creditori quidem dubium, mihi autem liquidum ex una parte, & ex altera inter damnum, quod patiuntur communiter vendens & alij, & privationem hujus damni residentem apud ementem v. g. aulicum. In hoc enim posteriore casu ipse venditor non decipitur, eò quòd sciat suum debitum esse vitiosum. In priore autem emens abutitur errore vendentis, & ignorantiâ Creditoris. Dein debitum certum in se ac liquidum ex eo, quòd Creditori sit dubium, minimè propterea fit minoris communi æstimatione, prout tamen in nostro casu contingit.

10 Ad tertiam objectionem 3. negando sequelam: ideo enim ipsi debitori non est licitum, Creditori dare minus quid 100. florenis, quos ipsi debere ponitur, ob laborem, quem Creditor habet in exigendo isto debito, quia ipse tenetur Creditorem sublevare illis incommodis, quæ in communi æstimatione tale debitum efficiunt minoris valoris: ergo ex eo, quòd debitor centum florenorum non possit satisfacere dando Creditori duntaxat 90. florenos, neutiquam infertur, ipsum laborem & expensas, in acquirendum debitum faciendas, non minuere per se pretium ac valorem debiti, si ab hoc periculum amittendi, aut damni emergentis, vel lucri cessantis absit.

11 Cùm ergo hoc ipsum dici possit de mutuatario paupere & infido, obligatum scilicet etiam istum, ut Creditorem omni labore atque expensis sublevet, ideò neque ille erit obligatus ad reddendum aliquem excessum supra ipsam summam mutuatam. Consequenter neque quarta num. 6. allata contra Nos objectio subsistet.

12 Neque tamen ex hactenus dictis legitimè judicio nostro inferetur, sequi ex illis, à Creditoribus ejusmodi nunquam vendi posse chirographa pretio debitum æquante, si in comparatione reditum, aliqua difficultas sit exantlanda. eò quòd communi usu receptum sit, ut illa tanti vendantur, quanti vendi possunt intra limites summæ debitæ.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Quid si nullum damnum, aut lucrum cessans communiter, ac ordinariè ejusmodi chirographario ex suis nominibus accedat, an &c.

13 LIcèt autem ut plurimùm Authores in hactenus decisis conveniant, majore tamen vehementia agitatur controversia, in qua dubitatur, quid agendum, si neque difficilis vel ambigua sit solutio, neque cum molestijs obtinenda, neque damnum aliquod emergens, aut lucrum cessans ex emptione alicujus chirographi oriantur. Posse nihilominus minoris emi ejusmodi chirographa defendunt *Panormitanus*, & *Innocentius in capitulum in civitate de usuris*: Cajetan. *ver. usura sub finem.* Navarrus *c. 17. n. 230.* Card. Bellarminus, Petrus Parra, Cajetanus, Gibalin.

Moventur 1. Pretia rerum juxta fundamenta prioris conclusionis desumenda sunt à communi æstimatione hominum: sed isti remotis omnibus difficultatibus, damno emergente, ac lucro cessante, minoris æstimant quælibet chirographa, quam ipsam summam debitam: ergo etiam minoris possunt emi. Responderi potest. negando minorem: ideo enim communiter atque ordinariè talia chirographa minoris æstimantur, quia communiter, atque ordinariè eadem chirographa habent annexas difficultates in acquirendis reditibus, vel periculum amissionis, aut damni emergentis, lucrive cessantis, quòd ex eo clarissimè patet, quòd interrogati causam hujus suæ minoris æstimationis fermè semper aliquam ex allatis adducant: ergo, si certum est, omnia ista esse remota, non poterunt minoris æstimari, aut emi.

Moventur ijdem 2. Communiter receptæ sunt emptiones censuum personalium; his emitur jus quoddam exigendi singulis annis certam aliquam partem sortis, seu summæ extraditæ, ita ut lapsu aliquot annorum acceptæ annuatim partes adæquent denique summam: & tamen his non obstantibus licet accipere tandem adhuc integram summam, quæ ab initio expensa fuit; si venditor voluerit tandem censum redimere; sequeretur autem in sententia opposita, non posse post acceptos aliquot annûs reditus annuos 14

nuos integrâm ſummam accipi, quod probatur: talis accipiendo integram ſummam præter partes jam antea receptas acciperet, plus quàm ipſi deberetur: ergo non eſt licitum. Probatur ant. acciperet primò totam ſuam ſummam, & inſuper cenſus annuatim acceptos æqualiter in ſortem computandos: ſed iſta duo ſunt utique aliquid plus quàm ipſa ſumma: ergo reciperet plus, cùm igitur juxta communem talis non plus aliquid acciperet, neque debitor & vendens cenſus judicetur nimiùm dare, ideò omnes judicant, debitum poſt aliquod tempus primùm ſolvendum minus valere, quàm ipſam ſummam: neque obeſt, quòd iſte exceſſus ſupra ſummam diviſim quot annis ſolvatur, eò quòd ad juſtitiam minimè faciat, ſive major ſumma detur diviſim, ſive conjunctim, ac ſimul & ſemel.

Ad hanc rationem reponunt contrariæ ſententiæ Patroni, negando ſequelam. In probatione hujus concedunt à tali Creditore plus quid recipi, & ſupra ſortem expenſam; aſſerunt autem hunc exceſſum juſtè exigi non ex eo capite, quòd jus ad recipiendam poſt aliquod tempus certam pecuniæ ſummam, etiam ſepoſito omni labore, periculo & damno &c. ſit minoris æſtimandum, quàm ipſa ſumma: ſed quia tales cenſus annui ob temporis diuturnitatem, & circumſtantiarum variationem magnis periculis amiſſionis ſint expoſiti; addunt ſecundò, tali certa ſorte non emi hanc ipſam ſortem ſuo tempore iterum reſtituendam, ſed potiùs aliquod jus ad recipiendos annuatim certos reditus: ergo ex hoc argumento nihil evinci poterit.

Moventur 3. Tunc juſta eſt 15
emptio, quando pretium adæquat mercis ipſius valorem ac communem æſtimationem: atqui ſi emam hodie 90. florenis jus percipiendi poſt annum 100. pretium adæquat valorem mercis: probatur minor. Jus ad capiendum 100. florenos poſt annos non valet tantùm, quàm ipſi 100. ergo &c. Probatur ant. omne jus ad rem futuram aliquanto minùs valet, quàm ipſa res futura: ergo etiam jus illud.

Confirmatur. In communi æſtimatione minus eſt habere actionem, quam rem. Ita habetur *Leg. 204. ff. de Reg. Juris.* neque dicas ipſos 100. florenos, non autem jus ad illos capiendos emi, te enim hæc aſſerentem ita refutabunt. Si emerentur 100. floreni, non autem ipſum jus ad hos, teneretur iſtos venditor tradere: atqui non tenetur illos tradere, neque modo neque poſt annum: ergo Creditori duntaxat tribuit jus exigendi à ſe, & percipiendi 100. florenos.

Sed etiam iſta ratio facilè diſſolvi poteſt: negatur enim minor afferens pretium æquaturum mercem,

cem, si jus percipiendi 100. emam 90. hujs probationem distinguimus. Omne jus ad rem futuram emitur minùs, quia hoc communiter conjunctum est cum aliquo periculo, damno, vel alijs difficultatibus; conceditur, si ista etiam omnia absint, negatur. vel igitur adversarij volunt omne jus etiam ad rem de præsenti tradendam esse minoris æstimandum ipsa re tradenda: vel asserunt jus ad rem futuram esse minoris? non primùm, aliàs possem jus ad extradendos quantocius 100. florenos emere 90. sed neque secundum, prout in probatione contrariæ opinionis videbimus. Confirmationem quod attinet ℟. sermonem in jure ibidem esse de actionibus litigiosis, incertis, ac plurimam difficultatem sibi conjunctam habentibus, quas etiam isti authores minoris valere asserunt, quàm ipsam rem.

16 Moventur 4. Pretium justum & æquale mercis potest inveniri: atqui nunquam poterit inveniri pretium æquale debito: ergo pretium æquale debito non erit justum. Probatur minor. non poterit aliquis inveniri, qui 100. florenis emat chirographum 100. florenorum: ergo &c.

℟. Dist. minorem & hoc ideò, quia ejusmodi chirographis semper annexæ sunt difficultates, pericula &c. Concedo minorem, si certò constet non esse hæc illis annexa nego min. & conf. cæterum, si hæc ratio valeret, sequeretur justè aliquid exigi in mutuo supra sortem, non enim aliquis facilè invenire poterit, nisi sit amicus, aut misericors in alios, qui alteri pecunias mutuas gratis elocet.

Moventur 5. Fundus sterilis & 17
infructuosus minori pretio emitur, quàm fœcundus: ergo etiam hoc jus erit minoris æstimandum, quàm ipsi 100. floreni. Prob. cons. 100. floreni sunt aliquid utile atque fœcundum: jus verò ad illos aliquid sterile: ergo &c. ℟. 1. hoc argumentum manifestè solvendum in mutuo, in quo obligatio, quam mutuatarius contrahit, est vel maximè sterilis, ℟. 2. in forma. Fundus sterilis minoris emitur, & hoc ideò, quia fertilis dat fructus, quo carere debemus, quamdiu ager est sterilis, con. ant. præscindendo ab hac ratione. nec. ant. & dist. cons. ergo etiam jus erit minoris æstimandum, si ponatur ex carentia pecuniæ locatæ eventurum aliquod damnum con. cons. si nullum eveniat, uti in casu supponitur, nego. cons. in ipsa quæstione fuit positum, ex dilatione solutionis non deesse aliquid elocati pecunias.

Movetur 6. Quando fructus 18
adhuc sunt acerbi eò minùs valent, quo magis distant à tempore perceptionis, ubi sunt maturi: ergo etiam, dum tale jus adhuc multùm distat à sua matu-

ritate

ritate, illo scilicet tempore, quo solvi debet, valebit minùs.

R. Neg. cons. ideò enim fructus virides & immaturi minùs valent, quia sunt quamplurimis adhuc periculis subjecti. Dein effectus fructuum maturorum est utique longè melior. Econtrariò ponitur Creditorem ex dilatione solutionis nullum periculum pati, præterea pecunia sive hodie accipiatur, sive post annum in se non sit melior, nec habet majorem valorem.

19 Solvimus hucusque præcipuas rationes sententiæ oppositæ; superest, ut etiam nostræ opinionis fundamentum afferamus: Judicamus itaque, ejusmodi nomina nequaquam minori pretio emi posse, si neque difficilis, neque ambigua sit solutio, neque cum molestijs obtinenda; neque damnum aliquod emergens, aut lucrum cessans ex emptione alicujus chirographi oriantur. pro *hac* à Molina *de contractibus tract. 2. disp. 361. citantur* Conradus *de contractibus q. 67.* Joan: Medina *de restit. q. 38. dub. ult.* Sotus *6. de Just. quæ 4. art. 1. ad 3.* Major *in 4. dist. 15. q. 40. argum. 7.* Gabriel *ibidem quæ 11. art. 3. dub. 4.* Angel *V. usura n. 63. & 64. Sylv. verbo usura 2. q. 14. hanc ipsam tenent* Lessius *l. 2. de empt. & vendit. c. 21. dub 8. n. 71.* Sotus *6. de Just q. 4. art. 1. ad 3.* Valentia *2. 2. disp. 5. q. 20. concl. 5.* Lugo *disp. 26. n. 96. Haunold tract. 10. de jure & Just. controv. 14. n. 103.*

Rationibus nostra conclusio 20
probatur sequentibus; si remotis omnibus difficultatibus & periculis circa solutionem, etiamsi non detur lucrum cessans aut damnum emergens esse dilatione solutionis ad tempus constitutum, licitè emeretur anticipato tale debitum pretio minore, ratio foret, quia jus percipiendi aliquid in futurum etiam in his circumstantijs minoris æstimandum est, quàm sit ipsa summa pecuniaria: atqui non est minoris æstimandum: ergo non valet minus.

Min. prob. 1. Si jus ad solutionem summæ in futurum minus valeret, quàm ipsa summa, liceret in mutuo aliquid supra sortem exigere. prob. si à mutuante nihil accipiatur supra sortem, habet ille minus quam sit datum: ergo licet aliquid supra sortem accipere; in commutatione etenim, qualis habetur omnis contractus mutuus, debet observari perfecta æqualitas. prob. ant. à mutuante accipitur jus ad recipiendum post certum tempus 100. florenos v. g. à mutuatario autem accipiuntur ipsi 100. floreni: sed juxta principia adversariorum hoc jus est minus quàm sit ipsa summa: ergo mutuans accipit minus: ergo cùm in mutuo liceat accipere tantum, quantum mutuatur, licebit mutuanti acci-

accipere aliquid supra sortem, atqui hoc est contra omnes: ergo etiam prius.

Prob. eadem min. 2. Jus ad recipiendos actu de præsenti 100. florenos non est minus quid, quam sint ipsi 100. floreni: ergo neque jus recipiendi aliquid in futurum. prob. cons. si posterius jus minus valeret, quia est in futurum, valeret etiam minus in ipso mutuo: atqui hoc esse falsum primò ostendimus: ergo &c. Neque dicas cum Gibalin. *lib. de negot. bum. c. 4. art. 4. conset. 1. n. 3.* Disparitatem inter mutuum & alium contractum esse, quòd priori dilatio solutionis sit intrinseca essentialis, non autem alijs contractibus, si ergo in mutuo aliquid supra sortem acciperetur, fieret hoc propter mutuum, ob quod tamen aliquid plus accipere est illicitum; ne, inquam, hoc dicas. Si enim dilatio intrinseca contractui non minuit pretium, nulla ratio potest dari, quare illud minuat extrinseca dein rationes, quæ juxta adversarios probant in venditione talis censûs futuritionem solutionis efficere ipsum tale jus vilius, pariter procedunt de jure ad futuram solutionem, ubi futuritio est intrinseca, ergo si nihil licet accipere supra sortem ubi futuritio est intrinseca contractui, prout contingit in mutuo; optimè infertur jus ad solutionem in futurum non esse vilius, si enim tale jus foret vilius, liceret aliquid accipere supra sortem in mutuo, cùm ideo duntaxat id sit prohibitum, quia alias in illa commutatione non servaretur æqualitas inter acceptum & traditum. Optimè denique disparitatem istam inanem demonstrat *capitulum in civitate 6.* de usuris affirmans injustitiam committi casu, quo emptor comparet quinque pondo, postmodum verò ob dilatam solutionem solvat sex, ubi de alio contractu, quàm mutui sermonem haberi ex eo deducitur, quod ibidem dicatur, hujusmodi contractum ex sua forma non esse usurarium.

Probatur eadem min. ulterius 3. argumento, quod insinuat Molina, loco citato, si jus ad recipiendum 100. abhinc post annum modo non valet 100. casu quo à me hodie exigantur 100. potero in contractu mutui exigere aliquid ultra sortem: sed hoc est *falsum*: ergo & prius prob. Maj. *licèt* aliquid exigatur ultra sortem, adhuc tamen dabitur æqualitas inter datum & acceptum: ergo id licebit. prob. ant. datum conficit 100; acceptum verò est jus ad 105, sed inter hæc datur æqualitas: ergo inter datum & acceptum dabitur æqualitas. prob. min. juxta adversarios jus ad 105. post annum primùm solvendos est minus, quàm sint ipsi 105. post annum solvendi: ergo inter datos à mutuante 100. & accep-

tum

tum ab isto jus ad 105. datur æqualitas : ergo poterit in mutuo aliquid ultra sortem exigi, quod tamen communi opinioni repugnat. Item licitè potero dicere nolo tibi mutuos dare 100. florenos, sed emam à te jus recipiendi post annum à te 100. florenos ; quia autem hoc jus minus valet, prout adversarijs placet, quàm centum ideo emam illud jus à te modo 90. florenis sed talis contractus manifestè est usurarius : ergo &c.

Probatur etiam 4. Sequeretur, quòd etsi valor pecuniæ hic & Parisijs foret æqualis, neque ullum periculum aut labor in trajectione pecuniæ Parisios ; insuper nullum adesset damnum emergens, aut lucrum cessans, possem tamen hìc plus quàm 100. florenos accipere, ut Parisijs 100. floreni redderentur : at omnes hoc ut illicitum reijciunt : ergo jus ad aliquid in futurum solvendum secundum se non est minus, quàm ipsa summa recipienda.

Istæ plurésque aliæ rationes, quæ in rem nostram legi possunt apud Molinam *de contractibus tract. 2. disp. 362.* Videntur clarè evincere jus ad certam summam in futurum solvendam remotis omnibus difficultatibus, periculo amittendi summam, & reliquis superiùs insinuatis non esse vilius, quàm ipsam summam.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum?

Quid in his liceat Præfectis ærarij?

21 CUm igitur ex dictis constet, quandonam licitè minori pretio vendantur similia chirographa, & quando illicitè ; videndum, denique quid in hac re ejusmodi præfectis ærarij regij concessum sit, respectu debitorum, quæ annuatim ex cassa, cui præsunt, solvenda manent.

Et primo quidem illicitam esse talem emptionem hac ratione probatur. ipse mutuatarius, qui est princeps, non potest minori pretio emere similia chirographa ob difficultates, quæ in solutione illorum communiter haberi assolent, eo quòd ipse mutuatarius ex justitia teneatur amovere istas difficultates. Uti cum communi docet Cardenas *in Crisi Theologica dissert. 25 cap.* Ergo neque poterit ejusdem præfectus, cùm hic eandem cum principe personam gerat.

Secundò vel talis minister empto alterius chirographo peotst si- 22

bi facere solutionem ex pecuniis principis, vel non potest sibi illam facere? Si potest sibi illam facere, poterit & debebit etiam alijs debitoribus: ergo etiam illi, à quo chirographum minori pretio emit: ergo si hoc non faciat, injustè alterum cogit ad vendendum sibi chirographum leviori pretio: sed neque potest dici, quòd illam solutionem sibi non possit facere, in quem enim alium finem illud ab altero emit; certè nullus ejusmodi præfectorum communiter ita prodigus suarum rerum deprehenditur, ut chirographa emat, quando certo illi constat omnem spem eadem solvendi præcisam esse.

Neque dicas posse contingere, ut aliquibus debitis solvendis ærarium regium sufficiat, non autem omnibus, & in hoc casu licitum esse præfecto suum debitum ante cæterorum accepta solutione expungere. Contra enim est, si ejusmodi præfectus non potest omnibus Creditoribus integram solutionem facere, præferendi sunt illi, qui propter hypothecam prælationis jus habent, vel alia quacunque ratione, aut si omnes sunt æqualis conditionis, erit omnibus aliquid dandum & detrahendum cum proportione, ut habeatur ratio quantitatis cujuslibet debiti.

23 Tertiò. illa emptio est illicita, quæ cedit in detrimentum publicum: sed ejusmodi cederet, probatur minor, talis emptio ejusmodi præfectis suppeditat occasionem, atque illicium negandi solutiones debitas, quas ideò denegant, ut alij ex difficultate annuos reditus, quibus indigent, recipiendi compellantur ad vendenda viliori pretio eisdem chirographa: dein cùm tales præfecti propriam solutionem anteponant alienæ, casu quo ipsimet multis chirographis abundent, privantur interea alij, cùm ad satisfaciendum singulis ordinarij cassa principis non sufficiat.

Pro opposita tamen sententia, dante licentiam ejusmodi præfectis ærarij emendi talia chirographa, si ultrò à Creditoribus offerantur emenda, facit, quòd talis præfectus non debeat esse pejoris conditionis, quàm alij: ergo si alij possunt emere, comparare illos etiam poterit ejusmodi præfectus.

Limitant tamen ista sub conditione, nisi ipse præfectus aut principalis debitor sit causa, ut Creditor vendere velit, præbendo se difficilem in solutione: talis enim deberet hanc difficultatem tollere, & præferre, solutionem fore facilem tempore constituto: ex eo enim, quòd alij non sint hujus difficultatis causa, ideò isti poterunt minore pretio emere, astruunt autem hanc licentiam in istis terminis Navarra *cap. 17. n. 230.* Fagundez.

dez. Tambur. Leſſius *lib. 2. cap. 21. n. 70.* Burgh. *cent. 1. caſ. 50.* Lugo *101.* Sporer *n. 50.*

Ad rationem 1. Loco in favorem prioris ſententiæ negantis allatam reſponderi poteſt, ex illa ſequi, principalem debitorem non poſſe talia chirographa emere, ſi ille ſit in cauſa & mora culpabili omiſſæ ſolutionis, quòd ſi autem difficultas ſolvendi non proveniat ex parte & culpa principalis debitoris, non apparet ratio, quare id ipſum ejdem ſoli ſit prohibitum,

Ad 2. Rationem reponi poſſet, talem Præfectum nolle ſibimetipſi præſtare ſolutionem, niſi tantam, & illo tempore quantam, & quo tempore tali chirographario venditori poſſet ſolvere, uti & alijs æquale jus ad talia debita habentibus, conſequenter ſemetipſum in ſolutione proprij ſui debiti, à ſe alijs nequaquam præferendum eſſe.

Dices. Si certa vel probabilis eſt ſpes ſolutionis, venditor non habet cauſam vendendi. Si autem hæc ſpes probabilis deſit Præfectus non emet, niſi habeat voluntatem ſolvendi ſuum debitum omiſſis alijs. Sed reſponderi ad hoc poteſt, poſſe haberi probabilem, non tamen ſine omni formidine ſpem aliquam ſolutionis : chirographarium autem ex alijs rationibus indigere præſenti pecunia, & ultrò Præfectum, ut emat, adire.

Ad 3. Rationem : R. etſi in hoc caſu poſſet abſolutè licita eſſe talis emptio Præfecto, eſt tamen illa plena periculo, eo quòd exorta difficultate ſolutionis alijs chirographarijs præſtandæ omnino timendum, ne Præfectus ſe in ſui debiti ſolutione alijs præferat.

Videtur igitur ſpeculativè loquendo licita eſſe talis emptio ejusmodi Præfectis : in praxi autem ob proximam occaſionem quam plurimas injuſtitias committendi non facilè ſuadenda.

CASUS IX.

De Commissario, minori, quàm jussus fuerat pretio frumentum comparante.

COmmissarius Bellicus jussus à suo principe pro exercitu emere 1000. Scaphas tritici, singulas pro novem, emit istas pro septem, sibi applicans residua duo millia florenorum tanquam fructum suæ industriæ, post aliquod tempus, cùm videret triticum antea emptum non ampliùs exercitui necessarium esse, vendit illud confœderatis suo principi ducibus, & quidem singulas Scaphas pro duodecim, circa hanc tamen venditionem, nullum eidem pretium à suo principe taxatum fuerat Commissario: ex his iterum sibi 3000. Florenorum tanquam fructum industriæ retinet, suóque Principi 9000. Florenorum, quæ ad 1000. Scaphas comparandas ab initio acceperat, & non plures, restituit.

Q. 1. Utrum, qui jussi fuerunt certo pretio res vendere aut emere, possint sibi retinere excessum, quo illas pluris vendiderunt, aut viliùs emerunt?

Q. 2. Quid de hoc nostro particulari casu sit pronuntiandum?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum, qui jussi fuerunt certo pretio res vendere, aut emere, possint sibi retinere excessum, quo illas pluris vendiderunt, aut viliùs emerunt?

1. *Excessus pretij justi parti lesæ est restituendus.*

2. *Domino autem ex ignorantia pleb. quàm merces valet, famulo ad emen-*

emendam aliquam rem suppeditanti.

3. Ementis nomine alterius aliquid varia potest esse conditio.

4. Varios modos, quibus res comparanda, præscribere Dominus suo famulo potest.

5. Vendens, aut emens aliquid nomine alterius ultra vel infra pretium sibi assignatum, non potest per se excessum sibi appropriare.

6. Neque ex titulo donationis.

7. Neque ex titulo proprietatis.

8. Neque ideo, quia rem illam sibi prius emit, carius dein alteri vendendam.

9. Neque ex titulo mercedis

10. Neque ut fructum propriæ industriæ.

11. Ex circumstantijs, in quibus excessus à negotiatore tali retineri subinde potest, est extraordinaria illius in negotiando industria.

12. Vel quia rem sibi à Domino traditam industria non debita melioravit.

13. Aut illam antea pro se emerit.

14. Aut principalis vendens expresè, vel tacitè negotiatori excessum hunc donaverit.

15. Quæ tamen non semper præsumenda.

16. Neque licitè excessus semper retinetur, eò quòd nemo gratis censeatur servire.

17. Aut quod negotiator potuerit rem vendere, non tamen voluerit offerenti minus, sed vendiderit offerenti majus.

18. Hinc Commissarius noster excessum 3000. florenorum ex venditione frumenti confœderatis facta pro se retinere non potuit.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Quid de hoc nostro particulari casu sit pronuntiandum?

19. Uti nec illum, quem antea ex emptione tritici minore pretio facta.

20. Quibus non sunt contraria, quæ Busenbaum habet hìc dub. 8.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum, qui jussi fuerunt certo pretio res vendere, aut pro alio emere, possint sibi retinere excessum, quo illas pluris vendiderunt, aut vilius emerunt?

1 PRo Solutione Quæsiti 1. Notandum est, pretium rei aliud esse justum, aliud injustum: justum præterea vel esse summum, medium aut infimum, quòd si res sit empta majore, quàm fuerit justum pretio, aut vendita majore, certum est omnibus, hunc excessum injustum parti læsæ restituendum esse, non autem Domino, cujus nomine res empta vel vendita injustè fuit, consequenter neque à Commissario retineri poterit.

2 Certum est 2. Si jubens suo nomine emere aliquid, ex ignorantia, & errore judicavit, rem emendam tanto valere pretio, quantum alteri suo nomine ementi ad illam rem comparandam dederat, res autem tanquam minus valens inferiore pretio empta fuerit, residuum restituendum Domino esse, cùm in excessum ut applicandum ementi nec tacitè nec expressè consenserit; in casu autem venditionis res, quantum valet suo domino valeat.

3 Sciendum est 3. Qui alterius nomine aliquid vendit, vel emit, posse esse aut famulum mandatis, aut in hunc finem mercede ab hoc conductum, aut gratis ad hoc officium se obtulisse, vel amicè rogatum condixisse suam operam; & quidem vel in talibus circumstantijs, in quibus Dominus nullj, alij suo famulo hoc officium committere potuit aut voluit, vel taliter, ut Dominus suo famulo aut alij mercede in hunc finem conducto hanc emptionem aut venditionem demandâsset, nisi ille Commissarius asseruisset se gratis hoc officium ejusmodi Domino præstiturum esse

Sciendum 4. Posse Dominum 4 indeterminatè suo Commissario dicere, ut justo pretio hanc suam rem vendat, vel illam emat, vel aliquod determinatum pretium explicitè addere. His præmissis,

Dico: per se non potest is, cui 5 aliquid vendendi aut emendi negotium datum fuit, retinere, quod supra expressum à Domino pretium ex re vendita redegit, neque sibi applicare excessum, qui remanet & redigitur ex minori, quàm quod

quod à Domino expressum fuerat, , pretio, in rem emptam expenso. Ita communiter cum communi sentiunt Major Sylvester, Conradus, Petrus de Lederma Navarrus *in manuali c. 23. n. 97.* Saa. *venditio n. 11.* Molina *tract. 2. disp. 363. n. 1.* Salas *tract. de empt. dubit. 45. n. 2.* Lugo *disp. 26. sect. 9.* Palao. *de justitia commutativa disp. 5. puncto 16.* Tamburin. *l. 8. tract. 3. §. 9.* Sporer. *parte. 2. tract. 6. cap. 5. sect. 1.* Lessius *l. 2. c. 21. dubitat. 19.* Illsung *tract. 4. disp. 2. q. 8. a 1. §. 2.* Taberna. *tract. 2. cap. 14.*

Probatur Conclusio ratione. hujusmodi agens nomine alterius, quem vocamus Commissarium, non habet titulum retinendi pro se hunc excessum seu residuum: ergo non potest sibi retinere. probatur anteced. si haberet titulum retinendi, tunc iste vel oriretur ex titulo donationis, vel ratione proprietatis; vel quòd rem taxato pretio vendendam sibi ipsi hoc pretio emerit, ac postmodum ut suam carius vendiderit, aut denique ex titulo mercedis: sed ex nullo horum habet titulum, ergo &c.

6 Probatur primum membrum minoris. Si ratione donationis excessum retinere posset, tunc ideò, quia dominus definiens pretium, voluit isto contentus esse, & reliquum Commissario donare: atqui hoc est falsum. Probatur minor. ejusmodi designatio pretij ordinariè solum sit, ne infra illud pretium vendatur, aut suprà illud ematur; non verò, quòd Dominus nihil ultrà desideret: ergo &c.

Confirmatur, nemo censetur velle prodigere rem suam: ergo definiens pretium non censendus est voluisse residuum donare commissario.

Sed neque ex titulo proprie- 7
tatis aliquid retinere potest. Probatur, res vendenda quamdiu non fuit alienata & tradita, adhuc est Domini, qui vendendam tradidit: ergo proveniens ex re vendita tanquam sibi propria, lucrum neutiquam retinere poterit ex titulo & jure proprietatis. Confirmatur, Mediator ille negotium, & partes domini rei agebat: ergo ad rei dominum spectare debet emolumentum aut detrimentum.

Neque etiam tertiò potest di- 8
ci, quod jussus aliquid vendere definito pretio, rem istam statim sibi hoc pretio emerit, majore autem alteri, ut suam vendiderit vel viliore pretio ab alio sibi emerit, postmodum verò, ut suam cariore pretio vendiderit Domino, consequenter lucrum reportatum retinere possit, tanquam factum ex re sua, probatur, voluntas domini regulariter non est, ut solùm pretio designato vendatur, sed ut tanto, quanto potest: ergo non videtur in hanc emptionem ut faciendam in istis circumstantiis consentire, consequenter nulla intercedit venditio.

Pro-

Probatur 2. vel talis Commissarius sibi emens ejusmodi rem est ita constitutus, ut si rem postea non possit aliis vendere pretio â Domino definito, sed minore, paratus nihilominus sit restituere domino pretium definitum, & ex suo residuum addere; vel non est ad hoc paratus? item vel vult etiam in se suscipere periculum illius rei, si fortè interea perierit, vel hoc non vult? si hæc onera in se suscipere non vult, prout ordinariè non vult, non potest dici, quòd sibi illam emerit.

An autem volens in se hæc onera suscipere, & quando rem talem sibi emere possit, inferiùs num. 13. declarabimus.

9 Sed neque potest illum excessum retinere titulo mercedis, vel enim is, cui emenda vel vendenda definito pretio res concessa fuit, est famulus committentis; vel mercede ad hoc est constitutus; vel gratis in se suscipit venditionis laborem tanquam amicus? sed nullus horum potest hoc facere: ergo. non primi duo; eò quòd famulus aliunde jam sit ad hoc obligatus, alteri verò ponatur jam alia fuisse merces constituta. Sed neque tertius, eò quòd gratis tanquam amicus vel volens præstare Beneficium in se negotium susceperit.

Confirmatur subinde & à potiori excessus ille superat quantitatem mercedis: dein etsi ponatur huic esse æqualis, non tamen est licitum, ut vendens sibimet ipsi compensationem occultam faciat, sed tenetur pretium tanquam fructum rei venditæ Domino repræsentare, ac dein actione negotiorum gestorum stipendium laboris petere, occulta enim compensatio tunc solùm haberlocum, quando omnis alia via præclusa est suum debitum obtinendi.

Nec denique 5. Ut tuæ indu- 10
striæ fructum: eò quod hanc vel gratis obtuleris, vel pro pretio locaveris, aut ut famulus ad hanc aliunde fueris obligatus; in quolibet autem casu ex istis circumstantijs annuisti, & saltem tacitè promisisti, te velle ejus nomine & commodo per moralem diligentiam utiliter rem alterius emere, quanto minoris potes, vel vendere quanto majoris potes; ergo nullum industriæ fructum expetere poteris.

Confirmatur nostra conclusio ulteriùs etiam ex hoc. tota res vendenda, quantum justè valet, & veluti fructificat, domino valet & fructificat: ergo cùm Commissarius non suo nomine sed alterius rem illam vendiderit, totum pretium alteri & non sibi acquisivit: ergo nihil ut suum retinere potest. Confirmatur 2. Dejgnus pretium, infra quod res sua non sit vendenda, vel ultra quod non sit aliena emenda; non hoc ipso consentit in ablationem hujus sui juris: ergo cùm absque consensu in oblationem hujus sui juris habeat

beat jus ad totum pretium rei suo nomine vendendæ, vel ad partem pretij pro re emenda non expensi, ideo hoc jus adhuc retinet: ergo non potest Commissarius hunc excessum sibi retinere.

11 Hucusque ostendimus per se non posse excessum pretij definiti à Commissario retineri, interea tamen agnoscunt Authores esse possibiles quasdam circumstantias ac titulos, in quibus aliquid retineri possit. Primus horum potest esse extraordinaria & major, quàm debebatur, vel gratis oblata, aut promissa fuerit in vendendo, atque ultra intentum domini ascendens industria, ac labor: qualis industria indebita judicatur fuisse adhibita, si jussus vendere in loco, in quo pretium à Domino taxatum non invenit, aut non nisi taxatum invenit, transferat rem in alium locum valde distantem, ubi majus pretium invenit. In hoc enim casu excessum supra pretium taxatum permittunt Commissario Gabriel *4. dist. 15. q. 10. art. 3. dub. 4.* Graffis, Saa, Molina & Salas.

12 Item si Commissarius rem à domino sibi traditam industriâ non debita melioravit. Ratio hujus est, quia tales personæ non tenentur, nisi ordinariam & moralem diligentiam adhibere: cùm ergo hæc ponatur esse extraordinaria, ideo illam adhibens non intendit Domino, sed sibi negotiari: ac licèt hoc non obstante res pro Domino vendatur, aut ematur, quocunque portetur, & sic Domino suo fructificet in rigore: censetur tamen Dominus rem suam alteri vendendam tradens ab hoc solum expetere pretium vulgare in suo territorio per moralem, & ordinariam diligentiam acquisitum, cætera verò remittere Commissario, saltem non curare, præsertim quoad lucrum non nimium excedens. Ita Tamburin. *c. 7. §. 9. n. 10.* quæ tamen omnia justissimè limitat Card. de Lugo *n. 150. loci citati*, dum asserit, industriam extraordinariam & meliorationem indebitam debere esse æquales excessui pretij, si enim excessus pretij major sit, non apparebit titulus, quo retineri possit, cùm ponatur alteri, non autem sibi negotiatus fuisse Commissarius.

Alter titulus retinendi excessum 13
potest esse emptio, si scilicet is, cui vendenda res à Domino fuit commissa, sive fuerit famulus, aut mercede conductus, sive gratis suam operam obtulerit, eam prius pro se verè emerit, postea verò cariore pretio vendat alijs. Ita censet Lessius *l. 2. c. 21. n. 139.* Salas *cit. dub. 45. n. 3.* Lugo *n. 150.* Gibalin. & alij. Ratio est, quòd talis rem emptam suam fecerit; vendens autem rem suam faciat etiam pretium suum, ut autem rem hanc sibi emere possit Commissarius, requiritur, ut priùs moralem diligentiam adhibuerit in

quærendo majore pretio, si definitum à Domino infimum, aut medium non excedat, & tunc si invenit majus, poterit eodem ipse emere: vel si majus non invenit, emere illo expresso; & postea si majore vendiderit, excessum sibi acquiret: sicuti idem ipse damnum pateretur, si non nisi minore, quàm quo ipse emerat pretio, postmodum vendere debuisset. Neque dicas, non posse famulum mercede conductum, aut amicum gratis suam operam offerentem, his quoque observatis rem sibi emere, etiam secluso speciali pacto, vel mandato contrario: cùm enim Domino parùm intersit, quis emat, dummodo justum pretium, quantum adhibita diligentia sufficienti potest, ex venditione redigatur: insuper non teneatur Commissarius se neglecto alios præferre, istisque lucrum cedere, quod ex emptione isti facere possunt, non apparet ratio illicitam Commissarijs hanc emptionem faciens.

14 Tertius titulus retinendi excessum supra designatum rei venditæ pretium est expressi, vel tacita conventio, vi cujus Dominus se monstrat contentum designata pretij quantitate, cedereque excessum, si quis foret, Commissario: in hoc enim casu pro titulo habetur gratuita donatio à Domino rei facta.

15 Dubium solummodo remanet, quandonam hæc tacita conventio in Domino præsumenda sit? circa quod certum videtur, & communiter à Doctoribus, aut supponitur, aut expressè pronuntiatur, non esse illam præsumendam, quando famulus, vel conductus pretio ad vendendum, vel emendum servit; eò quòd isti uti jam insinuatum fuit, aliunde suam mercedem accipiant. Insuper rem illam non suo, sed alterius nomine vendentes non potuerint ejus pretij partem sibi acquirere, sed totum ei, cujus nomine contractum celebraverant, acquisiverint. Neque aliquid pro talibus Commissarijs facit, quòd pretium Dominus definiverit, eò quòd per hujus designationem Dominus exprimere solùm velit, nolle se, ut infra illud vendatur. Quare non audiendus hic erit Angelus verbo *emptio* absolutè asserens, excessum semper esse Commissarij vendentis, si Dominus pretium determinaverit non obstante pretio, quod *pro suo* labore aliunde accipiunt, eò quòd judicet, hoc pretium solummodo dari pro inveniendo emptore determinatum illud pretium dante.

16 Tota igitur difficultas ad eos devolvitur, qui nullo conducti stipendio rem vendendam accipiunt: quos inter adhuc discrimen est faciendum: vel enim ipsi ultrò, & gratis suum officium ad ista obtulerunt; vel ex officio sibi proprio proxenetas agunt; quòd

quòd si proxenetæ res vendenda cum definito pretio fuerit concredita, nullum tamen stipendium eidem constitutum fuerit, ex hoc pacto excessum supra taxatum pretium proxenetæ concessum fuisse judicant Graffis, Petrus Lederma, Conrado, Navarrus, Salas, Card. Lugo, Palao. Ratio hoc asserendi solet esse, quod Dominus benè sciat, talis conditionis personas suam vitam sustentare consuevisse ex ejusmodi venditionibus: ergo si nullum eisdem stipendium determinavit, excessum loco mercedis eisdem condonâsse præsumitur. Illos quod attinet, qui ultrò sua obsequia etiam gratis obtulerunt, vel isti sunt tales, ut Dominus facilè advertere potuerit, illos, licèt suam operam gratis offerant, occultam tamen compensationem facturos esse, eò quòd vel nimiùm sint pauperes, vel non vulgarem laborem susceperint, & tunc tale pactum & condonatio excessùs præsumi poterunt; vel non sunt ita constituti, & tunc, si gratis sua obsequia obtulerint, etiam gratis debebunt illa exsolvere.

Objiciet hìc aliquis. Qui gratis suam operam promisit, & dein excessum retinet, futurum illum mendacem quidem, sed non injustum. Sed contra est, vel Dominus loco hujus suam operam gratis offerentis potuisset facilè invenire alium v. g. servum, aut amicum, qui non tantùm gratis obtulisset, sed etiam gratis præstitisset suam operam; vel hujus gnarus ipse Dominus per se ipsum peregisset hæc omnia? si hoc ultimum potest transmitti, quod tacitè in hoc Dominus consenserit, si excessus sit proportionatus operæ impensæ: non autem si priùs. Si enim facilè potuisset habere alium, qui reverà gratis contulisset hanc suam operam, negotium istud venditionis, aut emptionis non commisisset illi, cui tale stipendium debet solvere: ergo Dominus per hoc mendacium à tali Commissario fuit deceptus, atque ad subeundum damnum inductus: ergo alter scilicet Commissarius est obligatus ad damnum, quod Dominus ex sua falsa promissione patitur, reparandum & consequenter ad restituendum etiam excessum. Accedit, quod taliter deceptus Dominus judicet sibi beneficium à tali promittente exhibitum, & ob hoc singulariter se eidem obligatum esse, imò etiam conetur ipso opere se illi gratum præstare obsequijs alijs vel beneficijs: est autem æquitati contrarium, ut Commissarius utrumque commodum Domino rei inscio accipiat. Denique cùm iste actione negotiorum gestorum petere possit à Domino rei justum stipendium, si non intendit gratis suam operam apponere, non erit ipsi Commissario licitum occulta compensatione uti. Cùm huic tunc solùm locus esse soleat,

quando debitum aliâ viâ obtineri nequit. Si dicis, verecundia prohiberi Commissarium, ne stipendium expetat. ℟. verecundiam nequaquam Commissario licitam facere occultam compensationem cum tanto dispendio Domini rei, qui meritò scire desiderat, an pro pretio sit opera præstita, vel an illud ipse solverit, & quantum, an pretij Beneficium acceperit.

28 Ob. 2. Posse contingere, ut mediator dicat, potuisse se rem vendere cuidam, qui decem illi offerebat, noluisséque rem eam illi dare, sed quæsîsse alium emptorem: ergo excessum poterit sibi retinere. ℟. neg. cons. Ratio est, quòd etiam apposita quacunque diligentia lucrum ad Dominum spectet, tanquàm reportatum ex re, quæ erat illius, hoc ipsum tenendum in casu, quo quis rogatus, ut rem alteri quampiam emat, emere posset rem illam à quodam duodecim, quæsivit autem aliam, qui illi rem illam vendidit decem; non enim incrementum horum duorum florenorum retinere poterit: hoc enim totum continetur in industria, quam ille alius ab eo rogavit, eâque negotium alterius: dein si postea inveniret aliquem, qui majori pretio, quàm duodecim venderet, detrimentum hoc in se neutiquam susciperet Commissarius, sed pertineret ad Dominum rei, ita etiam commodum ad hunc spectare debet.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Quid de hoc nostro particulari casu sit pronuntiandum?

HActenus in genere, & universaliter disputata facilè casui nostro applicare possumus, circa quem judico. Commissarium nostrum ex nullo prorsus titulo potuisse retinere tria illa millia florenorum, ex eo quod triticum novem millibus pro Cæsare coëmptum vendiderit confœderatis florenorum duodecim millibus.

Cùm enim Cæsar nullum pretium, quo vendendum esset confœderatis, triticum definiverit, nec potest prætendere, quod pretio 9000, contentus fuerit, ratione suæ operæ, ac singularis cujusdam industriæ; cùm ad hanc operam aliunde vi sui officij fuerit obligatus. Neque etiam apparet singularis industria ex eo, quod confœderatis in loco, ubi triti-

triticum asservabatur subsistentibus illud vendiderit : alias quiscunque habens mandatum universale vendendi triticum, cùm commoda occasio & justum pretium se obtulerint, dicendus erit singularem, & extraordinaria compensatione remunerandam, industriam adhibuisse, si honesto & tunc currente pretio triticum in loco vendiderit. Neque credo contentos fore, Prælatos ordinum Religiosorum, si rescirent, granarios suos reservâsse sibi ex pretio venditi frumenti tot florenos, quot illi carius vendiderunt tale triticum, quam hoc à Prælatis fuerit antea emptum, etiamsi nullum determinatum pretium ex venditione colligendum ejsdem determinatum fuerit, quæ omnia confirmare videtur de la Croix dum *tomulo 2. l. 3. p. 1. de furto n. 1047.* casum ponit, in quo dominus mandaret procuratori suo millenos poni ad censum A pro 40. annuis ; & procurator posuisset ad centum B. pro 50. annuis, simúlque resolvit procuratorem istum non posse hos decem annuos sibi retinere, eò quod censum B. celebrâsset nomine & pecunia mandantis, & propterea fructus totus sit mandantis ; cùm igitur etiam in nostro casu venditio hujus frumenti nomine Cæsaris sit celebrata, etiam fructus totus erit Cæsaris mandantis, quæ omnia etiam ex eo confirmantur, quod Mandatarius teneatur ad exactam diligentiam : atqui non adhiberetur exacta diligentia, si oblata occasione carius vendendi id non faceret in gratiam mandantis : ergo si hanc diligentiam adhibuit, ea debet mandanti prodesse : ergo non potest illud augmentum in suum commodum vertere : cùm hoc modo actione mandati conveniri posset Haunold. *de Just. tom 4. cap. 6. controv. 6. n. 683.*

Sola igitur difficultas est circa emptionem tritici, circa quam iterum certum est, quod ratione laboris nihil prætendere valeat ; cùm ad hunc subeundum ex officio suo sit obstrictus nec extraordinarium quendam atque sua obligatione longe majorem conatum adhibuerit, cùm totus labor in illo constiterit, ut vicini rustici, qui tunc ut hostes habebantur, juberentur desideratam frumenti copiam in designatam urbem advehere. Dubium itaque solum illud remanet, an non præsumi potuerit, mentem Cæsaris fuisse, ut excessum sibi retinerent Commissarij, si viliori pretio, quàm novem florenis quamlibet scapham tritici comparare possent, circa quod dubium quid sentiendum sit, sufficienter constat, ubi vidimus ordinariè definiri pretium à Dominis, ut ostendant nolle se ut cariore pretio ejusmodi res ematur, non autem si minore sumptu comparari

ri valeat, excessus sit penes suum famulum mercede ad hoc præstandum aliàs jam obligatum; quam mentem etiam Cæsari fuisse, videtur ex circumstantijs meo judicio claresçere, à quibus enim petebatur triticum, illi tunc hostium loco habebantur, consequenter poterat totum sine omni pretio expeti, quod cùm pro tunc non vellet Cæsar facere, neque forsitan ex altera parte voluerit justum & tunc currens pretium adæquatè solvere, ideo jusserat singulas scaphas novem florenis solvere, & rusticos hac summa contentos esse: si considerentur rustici, optimè isti prospiciebant, sibi maximam gratiam hic & nunc fieri, si aliquod pretium quodcunque demum pro frumento reciperent. cùm ergo timerent, ne petendo justum nimium exacerbarent Cæsareanos & hinc omni pretio destituerentur, maluerunt aliquam eamque minorem jacturam pati, quàm omni penitus pretio privari, ideo dixerunt se septem florenis pro qualibet scapha contentos fore, residuum pretij non ipsis Commissarijs, sed Cæsari donantes.

Hæc omnia confirmantur ex juribus, quæ dicunt, quòd mandatarius possit causam mandantis facere meliorem. ut §. 8. *Instit. hoc Titulo*, ibi, *quod si minoris emeres, habebis scilicet cum eo mandati actionem, quoniam qui mandat, ut sibi centum aureorum fundus emeretur, is utique mandâsse intelligitur, ut minoris, si possit emeretur. & Leg. 5. §. ult. ff. hoc titulo. Melior autem causa mandantis fieri potest, si cum tibi mandâssem, ut stichum decem emeres, tu eum minoris emisti, vel tantidem vel aliud quidpiam servo accederet, utroque enim casu aut non ultra pretium aut intra pretium feciſti.*

Opponet hic aliquis authoritatem Patris Busenbaum, qui de emptione & venditione dubio 8. ait, si cuj datum est aliquid pretio vendendum, v. g. *infimo vel moderato, & is vendat rigoroso. probabile est, ut habet Angel. V. emptio non teneri restituere, sed posse retinere excessum, cùm sua industria acquisiverit.* ergo etiam in hoc casu excessus retineri poterit. 10

Verum meo judicio non est nobis contrarius Busenbaum & primo quidem ex eo quòd non loquatur de casu, in quo alieno nomine vendens jam aliunde est obligatus ad procurandum bonum domini omni meliore modo, sicuti obligatus erat Commissarius noster. 2. cùm dicit Pater Busenbaum loco allegato retineri tunc aliquid posse ob industriam; non de qualicunque ordinarie & communiter abiberi solita industria locutus fuit, sed voluit hanc esse extraordinariam, & majorem debita, ut sufficiens titulus ad aliquid retinendum habeatur: atqui hæc singulæ

gularis industria in hoc casu planè defuit, cùm non minorem industriam adhiberi potuerit, quàm imperare circumjacentibus rusticis, ut desideratum frumentum adveherent, ad quod totum ex officio obligabatur Commissarius. Dein licèt in casu, quo ex una parte expressè dominus dicat, ut infimo pretio res sua vendatur; ex altera verò parte neque ex illius dictis, neque aliunde constet, quòd hoc infimo pretio in gratiam emptorum contentus esse velit, licèt, inquam, in hoc casu transmitteretur, dominum sufficienter se declarâsse, quòd pretio à se designato contentus esse velit; at non constat hæc mens Cæsaris in dato casu, cùm consideratis circumstantijs videatur voluisse gratificari aliqualiter rusticis, nec totum etiam & justum pretium ijsdem solvere. Accedit, uti diximus, quòd rustici in gratiam Cæsaris videantur aliquid remisisse de justo pretio tritici, unde lucrum Cæsari, non autem Commissarijs attribuendum.

CASUS X.

De eadem re duobus successivè vendita.

SEmpronius non sine dolore sui animi percipere cogitur, rem à se persoluto jam pretio emptam, etiam alij cuidam, Eustachio scilicet, fuisse jam antea venditam, hinc.

Q. An venditio rei alienæ sit valida?

Q. 2. Eadem res duobus vendita ad quem pertineat?

Q. 3. Quale & quantum jus secundus emptor in rem sibi traditam acceperit?

Q. 4. Quid si eadem res successivè duobus à non Domino fuerit vendita?

SY-

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum?

An Venditio rei alienæ sit valida?

1. *Quot modis res alienæ possint esse, explicatur.*
2. *In Venditione tam emptor quàm venditor, vel unus tantum istorum, sciunt rem esse alienam.*
3. *Res aliena vel est usu consumptibilis vel non?*
4. *Venditio rei etiam actu alienæ ignoranti vendita aliqualiter valet.*
5. *Licèt venditor sciverit, rem esse alienam.*
6. *Hinc vendens sum fecit acceptum ex tali venditione pretium.*
7. *Ut tamen rei venditæ dominium in ementem non fuerit translatum.*
8. 9. 10. 11. 12. *Satisfit objectionibus.*
13. *Scienter alienam rem ementi non obligatur venditor de evictione.*
14. 15. 16. *Satisfit fundamentis oppositis.*
17. *Dubitans de re an sit aliena licitè illam emit cum proposito inquirendi veritatem, & rem domino comperto restituendi.*
18. *Res usu consumptibilis suppositis certis circumstantijs à dubitante vel sciente, etiam licitè emi poterit.*

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Eadem res duobus vendita ad quem pertineat?

19. *Diversis modis eadem res diversis vendi potest.*
20. *Si Res primo emptori à venditore jam extradita vendatur denuo secundo, nullum huic jus in illum competet.*
21. *Res duobus successivè in solidum vendita & nulli adhuc extradita debet primo emptori consignari.*
22. *In dubio, num res duobus venditæ primo aut secundo emptori sit tradita, debebit illa restitui primo.*
23. *Nisi secundus pretium, non autem primus persolverit.*
24. *Posterior tamen emptor præferendus erit, si res illi tradita, & pretium ab eo acceptum, vel de hoc fides eidem habita fuerit.*

25. Li-

25. Licèt fuerit contra primi emptoris jus perſonale res diſtracta.
26. Talis venditio ſpectata cum ipſa executione non eſt nulla.
27. Etſi in re duobus obligata prior contrahens prævaleat.
28. 29. Satisfit adhuc alijs 2. objectionibus.
30. Quæ omnia procedunt, etſi primo emptori promiſerit venditor illam rem à ſe nulli alij vendendam.
31. 32. & 33. Satisfit rationibus oppoſitis.
34. Nec obſtat, quod hæc promiſſio nulli alij vendendi ſit juramento confirmata.

§. III.

Reſolvitur tertium Quæſitum.

Quale & quantum jus ſecundus Emptor in rem ſibi traditam acceperit?

35. Rem extraditam à ſecundo & prioris emptionis conſcio emptore revocare intra annum primus emptor poterit.
36. Rem tamen iſtam, tale intra tempus non revocatam non amplius primo emptori tenebitur reſtituere ſecundus.
37. Solvitur objectio.
38. Tenebitur tamen ſecundus primo emptori in defectum venditoris ſolvere intereſſe, ſi hunc poſitivè ad hoc induxerit.
39. Quod ſi ſecundus emptor rem quidem acceperit, pro illa autem pretium nec perſolverit, nec de hoc eidem fides habita à venditore fuerit, talis res primo emptori reſtituenda erit.
40. Si res ſecundo emptori tradita, primo hypothecata fuerit, Dominium ab hoc revocabile ille ſolummodo aquiſiverit.

§. IV.

Reſolvitur quartum Quæſitum.

Quid Juris, ſi eadem res ſucceſſivè duobus à non Domino fuerit vendita?

41. E duobus eandem rem à non Domino bona fide ementibus prævalet, cui illa primò fuerit tradita.
42. E duobus bona fide eandem rem à duobus non Dominis ementibus in dubio prævalebit illius rei poſſeſſor.

§3. Si res taliter à duobus empta apud tertium existat, in illius evictione prævalebit, cui prior res tradita fuerit.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An venditio rei alienæ sit valida?

1 POssunt res alienæ esse dupliciter potentiâ scilicet & actu. potentiâ alienæ dicuntur, quæ adhuc quidem sub dominio alicujus existunt, alteri tamen quodammodo jam sunt obligatæ, in quantum illorum dominus earum dominium in alterum transferre debet, uti fit, quando accepto pretio equum alteri vendidi, necdum tamen extradidi. actu aliena dicuntur, quæ non sub meo, sed alterius dominio existunt.

2 2. Quando res aliena venditur, uterque tam emptor quàm venditor possunt esse conscij, quod res vendenda sit aliena, vel solus emptor, aut solus venditor aut denique possunt esse dubij.

3 3. Res talis aliena potest esse vel usu consumptibilis, vel non.

4 Dico 1. Si res hæc etiam actu aliena Sempronio ignoranti fuerit vendita, validum aliquo modo fuisse contractum. Ita communis, & constat *ex Le: rem alienam, & Le: ex empto ff. de contrahenda emptione.* censent hoc Antonius Gomez. *de contract. cap. 2. n. 8.* Mol. *tract. 2. disp. 327. corulus 2.* Rebellus *2. p. de ob. lig. Just. l. 1. q. 7. n. 1.* Lessius *l. 2. cap. 20. dub 18. n. 162.* Palao *disp. 1. p. 13.*

Dico 2. Eundem contractum etiam fuisse validum, licèt venditor sciverit rem hanc alienam esse, modò emptor bona fide processerit. Est communis, & constat ex ratione pro tertia conclusione afferenda.

Dico 3. Ejusmodi etiam mala fidei venditorem ac furem suum fecisse pretium ex tali alienæ rei venditione acceptum. ita Layman *lib. 3. de Just. tract. 4. c. 17. §. 3. n. 21. cum alijs habetur in Le: qui vias § ult. de furtis ibi: Numus, qui redactus est ex re furtiva, non est furtivus. & Le. 46. in fine ff. de furtis.* Ratio est, quod aliud sit res aliud pretium rei. Ut habetur *Le. 28. de Novat. Le. 12. §. 1. ff. de usufruct. Le. 81. §. ult. V. S.* Ex hoc jam formatur ratio pro priore conclusione; si talis contractus non fuisset validus, tunc fur vendens non acquisivisset dominium pretij: atqui juxta dictam legem acquisivit illum

illius dominium : ergo ille erat validus.

7 Dico. 4. Etiamsi talis rei actu alienæ venditio fuerit valida, dominium tamen rei venditæ in emptorem etiam bonæ fidei neutiquam erat translatum. Probatur conclusio. *ex Lege rem alienam ff. de contrahenda emptione.* Et tenetur à communi doctorum. Item *ex l. 6. Cod. de rebus alien. non alienand : & Le. 3.* C. de rebus venditis, habetur etiam *Le. 11. ff. de Reg. Juris* ibi, quod nostrum est sine facto nostro in alium transferri non potest.

Ulteriùs exceptis paucis casibus *vi legis 1. Cod. si quis sibi vel alteri : non meum fiatim est, quod ex mea pecunia comparatum est.* Denique venditor in emptorem transferre non potest, quod ipse non habebat vi *Legis rem alienam & Le. ex empto 11. ff. de action. empti.*

8 Ob. contra hanc ultimam conclusionem 1. Est de essentia venditionis, ut transferat dominium: ergo si fuit valida translatum erat dominium. Probatur antecedens ex definitione à Soto tradita. venditio est distractio rei pro pretio ; hoc est contractus, quo res alienatur. R. hanc Soti definitionem à Lugone atque Molina propterea reijci, quia contraria est *Legi rem alienam ff. de contrahenda emptione*, veram emptionem in tali casu intercedere asserentis. Dein. si dominium rei in quacunque venditione transfertur in emptorem, tunc etiam dominium pretij pro re empta persoluti, licèt hoc sit furtivum transferetur in vendentem, vel si hoc non fiat, talis emptio pretio furtivo facta non foret valida: atqui est valida & non transfertur dominium pretij furtivi : ergo &c. Prob. min. *ex Lege penult. Cod. si quis alteri vel sibi.* Est igitur de ratione venditionis, ut quantum est ex parte contrahentium sit translativa dominij pro pretio, etsi per accidens propter impotentiam non transferatur.

Dices *in Lege cùm manu fata* §. *ult. ff. de contrab. empt.* habetur: *nemo potest videri eam rem vendidisse, de cujus dominio id agitur, ne ad emptorem transeat. sed hoc aut locatio est, aut aliud genus contractûs :* ergo &c, 9 R. distinguo consequens : ergo talis rei alienæ à sciente facta distractio non est valida, si in vendente defuerit intentio transferendi dominium. Concedo. si quantum fuit ex parte ipsius adfuit hæc intentio, negatur.

Ob. 2. Emptor dominium pretij in venditorem duntaxat transtulit sub hac conditione, si ipse acquisiverit dominium rei à se emptæ : ergo si hoc non acquisivit, pretium neque factum fuit venditoris. 10 R. neg. ant. Ratio est, quòd emens judicet rem hanc venditoris esse, hinc

non habet causam apponendi hanc conditionem: ergo non fuit facta sub hac conditione. Præsertim cùm emptor sciat, si res foret aliena, venditorem sibi de evictione obligatum esse.

11 Ob. 3. In contractibus debet servari æqualitas: atqui non servaretur. Probatur min. venditor fieret Dominus pretij, non autem emptor rei venditæ: ergo &c. ℞. dist. hoc ultimum, non foret æqualitas, nisi venditor obligatus esset emptori de evictione rei concedo. Si obligatus sit, neg. venditorem de evictione teneri emptori habetur *in toto tit. 2. lib. 21. ff. de rei evictione.*

12 Ob. 4. Omnis valida venditio habet suos effectus: atqui dicta nullum habet, si non transferat dominium in emptorem: ergo &c. ℞. effectum hujus venditionis esse, ut emptori talem rem habere liceat, usquedum evicta fuerit, & ut hac evicta venditor emptori ad evictionem, & ad totum interesse teneatur juxta *Legem 11. ff. de action. empti.* ac denique tertio, ut venditor evadat Dominus pretij.

Dices: vel jus ad retinendam rem taliter emptam, etiam procederet in re furtiva, vel solùm in re non furtiva, item sive venditor sciat esse rem furtivam, sive nesciat, neutrum potest dici: ergo &c. ℞. *ex Lege 34. §. 3. ff. hoc tit. seu de contrab. empt.* colligi affirmativam. Si emptor fuerit inscius, quòd res empta sit aliena.

Dico 5. Invalidam tamen venditionem fuisse, quoad hoc ut venditor teneatur emptori de evictione, si emptor conscius fuerat, rem à se emptam alienam esse, etiam præscindendo ab eo, utrum venditor hoc etiam sciat, vel ignoret, consequenter venditorem nec ad evictionem præstandam, nec ad alia damna reparanda, obstrictum emptori fore, nisi aliam conventionem fecerint. Colligitur *ex Lege 27. si fundum Cod. de evict. & Lege emptorem §. 1. ff. de actionibus.* Probatur. si emptor est conscius hujus vitij, & tamen contrahit, tunc ultrò in se suscipit illius periculum, si non de contrario expressè conveniunt. Hoc ipsum sentiunt Bartolus, Antonius Gomez, Gregorius, Lopez, Mol. *tract. 1. disp. 327. concl. 2.* Rebellus *2. pa. de oblig. Just. lib. 1. q. 7. n. 5.* Lessius *lib. 2. cap. 20. dub. 18. n. 162.* Palao *disp. 1. pu. 13.*

13 Ob. *Lex 18. ff. h. t.* & *l. 11. ff. de act. empt.* absolutè ac generaliter statuit, absque distinctione omnem rei alienæ venditionem valere non distinguens, an emptor hujus vitij fuerit conscius vel non, & sola rei furtivæ venditio in Lege *si empt. 34. §. item §. 3. ff. de contrab. empt.* excipitur: ergo nostra conclusio non subsistit. ℞. dist. cons. ergo nostra conclusio non subsistit, ac valebit

talis venditio, niſi *Lex ſi fundum 27. Cod. de evictione*: generaliter aſſerat emptori conſcio, quod fundus alienus, vel obligatus ſit, venditorem nequaquam de evictione teneri: conc. ſi iſtud hæc lex aſſerat. nego.

15 Ob. 2. Non poteſt dici, an talis venditio ita ſit invalida, ut etiam pretium rei venditæ emptori conſcio vitij debeat venditor reddere, ac rem venditam recuperare, vel an non ſit ita invalida? R. juxta Joannem Salas *tract. de uſur. dub. 40. in fin.* Palaum *diſp. 1. pu. 13. n. 4.* non eſſe quoad hunc effectum alienationem nullam, ſed ſolum quoad hoc, ut venditor non teneatur quoad evictionem. Ratio eſt, quod emptor ſciens rem hanc eſſe alienam, ſi tamen venditori dedit pretium, idem donâſſe præſumatur, niſi alia expreſſa conventio fuerit facta. Ita habetur *Leg. 27. C. de evict. ibi: ſi fundum ſciens alienum, vel obligatum compararet Anthenocles, nec quicquam de evictione convenit, quod eo nomine dedit, contra juris poſcit rationem.*

16 Ob. 3. Si etiam emptor conſcius fuerat, quod res ſit aliena, tunc iniquè retinet pretium: ergo &c. R. conc. ant. & dico in pœnam eſſe à judice addicendam fiſco, & ante hunc Domino rei alienatæ, ſi hæc ab illo recuperari, eò quòd jam perierit, non ampliùs poſſit; quia autem privatio pretij habet rationem pœnæ, hinc ab emptore uſque dum ad hanc condemnatus fuerit, poterit retineri.

Dico 6. In dubio, utrum res aliena ſit, nec ne, licitè res aliqua emitur cum propoſito inquirendi veritatem, & poſtea comperto vero Domino reſtituendi. Ita Covarr. *in Regula peccatum p. 3. n. 4.* Medina *C. de reſtit. §. ſi verò q. 10.* Rebellus *p. 2. de Juſt. l. 1. q. 7. n. 7.* Probatur, quando nulla injuria Domino infertur, ſed hujus potius negotium utiliter geritur, licitè ſit emptio: ſed: ergo &c. 17

Dico 7. Si res empta uſu conſumptibilis fuit, ſive emptor ſciverit, ſive dubitaverit, an res aliena ſit, potuit illam licitè emere, ſi judicaverit, venditorem non fieri inde impotentem ad ſatisfaciendum Domino, & reipſa etiam ſatisfacturum per aliam ejuſdem ſpeciei, ac bonitatis, & rei emptæ omnino æquivalentem, inſuper nullum ex mora ipſi Domino damnum oboriatur. Ita ſentiunt Joan. Medina *q. 4. de rebus per uſur. acquiſit:* Molina *tract. 2. de Juſt. D. 330.* Rebellus *p. 2. de Juſt. l. 1. q. 7.* Salas *de uſur. dub. 42. n. 3. cum communi aliorum.* Probatur: invitus rationabiliter non poteſt eſſe Dominus, quando altera ejuſdem bonitatis, & qualitatis res abſque ulla mora, & incommodo illi redditur, ſed ponitur hoc fieri: ergo &c. Obligatus tamen ejuſmodi emptor ma- 18

net: rem suo Domino non debito tempore redditam in defectum principalis debitoris restituere, vel compensare; hoc enim animo eidem ab initio res emenda erat, ut absque peccato contractum celebret.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Eadem res duobus vendita ad quem pertineat?

19 EAdem res diversis modis potest diversis fuisse vendita, ab ipso scilicet Domino vel à non Domino. 2. Potuit uni fuisse vendita, & etiam extradita. postea autem primùm vendi. 3. utraque venditio potuit fuisse celebrata, & primùm postea alteutri duorum mentium fuisse tradita. 4. Res duobus vendita & extradita potest existere vel apud alterutrum mentium vel penes tertium. 5. ut primo emptori nominatim promiserit venditor, se illam nulli postea alteri venditurum esse. His præmissis

20 Dico 1. Si res cum dominio illius primo emptori jam extradita, denuò eo ipso à venditore alteri vendatur, posteriori huic emptori nullum potius jus in rem sibi taliter venditam competet. ita communis. Ratio est, translatione dominij primus emptor jam obtinuit jus in re tali, alter autem emptor habet duntaxat jus ad rem personale: atqui jus reale præponendum est juri personali: ergo: minorem pluribus comprobant Antonius Gomez *2. variar. cap. n. 20.* Molina *disp. 369.* Rebell. *l. 9. q. 17. sect. 3. n. 20.* Lessius *l. 2. cap. 21. dub. 20.* Palao *pu. 27. disp. 5.* Nullus enim in alterum potest transferre aliquod vel majus jus, quàm quod ipse habet: ergo si ipse venditor post factam traditionem primo emptori nullum amplius habuit jus in rem semel alienatam, non potuit in alterum venditorem tale jus transferre: atqui nullum tunc amplius habebat jus in re, eò quòd per traditionem rei venditæ in primum emptorem dominium translatum fuerit. *Vi Legis traditionibus 20. C. de pactis traditionibus, & usucapionibus, dominia rerum non nudis pactis transferuntur.* Item *Leg. quoties C. de rei vindicatione, quoties duobus in solidum prædium distrahitur, manifesti juris est, eum, cui priori traditum est; in detinendo dominio esse potiorem.*

Dico 2. Si eadem res pluribus 21 successivè in solidum est vendita, & neutri jus in ea quæsitum, eo quod nulli illorum fuerit tradita,

dita, vel sola venditione dominium absque traditione quæsitum, priori emptori res erit tradenda. ratio desumitur *ex Lege in operis ff. locati, item ex Lege quoties Cod. de rei vindicat: dein vi regulæ 55. Juris in 6. prior tempore est potior in jure.* Probatur tertio ex communi omnium Authorum consensu: ergo &c.

22 Dico 3. Si res eadem pluribus successivè in solidum fuerit vendita, dubitetur autem, an alicuj aut cuj res sit priùs tradita, talis res erit tradenda primo emptori. Probatur, primus emptor habet suam rationem fundatam, eo quod de jure ipsi debuerit res vendita extradi. 2. Si res ejdem non fuisset tradita, esset tamen tradenda, ut illius injuria reparetur.

23 Baldus tamen cum Joanne alijsque relatis *à* Coovar. *lib. 2. varia. l. 19. n. 6.* Tuetur, secundo rem in tali dubio esse tradendam, quando hic pretium numeraverit, & quod primus persolverit probari nequeat id ipsum sentiunt cum Coovarr. Lessius *l. 2. cap. 21. dub. 20. in fine* Palao *puncto 27. disp. 5. de Just. n. 13.*

24 Dico 4. Quando pluribus eadem res successivè in solidum vendita, est posteriori tradita, & ab eo pretium acceptum, vel fides de eo habita præferendum esse emptorem posteriorem. Si bona fide & insçius primæ venditionis fuerit. Coovar. *l. 2. var. 29. n. 8.* Molina *tract. 2. disp. 369. n. 6.* Rebellus *p. 2. lib. 9. q. 17. n. 21.* Lessius *l. 2. c. 21 n. 140.* Ratio habetur in *Lege quoties 15. C. de rebus venditis ibi, quoties duobus in solidum prædium jure distrahitur, manifesti juris est, cui priori traditum est, in detinendo dominio esse potiorem.* Idem habetur *Lege qui tibi Cod. de hæred.: vel act. vend. Le. si ancillam Cod. de act. empti: Le. qui tibi Cod. de his, qui à non Domino manu: Le. multum interest in fine Cod. fiquis alteri vel sibi.*

Probatur ratione, nudus contractus venditionis sine traditione non transfert regulariter dominium in emptorem: ergo etiam facta venditione si traditio non accesserit, dominium rei venditæ mansit apud Dominum venditorem: ergo si denuò secunda vice res illa alteri emptori vendita & extradita fuerit accepta vel habita fide de pretio acquisivit iste jus in re.

Confirmatur. ex sola venditione primus emptor non acquisivit dominium & jus in re seu reale, sed tantum personale & ad rem, vi cujus venditorem personali actione duntaxat convenire possit. posterior autem emptor facta traditione jus quoddam reale in rem emptam, ac sibi traditam acquisivit: ergo &c.

Ob. 1. *Juxta Legem 15. C. de R. V.* quando res est duobus 25

ven-

vendita, is, cuj priori res est tradita, tunc solum æstimatur potior, quando prædium jure distractum: ergo licèt aliqua res fuerit tradita, si tamen ejdem jure non fuit distracta, non erit ille potior: atqui secundo emptori res jam alij antea vendita non erat alienata jure, sed cum injuria primi emptoris: ergo &c. Item talis venditor ob contractum secundum tenetur *pœna falsi Leg. 21. ff. ad Leg. Corneliam. de fals.* R. distinguo antecedens, tunc est potior, quando censetur jure (hoc est validè, & non contra leges irritantes talem distractionem) esse prædium distractum. Concedo, quando jure non prohibente, seu contra leges prohibentes quidem, non tamen irritantes distractionem prædium est alienatum nego antecedens & distinguo consequens: ergo etiam talis alienatio posterior non faciet secundum emptorem potiorem, si alienatio hæc non fuit jure seu juxta leges valorem tribuentes tali actui facta: concedo, si non jure, seu contra leges solum prohibentes est facta: nego.

26 Ob. 2. Secunda talis venditio fuit nulla: ergo ex illa possessor secundus non evasit potior, probatur antecedens. Si fuisset valida, tunc venditor vi illius fuisset obligatus ad tradendam secundo emptori rem illam: atqui non fuit obligatus, quià primo emptori erat tradenda. Respondeo distinguo antecedens, talis venditio est nulla si seorsim, & præscindendo ab executione spectetur transeat, si spectetur ut conjuncta cum ipsa executione, negatur. Prima venditio reliquit venditori adhuc suum dominium: ergo etiam potestatem alienandi: ergo alienatio talis fuit valida juxta *Leg. 6. Cod. de Hæred. vel act. vend.*

Ob. 3. *Vi Legis 12. princ. ff. qui potior in pignore.* Quando eadem res est duobus obligata, is prævalet, qui prior contraxit, licèt nondum possessionem nactus fuerit: ergo etiam is prævalet, qui prior talem rem emit. Respondeo nego consequentiam; quia in casu dictæ legis duodecimæ est sermo de hyphotheca: atqui non est paritas inter hypothecam, & ipsum dominium: ut enim hoc acquiramus, necessaria est traditio rei, Hypotheca verò constituitur nudo pacto, nec opus est traditione: ergo qui prius hypothecam habuit etiam prius jus reale in illam acquisivit, consequenter est potior, contrarium se habet in Dominio per venditionem obtinendo.

Ob. 4. Potest dici, in citata à nobis *Lege 15. Cod. de R. V.* tolli alium casum, nempe quo possessio prædij antecedente tempore jam fuit vendita, & tradita, & postea primùm secundo vendita: ergo &c. Respondeo negando, ratio

ratio eſt, quod hoc ſit extra omnem controverſiam, & hinc imperator reſcripſiſſet de caſu, de quo non poterat eſſe prudens ratio dubitandi.

29 Ob. 5. vel noſtra concluſio procederet tam in caſu veræ, quam fictæ traditionis ſecundo emptori factæ, vel tantùm in caſu veræ traditionis? neutrum poteſt dici: ergo &c.

R. in utroque: conſequenter ſufficiet, quòd emptori ſit inſtrumentum traditum *arg. legis 1. C. de donat.*

30 Dico 5. hactenus dicta etiam locum habere, licèt venditor nominatim promiſerit primo emptori, ſe illam rem nulli alteri venditurum eſſe ita Glettle *in Q. R. Juris ex 2. Pandectarum parte. Quæſtione 17. n. 8.* probatur, tale pactum ſolam perſonam venditoris non autem rem ipſam afficit, ita ut jus reale in hac emptori primo concedat: ergo non impedit translationem dominij in ſecundum emptorem faciendam.

Confirmatur, ſponſalia cum aliqua contrahens promittit huic ſe cum nulla alia contracturum nuptias; hac tamen non obſtante promiſſione validè cum alia matrimonium contrahit.

Confirmatur 2. Quilibet venditor implicitè ſaltem promittit, ſe talem rem nulli alij venditurum eſſe, & hæc implicita promiſſio non impedit translationem dominij, ſi ſecundo res illa fuerit vendita, & extradita.

Confirmatur 3. Etiamſi donationi lex dicatur, ne res alienetur, non obſtante hoc pacto dominium rei transfertur in accipientem: ergo idem de venditione tenendum. Probatur ant. *in Lege 3. Cod. de condict. ob cauſ. dat.* datur donatori condictio in alienantem, non autem vindicatio in poſſeſſorem tertium.

Ob. 1. *Lege 42. ff. de uſucapionibus Lege 5. §. penultimo ff. de rebus eor. qui ſub tut. ſunt. Lege ult. §. 2. & 3. C. Com. de Leg.* quando lege vel teſtamento prohibetur abalienatio, impeditur translatio dominij: ergo etiam, quando alienatio prohibetur pacto. Probatur conſ. in *Lege ultima Cod. de rebus alien. non alienand.* ſpecies iſtæ conjunguntur: ergo &c. 31

R. diſt. ant. probationis. In hac lege hæc duo conjunguntur, in quantum utraque poſterior alienatio eſt illicita: conc. in quantum eſt invalida. nego antecedens, & diſtinguo conſequens: ergo etiam poſterior venditio erit illicita. concedo: invalida, negatur.

Ob. 2. *In Lege ea quidem mancipia 5. tit. 56. Cod. ſi mancipium ita venierit.* pactum venditioni adjectum, ne ſervus manumittatur, impedit libertatem: ergo etiam pactum ne res alij vendatur, impediet translationem dominij. 32

R. Nego conſequentiam. prius enim eſt ſpecialiter in dicta lege

statutum, non autem posterius. Deinde ex speciali dispositione citatæ legis memoratum pactum ipsius servi personam censetur afficere, pactum autem non vendendi rem alteri, non hanc sed venditorem afficit.

33 Ob. 3. *Vi Legis septimæ §. ult. ff. de distract. pignorum.* Quando Creditor pactus est cum debitore, ne hypotheca vendatur, venditio contra hoc pactum postea facta nulla est: ergo &c. R. nego paritatem. Ratio est: vi pacti in antecedente positi Creditor retinet salvum jus reale in pignore, vi cujus proinde à quocunque possessore illud avocare potest, consequenter talis alienatio est invalida, nihil simile reperitur in nostro casu.

Dico 6. Etiamsi prima emptio 34
juramento fuerit confirmata, posteriorem tamen emptorem secuta traditione, ac soluto pretio, vel sola fide de eo habita præferendum esse. Ita Covarr. *de pactis p. 1. §. 4. n. 2. & Epitom. de Sponsi. p. 1. c. 5. num. 9.* Molina, Lessius *loco cit.* Guttier *de Juramentis c. 30. n. 4.* Probatur. juramentum hoc ejusmodi venditorem duntaxat perjurum efficit, neutiquam autem translationem dominij impedit. Probatur. dominium transfertur in alterum per traditionem: ergo &c.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Quale; & quantum jus secundus emptor in rem sibi traditam acceperit?

EX dictis superiùs constat, secundum emptorem non fieri dominum rei, quæ jam actu aliena, & sub prioris emptoris dominio fuerat. Consequenter etiam patet Sempronio nihil juris competere ad rem cum notitia tali emptam. Superest, ut de re potentiâ tantùm aliena, & primo emptori necdum extradita loquamur. Igitur.

Dico. Si secundus emptor prio- 35
ris venditionis fuerit conscius, licèt eidem soli res talis fuerit extradita, poterit tamen istam, ut ita suam fraudem alienatam à secundo emptore primus revocare, ac evincere intra annum à die notitiæ habitæ. Ita cum Baldo in Rubri. *C. quæ in fraudem Creditorum.* Jasone, Salejeto, aliisque Covarruv. *lib. 2. varia. c. 19. num. 5.* Mo-

Molina *tract. 2. diſp. 369. n. 9.* Leſſius *lib. 2. c. 21. n. 142.* Layman. *lib. 3. Theol. ſect. 5. tract. 4. c. 17. §. 4. n. 19.* Ratio concluſionis habetur *in Lege 1. & ſeq. ff. quæ in fraudem Creditorum.* quodſi autem annus fuerit transactus, in foro externo ad nullam reſtitutionem talis ſecundus emptor obligatus erit. Juxta *Legem primam & Legem ait Prætor ff. eodem & Lege penultima Cod. eodem.* Leſſium, Rebellum, Molinam, Laymán *antea citatos.*

36 Dico 2. Etiamſi talis emptor ſecundus hujus fraudis conſcius fuerit; ſi tamen primus emptor rem ſecundo emptori jam extraditam debito tempore non revocaverit, ſecundus emptor non tenebitur per ſe talem rem eidem reſtituere. Ita contra Leſſium *lib. 2. c. 21. dub. 20. n. 142.* Petrum Navarr. & Molinam. Ratio eſt, dominium talis rei eſt actu penes ſecundùm emptorem, & nunquam fuit apud primum: ergo ad ipſam rem reſtituendam non erit obligatus.

Confirmatur. Neque ex re accepta, neque ex injuſta acceptione ad rem talem extradendam poteſt obligari. Non ex primo, quia verum illius rei dominium obtinuit, non ex poſteriori, quia omnino nulla ex parte emptoris ſecundi, primo emptori illata fuerat injuria; cùm ipſe rem à vero Domino accipiat, peccatum verò venditoris ob ſuum commodum permittat, vel ſi aliquam injuriam intulit, poteſt hanc aliter compenſare præſtando primo emptori intereſſe.

Ob. cum Leſſio. Si emptor ſecundus fuit conſcius fraudis, inſuper ipſum venditorem ad ſecundum hanc ſibi faciendam venditionem induxerat, fuit ille injuſta cauſa damni, quod primus emptor ſubiverat: ergo ad hoc reparandum erit obligatus: atqui non poteſt aliter reparare, niſi eidem reſtituendo rem talem: ergo &c. 37

R. nego minorem. Reparari enim hoc damnum poteſt, ſi in defectum venditoris ſolvat intereſſe. Hinc

Dico 3. Talis ſecundus emptor ſi fuerat fraudis conſcius, in defectum venditoris tenetur primo emptori ſolvere intereſſe. Ita Palao *de Juſt. diſp. 5. p. 27. n. 11. & diſp. 1. de Juſt. pu. 14.* Saltem ſi venditorem poſitivè ad ſibi tradendam induxit. Quòd ſi autem eundem poſitivè non induxerit, ſed negativè duntaxat ſe habuerit, volunt aliqui eundem contra charitatem duntaxat peccáſſe. 38

Probatur. Talis emptor eſt cauſa efficiens damni primo emptori illati quoad executionem, inſuper plus ad illum actum contribuit, quàm conſulens & conſentiens: ergo ſi iſti ad reparandum tale damnum ſunt obligati, obligatus etiam noſter ſecundus emptor erit.

Confirmatur. venditor manifeſte injuriam intulit primo emptori,

tori, & hujus complex est secundus emptor.

39 Dico 4. Si emptor secundus rem talem acceperit quidem; pro illa verò pretium non persolverit, nec de hoc fides eidem habita fuerit, præferendus secundo erit emptor primus. Ratio est: in tali casu secundus non accepit dominium rei sibi traditæ: ergo primus emptor; quia prior fuit tempore, erit etiam potior jure, antecedens constat *ex §. 41. Instit. de R. V. ibi: venditæ verò res & traditæ non aliter emptori adquiruntur, quàm si is venditori pretium solverit, vel alio modo ei satisfecerit, velut ex promissione aut pignore dato &c. Sed si is, qui vendidit fidem emptoris secutus fuerit, dicendum est statim rem emptoris fieri.* idem habetur *Lege 19. ff. de contr. empt. & Lege, ut res 53. ff. eodem & Lege Procuratoris 5. §. 18. ff. de tributor.* venditor enim, si fidem de pretio non habuit, censetur sibi ejusmodi rei dominium reservâsse.

Dico 5. Quod si tamen res 40
secundo vendita & extradita specialiter primo emptori hypothecata fuerit, secundus emptor nullum firmum, sed revocabile à primo, duntaxat dominium in ejusmodi rem acquisivit. Conclusio probatur *ex Lege si Creditor §. fin. qui potiores in pignor. ibi: Nam & in pignore placet, si prior convenerit de pignore, licet posteriori res tradatur, adhuc potiorem esse priorem.* idem sentiunt *ibidem* Glossa: Bart: Angel: *Salicet & alij citati apud* Palaum n. *9. loci adducti.*

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum?

Quid si eadem res successivè duobus à non Domino fuerit vendita?

HUcusque vidimus: quid in hac re tenendum, si à Domino eadem res duobus successivè fuerit vendita, superest, ut examinemus, quid faciendum, si non à Domino sed à non Domino duobus distracta fuerit; quia autem contingere potuit, ut duo distincti non Domini, vel unus non Dominus duobus successivè eandem rem vendiderint. hinc.

Dico 1. Si eadem res ab eo- 41
dem non Domino diversis bona fide ementibus fuerit vendita, prævalebit ille, cuj priori res tradita fuerit. ita habetur *in Lege, sive autem emptor 9. §. 4. ff. de publi-*

publiciana in rem actione probatur. ſi res alicui poſt factam venditionem jam fuit tradita, omne jus, quod venditor in illam rem habebat, in emptorem fuit translatum: ergo non potuit novum quoddam jus in alterum emptorem transferre ſecunda ſua venditione: ergo neque iſte acquirere §. *autem 5. ſequenti* innuit Juris Conſultus hanc diſpoſitionem non procedere in rebus, quæ uſucapi non poſſunt, puta furtivis, vel in ſervo fugitivo.

41 Dico 2. Si à duobus non Dominis res duobus bona fide ementibus fuerit vendita, & inter hos ipſosmet duos emptores diſceptatio exorta fuerit, quisnam illorum prævaleat, prævalebit poſſeſſor talis rei. ita D. Glettle *in QQ. Juris ex 2. parte Pandectarum Q. 12. n. 12.* probatur. in tali caſu eſt uterque emptor æquali titulo munitus: ergo locus erit dictæ *Legi 9. §. 4.* meliorem eſſe conditionem poſſidentis.

43 Dico 4. Si res duobus ſucceſſivè bona fide ementibus à diverſis non Dominis vendita, fuerit apud alium tertium poſſeſſorem, & uter horum ementium evincere actione publiciana poſſit, diſceptetur, ille prævalebit, cui tempore priori res tradita fuerit. ita habetur *in Le. 31. §. ult. ff. de actione empti venditi* Probatur in tali caſu ejusmodi res non poteſt relinqui tertio poſſidenti, nec pro indiviſo tranſcribi utrique, nec adjudicari illi, cui poſteriori tempore res fuit tradita, neque poſſidens obligari ut utrique æqualiter ſatisfaciat: neque uni ſoli, cui voluerit Judex favere: nec adjudicari poſteriori ementi: ergo illi, cui priori res erat tradita, erit addicenda. Probatur primum membrum antecedentis. præponeretur hac ratione iniquus poſſeſſor, & prævaleret habentibus juſtum titulum: ſed hoc non debet fieri: ergo &c.

Major conſtat, quia reliqui duo ementes ex ſuo contractu titulum ad illam rem ponuntur retinere.

Probatur etiam ſecundum membrum, talis res eſt uni vel alteri tota devincta & obligata: ergo non poteſt utrique pro indiviſo attribui. Probatur conſequentia. hac ratione privaretur alteruter illorum ſuo jure totali in illam rem, eò quod ſolum inadæquatum in illam dominium eidem à judice aſſignaretur: ergo &c.

Probatur etiam tertium membrum, poſſidens ex re accepta duntaxat obligatur ad unicam reſtitutionem: ergo non poterit obligari ad duplicatam ejusmodi rei reſtitutionem utrique totaliter faciendam.

Probatur etiam quartum membrum. ſi uni, cui voluerit ipſe Judex, res fuerit adjudicata,

tunc jus alterius erit læsum : ergo non poterit cui voluerit adjudicare. Probatur antecedens. alter habet æqualem titulum ad illam rem : ergo si alteri & non huic pro suo lubitu rem tradiderit Judex alterius jus læsit.

Probatur etiam quintum membrum : si duo habeant æqualem titulum, tunc possessor prior ratione hujus suæ prioritatis in tempore habet aliquam prærogativam præ posteriùs possidente *vi Legis 31. §. ultimo : ff. de actione empt. vend :* ergo non debet præ illo tradi posteriori, ibi: *uterque noster eandem rem emit à non Domino, cùm emptio venditióque sine dolo fieret, traditáque est, sive ab eodem emimus, sive ab alio, is ex nobis tuendus est, qui primus jus ejus apprehendit, hoc est, cui primum tradita est ; si alter ex nobis à Domino emisset, is omnimodo tuendus est.*

CASUS XI.

De manifestando vitio mercis.

ISaac Judæus cùm quot annorum equus (quem vendere Adamo meditabatur) esset, interrogaretur, reponit, eum esse septem, septem annorum : germanicè, **siben/ siben Jahr.** Adamus assertioni venditoris credens judicat equum esse septem duntaxat annorum, cùm tamen post completam emptionem cognovent, eum jam quatuordecim esse. Convenit ergo Judæum, & commissi tam enormis mendacij arguit : reponit Judæus, se ipsissimam veritatem dixisse, eò quòd asseruerit equum esse septem, septem annorum, & bis septem conficiant quatuordecim.

Q. 1. An vitia extrinseca mercium sint manifestanda?

Q. 2. An licitè occultetur vitium mercis, circa qualitates versans, interroganti de hoc emptori?

Q. 3. An vitium in substantia emptori sit prodendum?

Q. 4. An & quando occultum vitium, circa qualitates tantùm versans, Emptori etiam non interroganti manifestari debeat?

Q. 5. Quid ad propositum casum sit respondendum?

SY-

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An vitia extrinseca mercium sint manifestanda?

1. *Quot modis res vitiosa possit esse.*
2. *Alia diversitas vitiorum explicatur.*
3. *Vitiosa minori pretio vendenda erit.*
4. *Extrinseca vitia mercis non sunt necessariò exponenda.*
5. *Neque ex hac occultatione evadit emptio involuntaria.*
6. *Vitium tale extrinsecum non existit tunc actu, ut tamen existit intrinsecum.*
7. *Valor præsens rerum pendet à futuro, si hoc sit notum.*
8. *Sola privata unius venditoris notitia non diminuit pretium.*
9. *Non possum pretio ordinario vendere debitum, cui solvendo debitor impotens esse scitur.*
10. *Non potest venditor per alium persuadere emptori, ut talem mercem, vel currente pretio emat.*
11. *Licitè tamen currenti pretio ei venditur, qui scitur post diminutum pretium, illam mercem alteri venditurus.*
12. *Quod tamen non procedit de vino, quod servatum scio deteriorandum.*

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An licitè occultetur vitium mercis circa qualitates versans interroganti de hoc emptori?

13. *Interrogatus venditor debet vitium intrinsecum, & circa qualitates versans emptori indicare.*
14. *Non licèt ob tale occultum vitium, etiam minori pretio vendere, si vitio cognito rem emptor simpliciter non fuisset empturus.*
15. *Si absolutè quidem minore tamen pretio mercem empturus fuisset, excessus justi pretij decepto emptori erit restituendus.*

16. Eò

16. Eò quod talibus ut dolis ad emendum inductus alter fuerit.
17. Ejusmodi deceptio non semper est ascribenda levitati emptoris.
18. Cur mendicus gregales suos decipere fallendo possit?
19. Quia talis venditor Emptorem studiosè in errorem inducit, binc interrogatus vitium nequit licitè occultare.
20. Idem tenendum est circa vitij manifestationem extrinseci.
21. Satisfit objectioni.
22. Dissimulando tamen & tacendo occultare vitium extrinsecum poterit.
23. Non tamen intrinsecum.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An vitium in substantia emptori sit prodendum?

24. Vitium in substantia manifestari debet.
25. Uti etiam illud, cujus negationi consensum alligaverat emptor.
26. Quod tunc contigit, si hæc negatio fuerit objectum meæ intentionis.
27. Non omnes contractus sunt invalidi, qui si vitium quoddam fuisset cognitum, omissi fuissent.
28. Pharmacopœus subinde licitè prescriptam medicinam variat.
29. Emptio cum deceptione in mensura, & pondere non est justum nulla.
30. Mercatores non semper manifestare debent diminutionem mensuræ aut ponderis.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

An, & quando occultum vitium rei versans solùm circa qualitatem manifestari Emptoribus, etiam non interrogantibus debeat?

31. Vitium per se manifestum non est intimandum emptori.
32. Nisi emptor valdè rudis deprehendatur esse.
33. Habili tamen & capaci, ex negligentia tamen non advertenti, vitium non erit indicandum, nisi error sit circa substantiam.
34. Aut vitium rem emptori noxium, aut parum utilem efficiat.

35. De

35. *De vitio occulto monendus erit emptor, qui rem alteri venditurus scitur.*
36. *Aut res propterea ad finem ab emptore intentum inutilis sciatur.*
37. *Non enim sufficit, quod res in se sit utilis.*
38. *Quid faciendum, si res ob vitium per se sit inutilis, per accidens autem utilis emptori?*
39. *Vitium rem leviter inutilem faciens non est emptori necessariò indicandum.*
40. *Nec deest emptori ratio occultandi tale vitium.*
41. *Non obest, quod cognito illo vitio rem alter empturus non esset.*
42. *Dictum Sancti Ambrosij circa hoc punctum explicatur.*
43. *Emptor de infimo pretio contendere potest secundùm notitiam de re habitam.*

§. V.

Resolvitur quintum Quæsitum.

Quid ad propositum casum sit respondendum?

44. *Nulla fuit hæc emptio, si actu emptor noluisset emere equum hujus ætatis.*
45. *Damnum etiam à Judæo reparandum, si aliquod ex hac responsione, ut deceptoria ementi illatum fuerit.*
46. *Ætatem interrogatus Judæus debebat prodere.*
47. *In queis circumstantijs responsio à Judæo data ut fraudulenta haberi possit.*
48. *Vitium hoc ætatis non fuit patens, ac manifestum.*

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An vitium extrinsecum mercis necessariò debeat exprimi?

1 REs aliqua potest esse vitiosa in sua substantia, in quantitate, ac denique tertiò in qualitate, & circa accidentia. Quando pro gemma vitrum venditum dabatur, vitium in substantia rei: in quantitate autem, quando res minoris est quantitatis, quam velit, & existimet emptor: ut si duæ libræ cum dimidia olei vendantur pro tribus. Quod si denique equus ignavus vendatur

pro generoso, in qualitate erat vitium.

2 Secundò vitium potuit esse occultum vel etiam perspectum ipsi venditori. item potuit esse patens, vel non. item alia vitia sunt intrinseca, alia extrinseca, si sciam pretium modo currens ob supervenientem mercium copiam brevi minuendum esse, dabitur vitium extrinsecum.

3 Tertiò etiamsi quædam vitia non essent manifestanda ementi, illorum tamen aliquo infecta merces sine injuria non poterit vendi tanto pretio, quanto distraheretur si vitiosa non esset, hinc etiam quando vitia non debent manifestari, emptores à currente pretio debent descendere, ita ut si ejusmodi vitiosam mercem etiam bona fide consueto pretio alteri vendidissem, comperto postmodum vitio excessus pretij restituendus à me emptori foret, si hoc adhuc formaliter, aut æquivalenter apud me existeret.

4 Dico: vitia extrinseca non sunt necessariò exprimenda, quamdiu circumstantia illa communiter ignoratur. prob. si tale foret manifestandum, ratio esset, quia aliàs emens deciperetur, expendens pro re taliter vitiosa majus pretium: atqui hoc est falsum. prob. min. si talis extrinseca circumstantia, ob quam pretium postea diminuetur, adhuc sit occulta ejusmodi merces in communi æstimatione adhuc retinet consuetum suum valorem: ergo licèt hoc & non minus pretium accipiatur, emptor non fuerat deceptus. Confirmatur. scientia vendentis, & ementis ignorantia non mutant valorem mercium: ergo &c. Confirmatur 2. licèt sciam, mercem aliquam paulò post plus valituram, quàm modò, si tamen hoc communiter ignoretur, possum currente pretio illam tamen emere: ergo &c.

5 Ob. 1. Si talis circumstantia, & vitium occultum extrinsecum non manifestatur emptori, emptio eidem fit involuntaria. prob. si eidem fuisset perspectum, pretium brevi minuendum esse, non emisset illam rem tanto pretio, vel forsitan penitus ab illius emptione abstinuisset. R. neg. ant. contractus enim non evadit involuntarius ex eo, quòd habitualiter ita animo sim affectus, ut quod modò ago, non essem acturus, si hanc vel illam circumstantiam nunc absconditam rescirem, nisi erratum fuerit circa substantiam. Conf. multi non emerent modò frumentum, si scirent, futuram postea copiosam messem, & tamen talis emptio juxta omnes censetur illis esse voluntaria.

6 Ob. 2. Si foret vitium intrinsecum, deberet manifestari: ergo etiam extrinsecum prob. conf. quod diminutio valoris ab extrin-

trinseco vel intrinseco proveniat, nihil facit ad rem ergo &c, prob. ant. in utroque casu res minus valet, & consequenter consueto pretio injustè venditur. N. con. ant. neg. cons. in hujus prob. dist. ant. nihil facit ad rem, quod diminutio pretij pro & in hoc instanti proveniat ab extrinseco, vel intrinseco, con: si diminutio pretij fiat primùm pro sequentibus instantibus, & res in hoc instanti adhuc retineat suum valorem, negatur, cùm vitia præsentia mercium, non autem futura, sint manifestanda, hinc si circumstantiæ extrinsecæ non vitient pro nunc mercem pro nunc tale vitium extrinsecum non erit manifestandum.

7 Urgent. valor præsens rerum etiam pendet â futuro: ergo nulla responsio. N. dist. ant. pendet â futuro, si hoc futurum sit communiter notum, con. si ignotum negatur.

8 Urgent 2. Diminutio pretij est saltem iam tunc nota venditori ergo. N. con. ant. neg. cons. ratio est, quod privata cujusdam singularis personæ scientia non minuat, vel augeat ordinarium pretium.

9 Ob. 3. Sequitur, me posse pretio ordinario alijs vendere debitum, cui solvendo agnosco imparem esse meum debitorem, sed hoc est falsum, ergo &c. prob. Maj. hoc vitium est extrinsecum debito, oritur enim ex paupertate creditoris. N. neg. seq. tale enim jus adversus Creditorem imparem solvendo, est instar juris ad fructus agri sterilis intrinsecè vitiosi: ex opposito vitia, de quibus antea egimus, sunt mercibus extrinseca, & primùm futura, mercibus non inhærentia.

Ob. 4. Si tale vitium extrinsecum proveniens ex paulo post futura diminutione pretij ob auctam ejusmodi rerum copiam, potest licitè occultari, etiam poterit emptori venditor per se, vel per alios persuadere, ut emptor præsenti valore merces acceptet, hoc videtur falsum: ergo &c. N. neg. seq. ratio est, quòd talis decipiat venditorem si expressè dicat, nihil timendum esse de valore per futuram copiam aut legem minuendo. 10

Ob. 5. Saltem peccaret emptor contra justitiam, si venderet optimè gnarus, emptorem eo animo talem mercem â se comparare, ut eam suo tempore iterum vendat, interea autem diminuendum esse illius pretium, & hinc damnum exoriturum ementi. N. neg. seq. ratio est, quia etiam in tali casu venditor æquum accipit pretium pro merce, & utens jure suo agit justè: habet itaque ad hunc contractum se indifferenter, quod emptor 11

ad aliquod tempus sit retenturus justo pretio coemptam mercem.

12 Urgebis : ergo etiam vinum potero alteri vendere, quod servatum scio futurum deterius, & ab altero asservandum prævideo. R. neg. seq. ratio est, quod deterioratio vini profluat ex intrinseco vini vitio : in altero autem casu ex causa omnino extrinseca, majore nimirum copia resultat diminutio valoris.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An licitè occultetur vitium mercis solummodo circa accidentia versans, si venditor ab emptore tacitè vel expressè, in genere, aut in specie de illo vitio interrogatus fuerit ?

13 Dico 1. Si vitium occultum, de quo interrogatur ab emptore vendens, fuerit intrinsecum non posse citra injustitiam positivè, id est, mendacio, restrictione mentali, aut amphibologiâ tegi aut occultari. Ita sentiunt Lugo *disp. 26. de Justitia n. 133.* Molina Palao *cum* Lopez *lib. 1. de contract. c. 41. dict. 5.* Molina *disp. 353. n. 20.* Lessio *L. 2. cap. 21. dub. 11. n. 86.* Azor *3. p. lib. 5. c. 23. dub. 2.* Rebello *lib. 9. q. 10.* Reginaldo, Emanuele Saa Bonac. *de contract. disp. 3. quæ : 2. pu. 6. n. 14.* prob. responsio ex *lege 5. Cod. ad S. C. vell. leg. 2. Cod. de rebus alien. non alien. lege 11. Cod. de distract. pignor.*

Prob. 2. Ratione in tali casu neque mendacio, neque restrictione mentali neque amphibologia, quæ difficulter notari posset, licitè, ac justè vitium occultabitur : ergo &c. prob. ant. qui mendacio, restrictione mentali, aut quadam amphibologia ad emendum inducit alterum, inducit deceptione & dolo : sed qui inducit alterum deceptione ac dolo ad emendum, tenetur ad restitutionem damni, si aliquod ex illa emptione decepto eveneat : ergo qui mendacio inducit &c. tenetur ad restitutionem &c. atqui interrogatus de vitio equi, & negans hunc habere aliquod vitium, inducit alterum ad emendum mendacio, ergo &c. Prob. Maj. mendacia, restrictio, & amphibologiæ in his circumstantijs sunt quoddam genus technarum in fraudem emptores induce-

ci-

centium ; & talibus inductus ex communi hominum æstimatione judicatur fuisse circumventus : ergo &c. prob. min. qui alteri est causa damni , vi , fraude , vel dolo , tenetur ad illius compensationem : imo etiam taliter impediens alterum à consecutione boni , licèt ad hoc impeditus nullum jus habeat juxta communem TT. obligatur : atqui inducens alterum ademendum fraude aut dolo , est causa damni , quod ex tali emptione patitur : ergo &c.

Conf. si ego Sempronium dolosè domo abstraherem , ut alius facilius Sempronij ædes expilaret , essem causa damni & tenerer ad restitutionem : ergo etiam talis interrogatus ab emptore , si neget tale vitium subesse.

14 Unde colligimus , in casu , quo emptor talem mercem , cognito illius vitio omnino non empturus fuisset , venditorem suæ obligationi non satisfacturum , si minore duntaxat pretio illam mercem vendiderit.

15 Col. 2. Excessum pretij taliter decepto emptori restituendum esse , si hic talem vitiosam mercem absolutè quidem adhuc emisset minore tamen pretio , eò quòd ad hunc excessum dolus causam dederit.

16 Ob. 1. hoc mendacium est solùm jocosum , officiosum , & inducens ad contractum justum , saltem si vitium sit extrinsecum : ergo non læditur illo justitiæ ℟. qualecunque hoc mendacium dixeris , ex dictis , illo tanquam fraude , ac deceptione inducitur emens ad actionem sibi damnosam : ergo &c.

Ob. 2. Tale subsequens damnum debet deceptus ascribere suæ levitati , eò quòd mercatoribus mentiendo assuetis tam facilè fidem adhibuerit. ℟. si hoc procederet , omnem deceptionem à restituendi obligatione immunem futuram : suæ igitur levitati debebit talem facilem credulitatem ascribere emptor tunc solùm , quando eidem aliunde perspecta est venditoris nequitia , ita ut nulla prudens fides eidem habita fuerit , aut haberi possit. 17

Ob. 3. Quando mendicus gregales suos decipit , eleemosynam iam fuisse distributam mentiendo , ut ille solus largiorem obtineat , non tenetur ad damnum suo gregali exinde ortum reparandum : ergo &c. ℟. disparitatem esse , quod tale damnum ut plurimùm non sit in re gravi : insuper ipsis iam nota sit invicem sua fraudulentia , hinc dolum alio compensare dolo conantur. 18

Ob. 4. Venditor non tenetur ultrò manifestare vitium occultum mercis : ergo neque interrogatus. prob. conf. venditor nolendo manifestare cum suo præjudicio utitur jure suo : ergo &c. ℟. con. ant. neg. conf. in 19

hujus probat. dist. ant. utitur jure suo, si non haberet obligationem, ne alterum in errorem inducat, conc. si habeat hanc obligationem & hoc modo induceret: nego.

20 Dico 2. Quod modò de manifestatione vitij intrinseci asseruimus, etiam intelligendum est de vitio extrinseco, ratio est eadem in hoc casu, quæ datur in priore.

21 Ob. in tali casu, licèt venditor asserat se nihil scire de augenda mercium copia, emptor tamen non inducetur in errorem: ergo &c. prob. ant. hoc non obstante prudenter poterit judicare emptor, merces forsitan auctum iri, licèt hoc à venditore ignoretur: ergo &c. R. etiam hoc judicari posse, licet venditor asserat, *non augebitur rerum copia*: & tamen, si ita mentiatur, juxta adversarios obligatur: ergo etiam in priore casu obligabitur ad manifestationem, vel hac omissa ad restitutionem.

22 Dico 3. Si interrogatus venditor dissimulet, & sileat, posse illum hac ratione tegere vitium extrinsecum: ita Lessius, Lugo: prob. hac ratione non inducit dolo emptorem ad judicandum copiam v. g. non esse augendam mercium ergo &c. prob. ant. tale silentium est potius suspectum emptori, & hinc ex illo inferet, venditorem habere notitiam de minuendo valore mercis ob similium mercium v. g. copiam brèvi affuturam, si enim nullam de hoc notitiam haberet emptor, ad respondendum foret promptus.

23 Dico 4. Venditor interrogatus de vitio intrinseco rei non poterit dissimulare, aut silendo illud tegere ita omnes qui dicunt, illum ad vitij manifestationem, de quo interrogatus fuerit, obligatum fore. Ratio est, quod alias, infinitis fraudibus via aperiretur. 2. Quia emptor interrogat, ideo potest ita esse actu constitutus, ut non emeret, si sciret, rem illo vitio laborare: ergo tacendo exponitur contractus nullitati ob defectum consensûs: vel rescindibilitatis, eò quòd dolus iste dederit eidem causam, & emptor censeatur rationabiliter invitus.

Excipi tamen videtur casus, quo res sit parvi momenti, & vitium etiam cognitum emptorem ab illius emptione, eodem quoque pretio facienda non absterruisset.

Dices: non est ratio, cur emptor interrogatus à venditore possit dissimulare vitium extrinsecum, non autem intrinsecum: ergo vel utrumque, vel nullum interrogatus venditor poterit dissimulare. R. disparitatem esse, quod vitium extrinsecum non detur actu tunc, quando fit contractus, prout tamen datur intrinsecum: ergo ad sola vitia, quæ tempore contractûs actu dantur, sint aperienda, extrinsecum dissimulari poterit

terit. 2. Quia vitia extrinseca rarissimè contingunt, intrinseca autem vix non quotidie: ergo ex dissimulatione vitiorum extrinsecorum non aperitur janua infinitis fraudibus, uti ex dissimulatione intrinsecorum.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An vitium in substantia emptori sit manifestandum?

24 Dico 1. Illud esse manifestandum emptori, ita communis. Prob. si vitium sit in substantia, & hoc emptori sit ignotum, tunc contractus ob defectum consensûs ex parte emptoris est nullus: ergo ut hanc nullitatem impediat emptor, debebit hoc vitium manifestare emptori: aliàs ob defectum validi contractûs non poterit acceptum pretium facere suum.

25 Dico 2. Etsi vitium occultum non sit circa substantiam, quando tamen ejusdem negationi, tanquam conditioni sine qua non, actu suum consensum emptor alligat, manifestandum illud emptori erit. Ratio est eadem, quia consensus foret nullus, & hinc contractus invalidus.

26 Dico 3. Ad hoc, ut possim dici, me actu consensum meum alligâsse, absentiæ cujusdam vitij, tanquam conditioni sine qua non, requiri, ac necessarium esse, ut illa qualitas sit objectum meæ voluntatis, qua cogito, vel dico, me non consentire in emptionem hujus rei, nisi hanc vel illam qualitatem habeat. Prob. si hoc non fiat, tunc meus consensus non erit conditionatus, & alligatus signatè illi qualitati: ergo poterit consensus absolutus in substantiam rei dari, licèt illa qualitas desit, ergo etiam poterit esse validus.

Conf. valori talis contractûs non obest, quòd ita habitualiter sim constitutus, ut si scirem, illam qualitatem deesse, rem istam non emerem: ergo requiritur, ut signatè consensus tali qualitati fuerit annexus. Prob. ant. ex eo, quòd rem non essem empturus, si scirem illud vitium adesse, vel qualitatem aliquam deesse, quod vitium modò adesse, vel quam qualitatem deesse, modò ignoro, malè infertur, quòd in emptionem de facto non consentiam; sed tantummodo sequitur, quòd si scirem illam qualitatem deesse, non essem consensurus in emptionem: ergo talis emptio non erit invalida ex defectu consensûs.

Conf.

Conf. 2. Mera habitualis voluntas conficiendi Sacramentum non sufficit ad hujus valorem : item non sufficit ad meritum , vel demeritum in genere morum: ergo nec in contractibus oberit valori consensûs.

Conf. 3. præcisè ideo talis consensus deficiente tali qualitate esset nullus , quia hic erat conditionatus , & alligatus qualitatis existentiæ tanquam cuidam conditioni , quæ cùm desit , consensus non evadit absolutus : ergo si consensus non erat ita conditionatus , licèt desit illa qualitas , contractus non erit nullus : atqui non est conditionatus , si qualitas illa non erat objectum cognitionis ac voluntatis ementis : ergo.

27 Ob. 1. Conradus *de contract. q. 54.* quando rem emo , quam non emissem , si rei illius vitium scirem , tunc contractus , & consensus sunt involuntarij : ergo invalidus contractus : prob. ant. ignorantia causat involuntarium : ergo &c. ℟. neg. ant. ita universaliter acceptum. Patet enim illius falsitas ex eo , quòd omnes contractus forent invalidi, quando etiam leviſſima tantùm qualitas ignorata daretur , quam si sciret emptor, illam rem non emisset , licèt etiam venditor eandem ignorâsset. 2. Ejusdem falsitas patet in contractu matrimoniali. 3. Nemo vendentium vellet ita contrahere , ut ementi sit liberrima potestas dissolvendi contractum , modò vel minimum vitium emptæ rei inesse ipse emptor postea comperit. 4. Sæpè aliqua emimus ex motivo quodam intrinseco, quod cùm postea deprehendimus fuisse nullum , nos pœnitet contractûs , & nequaquam illa emissemus , si nullitatem nostri motivi perspectam habuissemus , & tamen ejusmodi emptio valet : ergo &c. Hinc dicimus , nullum intercessisse ignorantiam circa substantialia rei , aut circa qualitatem, quæ fuerat objectum nostræ condinonatæ voluntatis.

28 Ob. 2. Sæpiùs pharmacopæus unum medicamentum dant pro alio à medicis præscripto , & tamen non obligantur ad hujus vitij manifestationem, quia sufficit, quòd datum medicamentum ad finem ægroti emptoris sit æquè utile , ac foret præscriptum. Ergo vitium etiam substantiale non erit semper manifestandum. ℟. antecedens negari à Medina, defendi autem à Toleto Valentia , Ledesma , Lopez , Henriquez , Lugone *disp. 26. sect. 1. n. 124.* ℟. itaque , ideo in tali casu hanc mutationem non esse manifestandam , quia in æstimatione mercali , & in ordine ad finem, propter quem petitur , est eadem medicina , licèt physicè sit diversa: intenditur enim ab emptore sola sanitas : ergo modò in petendo pretio descendat pharmacopæus , non erit invitus ægrotus

Ob.

29 Ob. 3. Si contractus est nullus, quando vitium circa substantiam versans ignoratur, illæ emptiones omnes erunt nullæ, in queis venditores deceperunt in mensura, & pondere, prob. talis deceptio est circa substantiam. R. neg. seq. in prob. dist. ant. est deceptio circa substantiam, quoad defectum, conc. in alio, negatur, in tali casu sufficit à venditore defectum suppleri, quod fit, si pretium correspondens defectui restituatur; aut tantundem quantitatis, quæ defuerat, addatur.

30 Ob. 4. Potest contingere, ut pretium à lege taxatum tanquam infimo minus, sit injustum, ut igitur tales mercatores se indemnes conservent, consueverunt illi aliquid detrahere consuetæ, & præscriptæ aliàs mensuræ: ex hactenus autem dictis sequeretur, tales mercatores debere hanc consuetæ aliàs mensuræ diminutionem manifestare, quia aliàs nullus esset contractus, eò quòd emptor in consuetam & præscriptam, non autem in diminutam consenserit. hoc autem videtur esse falsum: ergo &c. R. in hoc duo posse in dubium vocari; unum, an licitè in tali casu diminuatur mensura aliàs consueta; alterum an consensus sit nullus, si hæc diminutio emptori non fuerit insinuata? Ad primum respondeo talem diminutionem in similibus circumstantijs fore licitam, & ut talem defendi ab Antonio Gabriele, Soto, Vega, Medina, Sylvestro, Layman, Palao. *disp. 5. de Just. pu. 22. n. 5.* rationem afferunt, quia macellarius v. g. non potest à Magistratu obligari, ut cum suo damno vendat, aut suum officium bono communi maximè necessarium dimittat. 2. per hoc nullam injuriam emptori facit, quia merx ponitur adhuc æqualis valoris esse cum pretio.

Ad secudum dubium reponimus, emptorem etiam in diminutam mercedem consensisse; emptor etenim consensit in mensuram ordinariam; ergo etiam consensit in minorem sub majore contentam: cùm autem pretium pro consueta mensura oblatum non sit æquale merci, hinc mercatori licet uti suo jure, & tantum detrahere, quantum, si fuerit detractum, merx & pretium sibi correspondeant.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

An, & quando occultum vitium rei versans solùm circa qualitatem manifestari Emptoribus, etiam non interrogantibus debeat?

31 DIco 1. Vitium ex se manifestum non tenetur venditor indicare emptori, ita sentit S. Thomas *2. 2. quæst. 77. art. 3.* item Sylvester *verbo emptio q. 19.* Sotus *lib. 6. q. 3. art. 2. concl. 6.* Molina *disp. 353. concl. 7.* Laymann. *lib. 3. summæ sect. 3. tract. 4. cap. 17. §. 2. n. 14.* Palao *de Just. disp. 5. pu. 22. n. 6.* habetur conclusio in *lege: ea quæ ff. de contrahenda empt. & lege 1. §. si intelligitur: ff. de ædilitio edicto.* Ratio est, quod sibi emptor debeat imputare, quòd rem vitiosam emerit, cùm tamen vitium facilè potuisset agnoscere. Ratio est 2. Ibi non opus est aliqua manifestatione, ubi se ipsam res manifestat sufficienter, ac loquitur, atqui si vitium est manifestum, fit hoc. ergo &c.

32 Dico 2. Si emptor deprehendatur adeò rudis esse, oculis aut mente tam hebes, ut appareat, eum non posse hoc vitium facilè advertere, de hoc videtur monendus, ita sentiunt Aragon. Salon Toletus *de 7. peccatis mortal. cap. 41.* Rodriquez, Laym. *lib. 3. summæ sect. 5. tract. 4. cap. 17. §. 2. n. 14.* Palao *n. 7. loc. cit.* Prob. respectu talis ejusmodi vitium aliàs patens reipsa est occultum: sed occultum est manifestandum emptori: ergo &c.

33 Dico 3. Si emptor considerata sua habilitate, ac capacitate posset absolutè facilè deprehendere patens vitium, ex negligentia tamen, aut inadvertentia illud non observat, probabilius non erit necessariò monendus à venditore, si error circa substantiam non versetur, aut emptio talis non sit directè illius voluntati contraria. Ita Arragon, Salon, Vega, Toletus *lib. 7. de 7. peccatis c. 41.* Salas *tract. de emptione dub. 43. n. 5.* Prob. concl. negativè, quia unusquisque dictum sibi imputare debet, quod non meliùs omnia examinaverit, prob. 2. hac ratione nullam eidem injuriam infert; ponimus enim ob tale vitium rem fuisse minori pretio distractam.

34 Dico 4. Si vitium occultum rem noxiam emptori faciat, aut parum utilem erit illud emptori manifestandum, ita cum D. Tho-

ma

ma *quodlib. 1. art. 10. & 2. 2. q. 77. art. 3.* prob. *1. ex lege 2. ff. de periculo, & commodo rei venditæ: & lege 1. & seqq. ff. de ædilitio edicto, & lege quæro: & lege* Julianus *ff. de action. empti:* Prob. talis emptio absque ejusmodi manifestatione facta incipit esse involuntaria emptori, ergo &c. Prob. ant. judicat sibi vendi mercem utilem ac sanam; & tamen hæc est eidem noxia & inutilis, ergo emptio est involuntaria, & ad hanc emptor dolo fuit inductus.

35 Dico 5. Si venditor sciat emptorem rem à se emptam postmodum alteri revenditurum esse, de occulto vitio moneri debebit. Ita Cajetan. Navarrus, Petrus Navarr. Rebellus, Saa. Prob. si emptor non moneatur, venditor erit in causa, ut emptor vendens rem alij nihil detrahat de pretio consueto ob latens vitium, consequenter emptori secundo inferetur cum injuria damnum.

36 Dico 6. Idem faciendum, si res ob vitium occultum credatur parum utilis ipsi emptori ad finem per emptionem intentum, ita D. Thomas *supra cit.* Ratio est, quòd aliàs injuria emptori, & damnum inferantur, & emptio fiat ementi involuntaria.

37 Ob. contra hanc conclus. in venditione attendendum duntaxat est, num res in se, & absolutè spectata sit utilis, vel noxia, non autem utrum emptori talis sit futura, ergo modò merx in se sit utilis, poterit vendi, licèt ex vitio occulto emptori prævideatur inutilis. Prob. ant. non est officium venditoris, ut finem ementis attendat: ergo &c. R. dist. ant. non est attendendus finis, si hoc non attento nulla incommoda ex tali venditione eveniant emptori con. si eveniant, neg. si eveniant incommoda, tunc ob vitium occultatum injuria fiet ementi; cùm occultatio sit causa talium incommodorum.

Urgebis: non possunt ostendi illa incommoda: ergo. R. neg. si enim ad finem ab emente intentum merx comparata non quadret, res erit emptori inutilis, erit insuper eidem, vel alius emptor sollicitè quærendus, cui minori forte pretio debebit illam vendere, vel hoc non invento totius expensi pretij jacturam debebit pati. Quòd si autem hæc damna non incurreret, aut facilè evitare posset emptor, accommodando rem alteri cuidam usui, aut vendendo pretio æquali, Salas *de empt. dub. 34. n. 4.* defendit, vitium non esse manifestandum. Ratio est, quòd emptor nihil curet, utrum res sit alteri utilis, sed utrum sibi hæc omnia tamen intelligenda sunt, si emptor emendo intendat finem, ad quem ejusmodi res per se ordinari consuevêre. 38

Ob. 2. Potest esse v. g. equus ratione sui vitij per se inutilis ad 39

finem, ad quem communiter emi solet per accidens autem non obstante tali defectu emenci utilis, & peraccommodus : in hoc casu non poterit determinari, an valeat talis venditio occultato vitio celebrata, vel non, ergo &c. N. Molina *disp. 353. §. illud admonuerim :* Rebellus *lib. 9. q. 9. n. 5.* Palao *de Just. disp. 5. pu. 22. n. 12.* ejusmodi contractum tam in foro externo, quàm conscientiæ esse rescindibilem. Rationem afferunt, quòd rei valor desumendus ex eo sit, an merx per se sit apta ad finem, propter quem ordinariè emi solet, non autem ex utilitate, vel inutilitate illius, per accidens emptori tali evenientibus.

3 Dico 7. Si vitium occultum duntaxat leviter mercem inutilem reddat ad finem emptione intentum, probabilius non erit venditor obligatus ad illud emptori manifestandum, etsi sciat ab illo hujus conscio mercem talem nequaquam emendam fore. ita cum D. Thoma *2. 2. q. 77. art. 2.* Arragon, Salon, Valent : Soto Sentiunt Molina *disp. 352. conclus. 3. & disp. 353. post conclus.* Layman. *lib. 3. summæ sect. 5. tract. 4. cap. 17. §. 2. n. 15.* Palao : *loco cit. n. 14.* Prob. *concl. 1. ex leg. 1. §. proinde, & sequenti : & lege ob quæ vitia & seqq. ff. de ædilitio edicto.* prob. 2. ratione. nulla fit injuria Emptori, ergo non erit manifestandum cum unica ad manifestandum ratio obligans sit injuria emptori aliàs inferenda, prob. itaque antec. ponitur, quod servetur æqualitas, pretium inter & mercem : non datur emptori res quædam noxia, nec inutilis considerata quantitate pretij : ergo &c. prob. 3. in contractu venditionis debemus considerare, num deceptio jure naturali aut positivo contractum annullet ; minimè autem attendendum, an emptor foret empturus vel non : ergo prob. ant. si hoc ultimum esset attendendum, plurimi contractus passim dissolverentur non sine gravi communitatis detrimento atque incommodo : ergo. prob. ant. plurimi emptores ab emptione desisterent, si eisdem omnes circumstantiæ manifestarentur. subs. sed jure naturali aut positivo non annullantur contractus, si levem duntaxat jacturam emens aut vendens patiatur : ergo &c.

Ob 1. In tali casu venditor 40
nullum motivum occultandi vitium habere potest, nisi deceptionem mentis : ergo debebit illud palam facere. N. neg. indicat enim nobis aliquod D. Thomas *2. 2. q. 77. art 3.* dicens posse taceri, *quia forte propter hujusmodi vitium emptor vellet plus subtrahi de pretio, quàm esset subtrahendum : unde licitè potest venditor indemnitati suæ consulere, vitium reticendo.*

Ob.

41 Ob. 2. Saltem tunc erit indicandum vitium, quando venditor prævidet rem ab emptore non fore emendam, si conscius fuerit latentis vitij: prob. in tali casu est eidem emptio involuntaria. ℟. iam superiùs à nobis ostensum fuisse, nequaquam semper invalidum contractum esse, quem non celebrâsset emptor, si certum circumstantiam novisset. Et prob. ulteriùs hac ratione: cùm pretium ponatur æquale esse valori mercis, ideo quoad illud valet contractus, licèt cognito vitio rem non esset eo pretio emptūrus, sed minore ipse emptor: ergo etiam erit simpliciter quoque validus quoad substantiam, licet illum cognito illo vitio non esset celebraturus, prob. conf. utrinque est par ratio, & ob justitiam pretij etiam contractus est justus, si tamen (quod necessarium judicamus esse) negativè tantum se venditor habuerit, omni mendacio, & dolo exclusis. 3. concedimus talem emptionem fore aliqualiter involuntariam, simpliciter tamen, ac absolutè voluntariam.

42 Ob. 3. Authoritatem D. Ambrosij *3. officiorum cap. 10.* asserentis, in contractibus vitia eorum, quæ veneunt, prodi juberi. ℟. hæc locum habere duntaxat in vitijs mercem notabiliter noxiam vel inutilem ad finem in ejus emptione intendi solitum reddentibus.

43 Ob. 4. Emptor habet jus contendendi de infimo pretio: ergo tenetur venditor omnia vitia prodere emptori. ℟. 1. dist. ant. Emptor habet jus contendendi de infimo pretio juxta notitiam, quam aliunde habet de re & pretio, conced: ita ut unus alterum debeat docere de pretio summo, medio, vel infimo, negatur. Contrahentes tantum eatenus sunt informandi, quatenus opus est, ut evitetur error in substantia, vel aliud quodcunque damnum notabile, quod in re vel in pretio alteruter posset pati. ℟. 2. dist. conf. tenetur prodere omnia vitia, quæ ex rei natura & spectata communi contrahentium praxi manifestantur con. etiam quæcunque alia, negatur. Dein etiam emptor habet jus contendendi de pretio summo & rigoroso.

§. V.

Datur ultimata Resolutio præsenti Casus.

44 EX dictis hactenus colligimus, contractum hunc absolutè fuisse nullum, vel saltem ab Emptore rescindibilem, si ista amphybologia responsio verè deceptoria, & emptor actu tunc ita constitutus fuerit, ut equum illum simpliciter non emisset, si ex venditore de ætate equi interrogato intellexisset, equum istum iam fuisse quatuordecim annorum. Ratio est, quia consensus fuit nullus, & ob defectum conditionis neutiquam absolutus.

45 Collig. 2. Licet emptor tunc actu non fuerit ita constitutus, ut modò posuimus, si tamen hæc amphybologica responsio verè fuit deceptoria, & fraudulenta, insuper ex emptione equi aliquod damnum emptori evenerit, vel majori, quàm valebat, pretio comparatus equus fuerit, reparatio hujus damni à Judæo præstanda erit. Ratio est, quia suis fraudibus illud voluntariè emptori intulit, quin imo cum dolus vendentis causam huic contractui dedisse videatur, à decepto emptore rescindi poterit.

46 Collig. 3. Etsi communiter ætas equorum ex nulla obligatione ementi sit indicanda, quia tamen ponitur venditor de hoc fuisse interrogatus, ad illam indicandam est obligatus: ratio est, quòd ætas quatuordecim annorum notabiliter deteriorem & minùs æstimabilem ejusmodi equum reddat, & meritò emptores ab illius emptione absterreantur.

Collig. 4. Si consuetus ordina- 47
rius modus Judæorum non obtinuerit, ut quatuordecim annos indicare soleant, repetendo bis hunc numerum *septem*, manifestè Judæus decepit venditorem, cùm volens indicare ætatem quatuordecim annorum, dixit equum esse *septem septem annorum*, Sieben / siben Jahr. & licèt forsitan in foro externo nihil proficeret emptor, si non ultra dimidium fuerat læsus, occulta tamen compensatione uti poterit deceptus, si damnum quoddam ex hoc passus fuerit, & alia ratione Judæus illud compensare recusaverit.

Collig. 5. Judæum non posse 48
pro sui Excusatione afferre, quod vitium hoc tanquam ex dentibus equorum desumibile, patens fuerit, consequenter indicari emptori non debuerit. Ratio est, quia provectior ætas ultra 7. vel novem annos non amplius ex dentibus deprehenditur: accedit, quòd etiam signa ista ordinaria dentium sectione corrumpi possint, ut equi minoris ætatis videantur esse.

CA-

CASUS XII.

De re cum vitio occulto vendita.

STichus, quia sibi res quædam cum vitio occulto à Cnejo vendita fuit, deprehenso errore contractum vel nunquam fuisse validum, vel saltem rescindibilem contendit, hinc.

Q. 1. Quid de valore contractûs, cui deceptio circa qualitates causam dederat, sentiendum?

Q. 2. Si talis contractus fuerit validus, num à decepto pro suo lubitu rescindi possit?

Q. 3. Quid juris, si absque alterius contrahentis; aut ex culpa cujusdam tertij deceptio contigerit?

Q. 4. Quid ad hunc casum sit respondendum?

SYNOPSIS.

1. *Irritus fuit talis contractus, si error circa substantiam rei, aut motivum principale intervenerit.*

2. *Valebit tamen, si cum errore solum incidente celebratus fuerit.*

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum?

Quid de valore contractûs, cui deceptio circa qualitates causam dederat, sit sentiendum?

3. *Validus erit contractus, si qualitates sub dubio fuerint propositæ, & à Sticho nequaquam examinatæ.*

4. *Aut examinatæ quidem fuerint, ad contrahendum tamen non permoverint.*

5. *Nullus etiam erit, si error circa qua-*

qualitates in objectum contractûs tractaverit.

6. Contractus stricti juris subsistunt, licèt eisdem dolus causam dederit.

7. Idem probabilius de contractu bonæ fidei tenendum.

8. Talis contractus jure naturali validus non infirmatur à jure positivo.

9. Contractus bonæ fidei non annullatur præcisè ex defectu bonæ fidei in altero contrahente.

10. Valor talis contractûs non provenit ex fraude decipientis sed ex utriusque consensu.

11. Error causat subinde involuntarium solùm secundum quid.

12. Qualiter consensus talis decepti sit inefficax.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An contractus, cui deceptio circa qualitates duntaxat accidentales versans, ex culpa alterius contrahentis causam dederat, à decepto si voluerit, rescindi possit?

13. Responsio est affirmativa.

14. Licèt ipse nocens obligetur firmiter.

15. Deceptus tamen solummodo revocabiliter obstrictus maneat.

16. Quia subinde se ipsum aliquis à sua obligatione potest eximere.

17. Decipiens ratione contractûs, non autem ratione injuriæ alteri illatæ firmiter obligatur.

18. Et quidem probabilùs, licèt nullum damnum ex hac injuria deceptus passus fuerit.

19. Nec contractui oneroso facultas rescindendi contraria videtur.

20. Nec favet decipienti, quod voluerit se obligare decepto, si hic illi se obligaverit.

21. Ex ficto consensu nulla oritur obligatio; quia hæc ab illo impeditur.

22. Quia matrimonium ex utraque parte est indissolubile, ratione dotis non potest rescindi à decepto.

§ III.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An decepto competat facultas rescindendi, si error absque culpa alterius contrahentis contigerit?

23. Probabilius talis contractus erit indissolubilis, si jam completus fuerit.
24. Nisi alter ad talem qualitatem probandam se obligaverit expresse.
25. Aut etiam tacitè.
26. Inculpabilis deceptor non tenetur deceptionem cum magno suo damno impedire.
27. Nisi in certo casu.
28. Error versans circa qualitatem extrinsecam & dans causam contractui, est validus.
29. Si à tertio deceptio processerit, contractus, & validus, & irrescindibilis erit.
30. Aliter se res habet in sponsalibus.
31. Suppositâ rescindibilitate contractûs, ab hoc absque sententia judicis deceptor resilire poterit.
32. Deceptus, & naturaliter, & civiliter obligatur hoc contractu, si facultate à juribus sibi concessâ uti nolit.
33. Ex hoc tamen nequaquam obligatio decepti erit frustranea.
34. Estque hoc jus in decepto in ordine ad exceptionem perpetuam.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum?

Quid ad hunc casum sit respondendum?

35. Triplex videtur solvendum esse dubium.
36. Venditio hæc fuit nulla, si hoc vitium fuerit substantiale &c.
37. Error circa qualitatem accidentalem licèt contractui causam dederit, contractum non reddit irritum.
38. Multò minùs eundem invalidat error merè incidens.
39. Poterit tamen à decepto rescindi, si dolus venditis intercesserit.
40. Debuit tamen ipse venditor se non obligâsse ad alsentiam omnis latentis vitij, hoc enim posito con-

tractus vel rescindi, vel ad æqualitatem reduci poterit.

41. Si tamen deceptus damnum quoddam exinde passus fuerit,

42. Nec periculum latentis vitij in se susceperit,

1 VItium, circa quod se deceptum conqueritur emptor Stichus, potest dari in substantia rei emptæ: aut versari circa motivum principale atque finem per hujus rei emptionem intentum. quodcunque ex istis verificetur, ex dictis de fraudulento mendico constat, emptionem fore nullam atque irritam, eò quod ejusmodi deceptio excludat consensum, cùm versetur, circa prædicatum, cui intentio ementis erat alligata.

2 Quòd si autem deceptio circa hoc vitium inciderit duntaxat in contractum, quatenus etiam illo cognito adhuc illam rem emisset Stichus, tunc juxta dicta in citato casu §. 3. validus erit contractus, reducendus tamen ad æqualitatem, si in illo emptor læsus fuerit, agnoscunt etiam cum tali errore incidente celebrati contractûs valorem, *Lex 9. princ. ff. de dolo malo, & l. 13. § 4. & 5. ff. de act. empt. vendit.* in his enim L.L. traditur, decepto competere actionem ex contractu, in quem dolus inciderit, non potest autem irritus esse contractus, ex quo actio contractui propria descendit.

Supereſt itaque ut videamus; num subsistat, si deceptio illa fuerit antecedens, & dederit causam contractui in quantum Stichus rem illam nequaquam fuisset empturus, nisi talis deceptio circa hoc vitium intervenisset, ad quod tamen manifestandum venditor fuisset obligatus.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Quid de valore contractûs, cui deceptio causam dedit, sentiendum?

3 DIco 1. Si qualitates sub dubio fuerint menti propositæ: hic verò nulla deliberatione præmissa contraxerit, ostendnes exteriùs, se tamen contracturum, licèt expressè illas qualitates vitiosas agnosceret, erit validus contractus, probatur. in tali casu

&

& in ſubſtantiam & in qualitates accidentales ſaltem virtualiter conſenſit emens : ergo &c.

4 Dico 2. Pariter contractus ſubſiſtet, ſi examinatione præpoſitarum ſub dubio qualitatum præmiſsâ, emens quidem deceptus, ex hac tamen deceptione ad contrahendum non permotus fuerit. ita Leſſius *Lib. 2. cap. 17. dub. 5. n. 28.* Baſilius Legion *Lib. 4. de matrim. cap. 21. n. 3.* Palao *de juram. Diſp. 2. pu. 5. n. 8.* probatur. ſi error harum qualitatum naturaliter contigiſſet, foret validus contractus : ergo etiam in tali caſu. probatur conſequentia. Si à qualitatum errore non fuit permotus ad contrahendum, perinde eſt, ac ſi naturaliter circa illas errâſſet, atque nullam circa illas notitiam habuiſſet.

5 Dico 3. Si error circa qualitatem in objectum contractûs intraverit, hic jure naturæ erit nullus. ita Baſilius, Legion, Palao *n. 11. loci cit.* probatur in tali caſu conſenſus etiam tendebat in qualitatem, ut in ſuum objectum : ergo ſi illa qualitas non detur, neque dabitur conſenſus, prout hic etiam non datur, ſi ſubſtantia conſenſus non detur. Confirmatur, talis conſenſus neceſſariò debet variari ſublata illa circumſtantiâ vel qualitate, in quam tendebat, & quam emens credebat adeſſe. Confirmatur 2. Talis conſenſus fuit virtualiter conditionatus, ſi ſcilicet illa qualitas adſit.

6 Dico 4. Contractus ſtricti juris ſubſiſtit, licèt dolus eidem cauſam dederit. Ita Sanchez *lib. 2. de matrim. diſp. 18. n. 18.* Haunold. *tom. 3. tract. 8. n. 83.* Gletle *in ſuis ſelectis Quæſt. quæ. 35. n. 1.* probatur. jure naturæ eſt validus, & non conſtat eundem jure poſitivo annullatum, ſed potiùs ab hoc ut validus videtur declarari *Lege 5. Cod. de inutil. ſtipul. & §. 1. Inſt. de Except.* probatur. in his textibus dicitur, obligari ac efficaci ratione conveniri poſſe, qui dolo inductus ſtipulanti promiſit, quod non debebat : ergo talis ſtipulatio, cui dolus cauſam dedit, non eſt jure poſitivo irritata ; cùm ex irrito contractu non reſultet actio ad agendum. In Confirmationem noſtræ ſententiæ ædduci etiam poſſunt *Lex. 11. §. 5. ff. de action. empti. Leg. 36. ff. de verb. oblig. Lex. 5. Cod. de reſcindenda vendit.* in his enim locis datur decepto exceptio, vel actio ad reſciſſionem contractûs: ergo debet iſte eſſe validus, quia aliàs non poſſet reſcindi.

Diximus autem alibi, contractus ſtricti juris eſſe, in quibus Judex debet pronuntiare ſecundum rigorem & verba conventionis, quibus tamen emptio nequaquam annumeratur.

7 Dico. 6. Etiam contractus bonæ fidei, qualis eſt emptio, erit validus, licèt illi dolus alterius contrahentis cauſam dederit, modò non verſetur deceptio circa

substantiam, motivum principale; aut vitium non intraverit in objectum contractûs. Ita Lugo *Disp. 22. sect. 6. n. 69.* Palao *de Juram. disp. 2. p. 5. n. 19.* Lessius *lib. 2. de jure & just. cap. 17. dub. 5.* Wisenbac. *Disp. ad ff. 13. Thesi 34.* Haunold. *Tom. 3. de J. & J. tract. 8, cap. 2. controv. 1. §. 3. n. 86.*

Probatur conclusio. Contractus fuit verè voluntarius erranti vel decepto, & ex nullo alio capite apparet ratio eundem annullandi: ergo probatur antecedens eò ipso, quòd error non fuerit circa substantiam contractûs, erat hic erranti quoad totam suam substantiam voluntarius: ergo validus, licèt detecto errore contracturus non fuisset, ratio est, quia affectus futurus contingens non impedit absolutè consensum in substantiam contractûs.

Probatur 2. à pari, valida juxta communiorem est ordinatio Presbyteri, licèt ex errore eidem Episcopus ordines contulerit falsò judicans eundem esse habilem ratione requisitæ ætatis, aut dimissorialium à suo ordinario fraudulenter obtentorum, quia hic error non versabatur circa substantiam: ergo &c.

Probatur 3. Matrimonium cum tali errore contractum valet: ergo etiam alij contractus. antecedens constat in casu, quo puella depauperata se fingit divitem, & hinc in uxorem ab aliquo assumitur absolutè, quin suum consensum alligaverit divitijs tanquam conditioni sine qua non. Probatur consequentia. si alij non valerent, ratio foret, quia in illis deest voluntarius consensus ob errorem, sed hic non deest, quia in matrimonio datur similis error, & tamen adest sufficiens voluntarius consensus.

Confirmatur. occisio Sempronij est mihi utique voluntaria sub ratione homicidij, licèt illum ex errore interfecerim, falsò judicans, illum esse meum inimicum, non occisurus, si scivissem hoc esse falsum,

Confirmatur 2. Si error vel dolus sit incidens, ita ut etiam illo remoto absolutè res fuisset empta, minore tamen pretio, contractus quoad istum excessum juxta adversarios est validus, & tamen datur defectus requisitæ circa illum excessum scientiæ, cujus causa ille dolus vel error extitit: ergo defectus talis scientiæ non obest valori contractûs.

Probatur eadem conclusio 4. Communi bono convenientius & decepto est optabilius, ut contractus valeat, quàm non. Probatur, si valet, deceptores subinde possunt in astutia sua capi, si enim contra opinionem & judicium deceptoris contractus decepto sit optabilis, decipiens debebit stare contractui, quod

quod non fieret in oppositis principijs.

8 Ad has rationes respondent contrariæ opinionis Authores, è quibus est Molina *de J. & J. disp. 259. n. 6. & disp. 352. n. 2.* Bachov. *tract. de Act. disp. 6. Thesi 17.* Vinn. *lib. 1. select. QQ. c. 12.* Ejusmodi ex dolo initum contractum non esse quidem irritum ex defectu consensûs, benè autem ex annullatione juris positivi scilicet *Leg. 16. in causæ cognitione §. 1. ff. de Minorennibus* ibi *relatum est apud Labeonem, si minor circumscriptus societatem coierit, vel etiam donationis causâ; nullam esse societatem, nec inter majores quidem, & ideo cessare partes prætoris, & Ofilius respondet; satis enim ipso jure mutuus est.*

Sed contra est: hæc lex loquitur universaliter de omni deceptione & dolo, non distinguens inter dolum solummodo incidentem, & dantem contractui causam: seu antecedentem: si ergo annullat omnem contractum cum deceptione initum etiam cum dolo incidente initus ab illa fuerat annullatus: atqui hoc negant adversarij: ergo non poterit defendi, quod omnem cum dolo quocunque initum contractum verè annullet: ergo neque annullabit contractum cum dolo causam dante factum, cùm uti dictum de utroque indiscriminatim loquatur: ergo solùm declaravit, quòd non sit firmus, sed rescindibilis.

Reponunt adversarij, extra omne dubium esse, quod ex dolo incidente contractus non infirmetur; hinc non esse credibile, quòd Juris-Consultus ad hujus tam certæ rei probandam veritatem, authoritatem Labeonis voluerit allegare: ergo lex loquitur de solo dolo antecedente, ac dante causam contractui.

Rz. finem §. 1. *cit.* legis non esse annullare hunc contractum, sed tantùm ostendere casum, in quo non sit opus, ut minorennis restituatur in integrum. In principio enim cit. Lex dicit, restitutionem in integrum non esse assumendam, si alius adhuc Titulus adsit favens minorenni. Dein §. 1. subjungit, & quasi in exemplo ostendit, talem titulum adesse, quando contractus ex dolo celebratus est nullus, id est rescindibilis. Rz. 2. Sæpiùs in jure contingere, ut id ipsum statuat, quod vel naturali, vel anteriore quodam jure statutum fuerat, constat hoc ex *cap. 7. de Procurator.*

Dicunt 2. *Leg. 7. ff. de dolo malo* dicitur: *nulla est venditio, si quis in principio hoc ipso ut venderet, circumscriptus est:* ergo.

Respondent nostræ opinionis Authores, ibidem sermonem esse de venditione sine authoritate Tutoris facta, quæ propter hunc defectum irrita declarari potuit.

Adducunt tertio contra nos etiam *Legem 1. Cod. de Rescind. vendit.* ibi: *malæ fidei emptio irrita est.* R. hanc legem posse intelligi de nullitate contractûs efficacis ex parte decepti, eò quòd iste possit rescissionem illius pro suo lubitu petere: item de nullitate ex parte decipientis, in quantum jura nolunt, ut huic jus quoddam efficax exoriatur ex contractu dolosè à se inito.

Adducunt 4. *Legem 3. §. ult. ff. pro socio.* hìc de societate dicitur, quod ipso jure nullius sit momenti, si dolo malo, aut fraudandi animo fuerit inita. Si reponamus, sermonem esse de sola societate, quæ sceleris causâ, atque adeò malo fine contracta fuit. Contra hoc inferunt: in allata Lege nullitatis fundamentum duplex astruitur, dolus scilicet malus, & finis malus: ergo sicut societas cum fine malo est ipso jure irrita, sic etiam dolo malo, quia Lex de utroque loquitur æqualiter.

R. cùm hæc lex non distinguat inter contractum dolo malo antecedente, vel incidente tantùm initum, & de utroque dicat, quòd sit nullus, ideo non poterit intelligi de nullitate omnimoda, ita, ut neque decipiens obligetur decepto, si hìc illum fortè vellet obligare, & stare contractui.

Ex his inferimus, saltem dubium esse sensum Legum pro nullitate contractûs bonæ fidei allatarum: ergo optimo jure inferimus, talem contractum non esse ipso facto irritum. Probatur illatum. Est jure naturæ certè validus, & ex parte altera est dubium, an sit jure positivo annullatus: ergo absolutè in praxi tenendum, quòd sit validus. Probatur consequentia, nullus habetur textus clarus atque apertus, quòd jus positivum à naturali recesserit: ergo procedendum est juxta jus naturale.

Confirmatur. Jus certum prævalet juri dubio: jus naturale confirmans hunc contractum est certum: jus positivum annullans est dubium: ergo standum est juri naturali.

Confirmatur 2. Utraque sententia est tam intrinsecè, quàm extrinsecè probabilis, cùm & gravibus rationibus, & magna authoritate nitatur: ergo jus positivum in hoc casu est dubium: ergo tenenda erit illa sententia, quam jus naturale approbat.

Dicunt 5. Jura annullant taliter initos contractus bonæ fidei, quòd dolus repugnet bonæ fidei, quæ vel maximè in contractu bonæ fidei est attendenda. R. etiam ad contractum stricti juris necessaria est bona fides, & hoc non obstante contractus dolosè celebratus subsistit. Dein contractus bonæ fidei ex eo hoc nomen sortitur, quòd in hoc amplior judici potestas concedatur, quàm in altera, non autem propterea, quæ-

9

quasi melior fides ad hunc, quàm ad stricti juris contractum sit necessaria.

℟. 3. Distinguo antecedens. Jura annullant talem contractum, ita ut velint illum inviolabiliter, etiam à decipiente non esse servandum. nego. ita ut velint illum ex parte decepti non esse firmum, sed ad hujus arbitrium rescindibilem : concedo antecedens, & nego consequentiam.

10 Dicunt 6. Rationi & æquitati naturali repugnat, ut ex injustitia nascatur obligatio justitiæ, & dolum committens ex sua injuria quoddam jus consequatur : sed hoc fieret, si contractus valeret: ergo &c.

℟. hoc totum argumentum, etiam pugnare contra stricti juris contractus. ℟. 2. nego suppositum, quòd valor ex dolo proveniat, sed ex utriusque mutuo consensu : ex dolo autem provenit jus rescindendi decepto competens.

Dicunt 7. Error atque deceptio causant involuntarium, atqui hìc dantur error atque deceptio : ergo &c. ℟. distinguo majorem. Causant involuntarium secundum quid, concedo, causant involuntarium simpliciter subdistinguo ; si versentur circa substantialia actûs : concedo. Si circa accidentales duntaxat qualitates : nego majorem : & sic distincta minore nego consequentiam. 11

Dicunt 8. Licèt sit consensus taliter decepti voluntarius, est ille tamen inefficax, & non obligans. ℟. distinguo. est inefficax in tantum, in quantum potest deceptus, si velit, illum rescindere : concedo ; ut in se sit omnino nullus : negatur. 12

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An contractus cui deceptio, circa qualitates duntaxat accidentales versans, ex culpa, vel dolo alterius contrahentis causam dederat, à decepto, si voluerit, rescindi possit?

13 REsponsio nostra est affirmativa. Ita de Lugo *de contract. disp. 22. sect. 6. n. 75.* cum omnibus ijs, qui talem agnoscunt esse validum. Poterit autem rescindi vel per actionem doli, vel per hujus exceptionem, quòd actione doli sit rescindibilis. Docemur

mur *in § 1. Inst. de Except. & Leg. 11. §. 5. ff de action. empti. Leg. 36. ff. de V. O. Leg. 5. Cod. de inutil. stipul. L. 5. Cod. de rescind. vend. t.* altera pars constat *ex Leg. dolo 5 ff de inutil. stipul.* ibi: *dolo vel malo adhibito, actio quidem nascitur: per doli mali tamen, vel metus exceptionem summoveri petitio debet.*

Probatur conclusio ratione talis deceptus, si velit potest non servare hunc contractum: ergo non irrevocabiliter obligat, probatur antecedens: decipiens, quia suo dolo injuriam decepto atque damnum intulit, tenetur ab hoc injuriam aufferre, & damnum reparare, consequenter constituere eum in illo statu, in quo erat antea: ergo deceptus habet jus ad non servandum contractum. probatur consequentia, cuilibet obligationi passivæ correspondet jus aliquod activum: ergo si decipiens habet obligationem passivam constituendi deceptum in statu, in quo antea fuerat, ad hoc habebit jus activum ipse deceptus.

84 Ob. 1. Si deceptus non obligatur firmiter, tunc neque decipiens firmiter obligabitur. ℟. nego sequelam. Ratio est, quia decipiens non habet instar decepti aliunde jus quoddam ex injuria, vel alio capite adversùs deceptum, vi cujus illum ad contractus initi dissolutionem possit adigere: ergo per se firmiter ad illius impletionem obligabitur.

Ob. 2. Si deceptus agnitâ veritate dissolvere contractum ex sui deceptione initum potest, tunc omnino & nunquam fuit obligatus, & consequenter contractus semper erat invalidus. Probatur. nemo se ipsum ab obligatione sibi imposita potest liberare: ergo &c. ℟. distinguo antecedens. deceptus nunquam fuit irrevocabiliter obligatus; concedo antecedens: nunquam fuit, nec proximè, nec revocabiliter obligatus: nego antecedens & consequentiam. simpliciter fuit obligatus, quia adfuit voluntarium simpliciter, & uterque se obligare voluit & neuter fictè, quia autem omnis decipiens tenetur aufferre dolum, & deceptum in pristinum statum restituere, ideo deceptus non firmiter obligatur: sed cognito dolo, si voluerit, poterit à contractu recedere. 85

Urgent: est possibilis obligatio proxima ad aliquid faciendum, quæ tamen sit subordinata voluntati obligati, ita ut hic possit se eximere, quando voluerit: ergo &c. ℟. nego antecedens, summus enim pontifex potest secum ipso dispensare in legibus pro tota communitate Ecclesiæ latis. item quilibet Prælatus præditus potestate dispensandi in votis suorum subditorum etiam in proprijs dispensare potest. Juxta Thom. Sanchez *lib. 4. in Decalogum cap. 37. n. 45. & lib. 1.* 86

de Matrim. disp. 3. à n. 6. datur scilicet obligatio servandi contractum ob voluntarium consensum, in emptionem, v. g. præstitum: jus autem ab hac obligatione se liberandi ob illatam ex dolo alterius injuriam, quo si uti noluerit, manebit obligatus.

17 Ob 3. Etiam ipse deceptor ante sententiam judicis non tenetur stare tali contractui: ergo non fuit validus. probatur antecedens. neque ratione contractûs, neque ratione injuriæ illatæ tenetur stare tali contractu: ergo. probatur antecedens quoad primum membrum. decipiens voluit se tantùm obligare, si etiam alter maneret obligatus: ergo si alter, deceptus scilicet, non est obligatus, etiam ipse noluit se obligare, quia voluit celebrare contractum onerosum.

Probatur etiam secundum membrum antecedentis. injuria illata potest sæpiùs alijs modis reparari: insuper datum damnum subinde vel est omninò nullum vel aliâ viâ, quam rescissione contractûs resarciri potest: ergo ex injuria, & dato damno non obligabitur decipiens.

R. nego antecedens, & dico decipientem ratione contractûs formaliter obligatum esse, non autem ratione injuriæ, & quidem tamdiu, quamdiu deceptus non dissolverit vi juris, quod habet ob sui deceptionem.

Urgebis. Injuria illata solùm 18
obligat, cùm ex illa quoddam damnum alteri fuit illatum: ergo si ex injuria nullum damnum illatum decepto fuit, ad nihil erit obligatus decipiens: atqui hoc est possibile, ut deceptus nullum damnum ex sui deceptione patiatur: ergo saltem in tali casu non potest resilire deceptus. R. transmisso hoc toto necdum probatum fuisse, quodsi damnum ex deceptione fuerit secutum in decepto, hic resilire nequeat, quod solùm volebat conclusio, quod concernit illud, decipientem voluisse duntaxat se obligare, si deceptus sit obligatus, dicimus deceptum se voluisse obligare, & manere obligatum: ergo purificata fuit conditio, sub qua decipiens se obligabat: interea tamen ob injuriam alterius sibi illatam in contractu, deceptus habet potestatem, si voluerit, ab illo resiliendi.

Urgent. Hanc potestatem esse 19
contrariam contractui oneroso. R. nego antecedens. Patet hoc in contractu cum pupillo inito, juxta illa, quæ habentur *in principio Instit. de authoritate Tutorum, & ex §. pupillus Instit. de inutilibus stipulationibus.*

Ob. 4. Si decipiens expressè 20
dixisset, ego me obligo, si tu te mihi obligas, & non aliter, non maneret decipiens obligatus, quia deceptus re ipsa non manet obligatus: ergo etiam nunquam erit obligatus, quia semper implicitè

habuit hanc voluntatem. R. cùm juxta noſtra principia deceptus verè obligatus maneat, uſquedum diſſolverit, ideo etiam decipiens, licèt ſub illa conditione contraxerit, erit obligatus, uſquedum placuerit deceptus reſilire, quo facto etiam deceptor deſinit eſſe obligatus. Patent hæc omnia in contractu cum pupillo.

Dices: ipſe decipiens habuit implicitam voluntatem ſe obligandi tantùm poſito, quòd etiam deceptus ſe irrevocabiliter obliget; non autem poſito, quòd deceptus ſe obliget ſolummodo revocabiliter. R. vel deceptor actu advertit, decepto ob injuriam illi à ſe illatam competere jus ad reſcindendum hunc contractum, vel ad hoc ſe non reflectebat? ſi ſe ad hoc jus reflectebat actu, tunc vel implicitè in animo ſuum conſenſum huic conditioni obligavit, vel non obligavit? ſi ſecum conſenſum actu alligaverat, non fuit ille in foro conſcientiæ abſolutus, ſed ad eventum appoſitæ conditionis ſuſpenſus: & cùm non ipſa conditio, ſed oppoſitum illius evenerit, nunquam abſolutus contractus celebratus fuerat: conſequenter in conſcientia non tenebitur ſtare contractu: obligatus tamen nihilominus erit ad reparationem damnorum, ſi quæ deceptus ob commiſſam hanc fraudem paſſus fuerit. Si de foro externo loquamur, cùm hunc ſuum conditionatum conſenſum probare nequeat, abſolutè contraxiſſe præſumetur.

Si ponant adverſarij defuiſſe in actuali conventione, hanc actualem reflexionem ad jus reſcindendi hunc contractum decepto ob injuriam illatam competens: ipſum tamen decipientem habitualiter ita fuiſſe conſtitutum; ut, ſi ſciviſſet deceptum revocabiliter duntaxat obligatum fore, nequaquam contraheret; reſpondeo, hanc habitualem conſtitutionem nequaquam invalidare contractũ; plurimi enim abſolutè contrahunt cum alijs, nequaquam contracturi, ſi una, vel altera circumſtantia contractui in ſe ſpectato accidentalis, atque extrinſeca eiſdem nunc incidiſſet: nemo tamen aſſerit, ejuſmodi contractus eſſe nullos. Quis enim invalidum declarabit matrimonium, quod Cajus cum Bertha jam corrupta contraxerat, ſi hujus fuerat neſcius, & habitualiter ita conſtitutus, ut cum illa non contraxiſſet, ſi de illius corruptione eidem cogitatio quædam incidiſſet, aut admonitus ab alio fuiſſet?

Inſtabis: implicitam hanc voluntatem ſe obligandi poſito, quod etiam deceptus ſe irrevocabiliter obliget, in neutro ex iſtis duobus explicatis modis conſiſtere; ſed in eo, quod decipiens in hunc contractum ſolummodo conſentiat ſub hac conditione, ſi ex eo deceptus, & ipſe decipiens ſint æqua-

æqualiter obligati, & unus non plùs quàm alter: cùm ergo inæqualiter forent obligati, decipiens scilicet irrevocabiliter, deceptus autem duntaxat revocabiliter, hinc ob defectum conditionis, cui absolutus consensus decipientis erat alligatus, decipiens omnino non consenserat, & habuerat implicitam voluntatem se non obligandi, nisi posito, quod etiam deceptus se velit irrevocabiliter obligatum. Sed contra est: *Lex Leges 3. Cod. de LL.* docet: *Leges ut generales ab omnibus æqualiter impositum observentur & Lex 7. ibidem: Leges & Constitutiones futuris certum est dare formam negotijs:* ex altera parte quilibet vult contrahere conformiter LL. ergo si Leges decepto concedunt jus rescindendi contractum: decipientem autem volunt absolutè, ac irrevocabiliter obligatum, decipiens etiam in hoc ipsum consenserat, & hæc implicita voluntas prævaluit alteri, aut certò in foro externo præferetur, ne decipienti sua fraus prodesse incipiat, hinc à Judice ad implendum contractum ad instantiam decepti obligabitur.

Ob. 5. Fictè contrahens, si nullum aliud damnum sequatur, non tenetur postea contrahere, ac verè consentire. Item fictè profitens non tenetur postea verè profiteri: ergo nec talis deceptor stare contractui. ℟. concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quòd fictus consensus impediat contractûs essentiam, & consequenter hujus etiam obligationem: ergo sola obligatio ex injuria, & illato damno remanet, si itaque hæc absint, etiam deerit obligatio. 21

Ob. 6. Ex hoc sequitur, quòd viro liceat resilire à matrimonio, cui causam dolus uxoris dederat, si error non fuerit circa substantiam contractûs: ergo &c. Respondeo disparitatem esse, quòd matrimonium nequeat esse ex una parte indissolubile, ex altera autem dissolubile, si hæc voluerit; ergo vel ab initio statim nulla pars fuit obligata; vel utraque manebit semper obligata, si semel erat obligata. Hæc indissolubilitas non datur in alijs contractibus: ergo nulla est in hoc paritas. 22

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An decepto competat facultas dissolvendi contractum, si deceptio absque culpa alterius contrahentis contingeret, in quantum vel iste id verum esse existimavit, vel ipso inscio decepit tertius?

23 Dico 1. Contractum jam completum non amplius dissolvi posse, si eidem causam dederit error absque culpa alterius contrahentis interveniens; in quantum hic inculpabiliter judicaverat, illud verum esse. Ita Molina: Card. de Lugo *cit. disp. 22. sect. 6. n. 81.* Lessius, Illsung, Taberna, & omnes illi, qui defendunt ejusmodi contractus esse nullos, vel rescindendos ob injuriam decepto illatam, non autem ex defectu consensûs.

Probatur. jus dissolvendi contractum ex errore dante illi causam initum, fundatur unicè in injuria, quam alter deceptor contrahens decepto intulit: ergo si huic nullam intulit, non dabitur in altero contrahente decepto jus activum, & neque in deceptore jus passivum, seu obligatio passiva dissolvendi. Subsumo: sed alter contrahens decepto nullam injuriam intulit, si absque illius culpa error intervenit: ergo &c. consequentia prima constat; cessante etenim causâ cessat effectus.

Placuit tamen hìc annotare, quæ Palao *de obligat. juram. Disp. 2. p. 5. n. 23.* insinuat, posse scilicet me dissolvere contractum, licèt ab altero contrahente neutiquam deceptus fuerim, modò iste fuerit conscius mei erroris, Rationem hujus sui asserti affert, quòd hac ratione alter censeatur esse particeps doli; consequenter contra justitiam peccaverit, cùm ista cuilibet imponat obligationem manifestandi occulta rei vendendæ vitia. quod Palao asserit constare *ex L. 1. ff. de ædilitio edict. & L. 13. ff. de actionibus empti & venditi* Palao consentiunt Molina *tract. 2. de Just. Disp. 353. conc. 1.* Lessius *lib. 2. cap. 17. n. 13. in fine.*

Dico 2. licèt unus contrahentium non dolosè alterum deceperit, si tamen expresè se obligaverat ad qualitatem à se assertam probandam, ac verificandam, & assecuraverit dari illam qualitatem 24

tem, volente taliter decepto ad reſciſſionem illius contractus erit obligatus, & quidem vi talis contractus. probatur. in talibus circumſtantijs ſub hac conditione atque Lege contraxerunt, quod ſcilicet alterum duntaxat velit obligatum ſuppoſita tali qualitate: ergo ſi poſtea conſtet talem qualitatem non adeſſe deceptus non tenebitur ſtare contractui.

25 Dico 3. Idem ipſum tenendum ſi contrahens tacitè ad hoc ſe obligaverit. aſſertio conſtat, nam eadem eſt ratio taciti atque expreſſi. tunc autem cenſetur hæc tacita obligatio interceſſiſſe, & in contractum deducta, quoties tale quid aſſeritur, ut emptor ad contrahendum inducatur: hinc etiam alter talem conditionem acceptare nec aliter, niſi ſub exiſtentia illius, contrahere ſupponitur. Videndum itaque, an deceptio cauſam contractui præbens circa qualitatem intrinſecam rei, quæ emitur vel conducitur, verſetur: tunc enim ad illam verificandam obligatus erit aſſertor contrahens, licèt abſque omni ſua culpa deceperit alterum, ſuppoſito quod deceptus etiam, ſaltem implicitè, ſub veritate hujus conditionis in contractum conſenſerit.

26 Ob. contra primam concluſionem; etiam inculpabilis deceptor eſt obligatus ad auferendam deceptionem ſuam: ergo ad reſcindendum tractatum. probatur antecedens, ſi tertius inculpabiliter decepiſſet unum ex contrahentibus, cognita poſtea veritate, deberet deceptus admoneri, ut damnum aliàs ſua cauſa ſubeundum evitet: ergo &c. R. diſtinguo antecedens: eſt ad hoc obligatus, ſi abſque ſuo gravi damno habita conſideratione ad damnum alteri datum auferre deceptionem poteſt concedo, etiam hoc poſito: negatur. veritas diſtinctionis patet in caſu inculpabilis diffamationis quæ tunc ſolùm ſuum auctorem ad retractandum obligat, ſi habita conſideratione damni diffamato evenientis ſine ſuo gravi damno diffamator ſua dicta revocare poſſit.

Urgebis. non apparet quomodo manifeſtans errorem commiſſum patiatur grave damnum: ergo ſemper debebit ſuum errorem manifeſtare comparti. 27 R. nego antecedens, ſi enim deceptor inculpabilis decepto errorem manifeſtet, poterit iſte diſſolutionem celebrati contractus inſtituere, cujus diſſolutio decipienti magnum damnum afferre poteſt; & ex altera parte non neceſſariò ab innocente deceptore eſt facienda, quòdſi tamen damnum decepto eveniens ex deceptione tam magnum foret, ut etiam propter improportionem cum ſuo illud non ſine proprio

damno impediretur, errorem utique deberet manifestare.

28 Ob. 2. Juxta 2. & 3. conclusionem, inculpabilis deceptor semper deberet pati rescissionem contractûs. probatur. quotiescunque error versatur circa qualitatem, quæ dat causam contractui, obligat se decipiens ad verificandam illam qualitatem. R. nego antecedens utriusque Enthymematis, hoc enim non videtur habere locum, quando inculpabilis error versatur circa motiva & causas extrinsecas, non autem intrinsecas rei, ut si persuadeam alteri emptionem mei agri, eò quod proximè adsitas eidem suo tempore ab alio donandus sit, quod tamen postea non evenit.

29 Dico ulteriùs 4. Si unus contrahentium deceptus quidem fuit, non tamen ab altero contrahente, qui deceptionis fuerat ignarus: sed à tertio; ita ut hæc deceptio causam contractui dederit, contractum fore validum, & à decepto irrescindibilem: actionem tamen decepto adversus tertium competere ad totum damnum ab illo reparandum. ita sentiunt Molina *disp. 352. §. ut quod sentio.* Rebellus *lib. 1. dictæ quæst. 6. n. 11.* Lugo *disp. 22. sect. 6. n. 84.* Lessius: *cap. 17. dub. 5. n. 33.* contra Conradum *de contract. in summario totius operis.* Medinam *de restit. quæst. 33.* Thomam Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 64. n. 5.* Bonac. *disp. 3. q. 1. pu. 1. §. 2. num. 4.* Reginald. *lib. 26. num. 224.*

Est autem hæc nostra conclusio intelligenda de contractu ex utraque, vel saltem ex una parte jam completo, si enim contractus adhuc sit integer, & deceptus errorem suum agnoscat, ut contractum compleat, in conscientia non poterit obligari, quod patet in contractu sponsalium, & in quolibet alio, si res notabiliter mutata fuerit, aut postea primùm aperuerit, quod ab initio latebat: nam paria sunt supervenire de novo, & proferri in lucem, seu incipere cognosci, accedit, quod tacita mens contrahentium sit, non obligare se ad contractum implendum, si se deceptos deprehendant.

Probatur conclusio. in tali casu non datur fundamentum, ob quod solùm rescindibilis est contractus ex errore alterius contrahentis initus: ergo talis non erit rescindibilis. probatur antecedens, fundamentum solum juxta dicta est injuria ab altero contrahentium illata, quam iste tenetur & non potest aliter reparare, nisi rescisso retractu: atqui hæc injuria non datur, si tertius decepit: ergo &c.

Hæc ipsa conclusio etiam probatur *ex Lege* & *eleganter ff. de dolo*; & *Lege ff. proxineta ff. de proxeneticis*, quæ Leges decepto attribuunt jus, ut tertium decepto-

rem

rem ad totius damni reparationem obligare possit.

Confirmatur. nullus ex contrahentibus est ita constitutus, ut si alter postea deprehendat, se à tertio vel à se ipso in aliquo deceptum esse, quod non sit substantiale quid, velit illi concedere jus rescindendi contractum: ergo talis deceptio à tertio proveniens non dabit jus rescindendi contractum.

Ut tamen talis ex dolo tertij proveniens consensus in contractum sit irrescindibilis, oportet hunc tertium non facere unicam cum contrahente personam, qualem faciunt curator, procurator, aut negotiorum gestor. Ita *Rebellus lib. 9. q. 4. n. 5.*

Ultimum denique membrum nostræ hujus conclusionis, asserens decepto competere actionem adversus tertium deceptorem, ut hic decepto damnum reparet; actionem scilicet, quanto minoris, patet *ex Lege 13. ff. de action. empti. Lege 18. in fine. de ædilitio edicto.* Item contra deceptorem actio ad id, quod interest. *Leg. 2. de proxenaticis.* Quæ autem de jure, quod decepto diximus competere adversus tertium deceptorem, intelligenda sunt duntaxat de casu, quo tertius formalem dolum commiserat: si enim ipse id malitiosè non fuerat, sed deceptus à se ipso, sine culpa, ad nihilum etiam eiusmodi deceptor obligatus erit. Cæterùm Lessius *de Justitia lib. 2. cap. 17. n. 33.* duo bene notanda advertit: primum, quod in tali casu deceptus adversus socium etiam bona fide contrahentem cum decepto competat actio quanti minoris detecto vitio rem esset empturus juxta citatam *Legem 18. in fine de ædilitio edicto.* alterum quod sepositâ dispositione juris positivi ejusmodi contractus Lessio videatur rescindibilis, si deceptio sit causa contractûs, & circa rem magni momenti, in qua meritò deceptus non censetur voluisse consentire: jubet circa hoc inspicere Sylvestrum: *V. Juramentum 3. q. 1.* & Navarrum *cap. 12. n. 13.*

Ob. contra hanc conclusionem. 1. Si sponsalia ex tali deceptione à tertio etiam exorta ineantur, possunt à decepto rescindi: ergo etiam reliqui bonæ fidei contractus. R. nego consequentiam: disparitas est, quòd major quædam libertas ad sponsalia requiratur, eò quod obligent ad contractum matrimonialem indissolubilem & in mutuo amore contrahentium fundatum. 30

Ob 2. Si tale quid post contractum primùm evenerit, haberet jus dissolvendi illum, quia notabilis mutatio facta fuisset, & hæc tribuit jus dissolutionis: ergo etiam hoc dabitur, licèt prius jam fuerit, latuerit tamen contrahentem.

R. 1. Si quæcunque circumstantia postea apparens contractum dissolvendi jus tribuit, modò

dò illa sit talis, ut prius cognita absterruissет contrahentem, quam plurimos, si non omnino omnes contractus rescissioni subjectos fore, quod bono communi videtur contrarium.

℟. 2. Cum distinctione. si talis mutatio postea cognita versetur circa substantiam contractûs, concedo, si tantùm circa qualitates accidentales. negatur.

31 Dico 5. Deceptum à contractu propria authoritate etiam non requisita sententia judicis resilire posse, quando dolus ita causam contractui dederat, ut deceptus eundem rescindendi jus habeat. ita sentiunt Sanchez. *de Sponsal. lib. 1. de Matrim. disp. 69. num. 3.* Lugo *disp. 22. sect. 6. n. 95.* ut autem id fieri possit, haberi debet certitudo juris & facti, nec ullum scandalum timendum est.

Probatur. in tali casu deceptor habet veram obligationem ad tollendam injuriam decepto factam, & huic concedere potest libertatem ac facultatem tollendi vinculum: ergo deceptus habet jus non standi contractu: ergo etiam dissolvendi.

Probatur 2. Si necessaria foret sententia judicis, ratio foret, quia contractus fuit validus, & deceptus erat obligatus: hæc ratio nulla est: probatur minor. Contractus solumodo erat validus, quamdiu illo stare placebat decepto: ergo si huic non ampliùs placet stare contractu, poterit per se ipsum deceptus eundem dissolvere.

Probatur 3. Juxta omnes talis deceptus habet actionem ut coram judice possit agere ad rescindendum contractum: ergo etiam habet exceptionem non solvendi, si ad hoc à decipiente compellatur. probatur consequentia, vi *cap. qui ad agendum: de Regul. juris in 6.* qui habet jus ad agendum multò magis ad excipiendum admittitur.

Objices: deceptus obligatur 32
naturaliter atque civiliter hoc contractu: ergo non potest ante sententiam judicis dissolvere. ℟. distinguo antecedens. obligatur, si nolit uti facultate à juribus sibi concessa, concedo. Si hac velit uti, subdistinguo. Obligatur, si contractus necdum fuerit executioni datus: nego. Si jam fuerit executioni datus: concedo antecedens; & nego consequentiam.

Urgebis. Hac ratione obliga 33
tio decepti est frustranea, cùm ab illa se liberare possit, quando voluerit. ℟. nego antecedens; deceptus enim solùm potest ante executionem contractûs, etiam non obtentâ sententiâ judicis contractum rescindere: non autem, si executioni contractus datus fuerit; tunc enim imploranda est judicis sententia, antequam decipiens rem acceptam non tenebitur restituere. Sanchez *de matrim. disp. 38. n. 34.*

Ob-

34 Ob. 2. Vel deceptus re adhuc integra, seu necdum completo contractu haberet adhuc semper hanc facultatem, vel solùm pro illo tempore, quo durat actio ad agendum coram judice ad rescindendum contractum? R. etiamsi actio tantùm temporalis esset, & nequaquam perpetua ad repetendum, competere tamen decepto perpetuam facultatem dissolvendi talem contractum necdum completum. Ratio est, quòd annalia seu temporalia ad agendum sint perpetua ad excipiendum *Lege: licèt 5. Cod. de exception.* ubi & *Glossa fine*, & *ibi scribentes speculat. tit. de except. sub. n. 190.* Sanchez *de matrim. lib. 6. disp. 38. n. 34.*

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

Quid ad hunc casum sit respondendum?

35 TRiplex resolvenda manet quæstio. Prima. Utrum ratione erroris circa occultum vitium contractus sit nullus? Secunda, si valeat, an locus sit rescissioni? Tertia, si rescissioni non sit locus, num aliquid de accepto pretio emptori decepto refundendum sit?

36 Colligimus itaque ex hactenus disputatis, venditionem futuram fuisse nullam, si hoc vitium, circa quod dabatur error, erat substantiale, & contra finem, ac principale motivum mentis, aut in objectum contractûs intraverit. Ita tum ex casu de fraudulento mendico, tum ex hactenus dictis desumitur.

37 Colligimus 2. Licèt ignorantia hujus vitij dederit causam huic contractui. Hunc tamen adhuc subsistiturum, si vitium fuerit mera qualitas accidentalis. Constat ex §. 1.

Colligimus 3. Multò magis valiturum, si error tantùm fuerit concomitans, & solùm inciderit in contractum. 38

Ut itaque aliquid de valore hujus venditionis decidatur, natura vitij, & intentio mentis perpensis omnibus circumstantijs expendendæ erunt.

Ut ad alterum quæsitum transeamus; num scilicet rescindi valeat. In §. 2. concl. unica defendimus affirmativam, casu quo alter contrahens, scilicet venditor, ex sua culpa, vel dolo deceptionis extiterit causa. Quòd si alterius contrahentis, scilicet venditoris nulla culpa intervenerit, rescissioni nullum locum futurum esse §. 3. asserimus. 39

40 In eodem §. 3. concl. 2. & 3. concluſimus, quid juris emptori competat, ſi venditor ſe expreſsè, vel tacitè obligaverat ad abſentiam omnis vitij in re vendita; tunc enim reſcindi venditionem ob compertum poſtea vitium poſſe, ibidem innuimus, ſi reſciſſio decepto minùs placuerit, contractus, poſito quod in hoc læſus fuerit ad æqualitatem reducendus & exceſſus, qui ultra pretium rigoroſum acceptus fuerat, emptori reſtituendus erit juxta Molinam *diſp. 349. & 353.* cum communi, hinc juxta hunc Authorem *diſp. 353. cit.* emptori competit actio, quàm iura *quantò minoris* vocant, ad repetendum à venditore quantò minùs rem illam erat empturus.

41 Diximus ad æqualitatem reducendum contractum eſſe, quando in hoc emptor læſus fuerit, ſi enim non obſtante hoc vitio adhuc pretium ſolutum venditam mercem adæquaverit, nullius damni. eò quòd hoc non intervenerit, compenſatio emptori erit præſtanda; cùm res etiam cum tali vitio emptori ponatur utilis eſſe.

42 Contingit autem frequentiùs, ut venditor ignarus occulti vitij, hujus periculum à ſe in emptorem reijciat, poſtea verò contrahentes conveniant de pretio, quod ſpectatis circumſtantijs omnibus, & apparentiâ rei tempore contractûs, nec non habita ratione hac, quod venditor periculum in emptorem rejecerit, judicatur eſſe æquale merci. In tali caſu ad nihil refundendum obligari venditor juxta Molinam *diſp. 353.* poterit, etiamſi emptor poſtea deprehendat, rem comparatam ſuo vitio non caruiſſe.

Unum adhuc ad plenam ſolutionem hujus casûs deeſſe videtur: diximus enim, reſcindi contractum poſſe, ſi dolus vendentis intervenerit: hinc nova conſurgit quæſtio quandonam dolum aliquem interveniſſe judicare vel præſumere poſſimus? facilis quidem ad hoc videtur reſponſio eſſe. Si dicamus, tunc dolum interceſſiſſe, quando venditor ad prodendum vitium obligatur, hoc tamen prodere omiſit. At nova ulterior redit quæſtio, quibusnam in circumſtantijs hæc obligatio prodendi vitium occultum incumbat venditoribus? hanc quæſtionem quod concernit illius reſolutionem in alio caſu dare conabimur.

CA-

CASUS XIII.

De Fraudulento Emptore.

SEmpronius bis vel ter emendo aliqua à rustico, eundem ita circumvenit, ut denique decem florenorum damnum venditor passus fuerit.

Q. 1. An licitum sit quolibet pretio rem vendere, aut emere?

Q. 2. An lædens infra dimidium justi pretij teneatur ad restitutionem?

Q. 3. Quid si pretium absolutè quidem erat justum; minus tamen illo, quo venditor rem absente fraude, vendidisset?

Q. 4. Num sempronius ad restitutionem condemnari debeat?

SYNOPSIS.

1. *Circumventio potuit esse materialis tantùm, aut formalis.*
2. *Vel in ipso contractu, vel in solutione pretij interveniſſe.*
3. *Solutum pretium vel erat absolutè adhuc quidem justum, vel justo minus.*
4. *Damnum commissum in solutione minoris promisso pretij est certo reparandum.*

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An licitum sit, quolibet pretio rem vendere, aut emere?

5. *Ostenditur pretium cuilibet emptioni ac venditioni essentiale esse.*
6. *Non tamen istud necessario debet esse justum, ut contractus valeat.*
7. *Nequaquam licet quolibet pretio vendere aut emere.*
8. *In quo sensu res tanti sit, quanti vendi potest.*
9. *Qualiter quilibet rei suæ moderator, & arbiter sit.*
10. *Num contrahentibus liceat se mutuò circumvenire.*
11. *Contrahentes non semper eorsum vel defectum condonant sibi invicem.*

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An lædens infra dimidium justi pretij teneatur ad restitutionem?

12. *Facta etiam infra dimidium læsio illicita & restitutioni obnoxia est.*
13. *Quandonam scienti, & consentienti non fiat injuria.*
14. *Decepto infra dimidium negatur actio, quin hæc læsio à legibus approbetur.*
15. *Nec sine fundamento id asseritur.*
16. *Qualiter bona fide lædens, alteri teneatur restituere.*
17. *Bonum commune non exigit, ut partum iniquum lucrum remaneat lædenti.*
18. *Infra dimidium læso concedatur actio indirecta, & per viam denuntiationis.*
19. *Defendentibus à jure approbatâ hanc deceptionem incumbit hujus probatio.*
20. *A legibus præscriptionis malè fit ad has leges argumentatio.*
21. *Quia pro utrisque pugnat diversa ratio.*
22. *Denegantes infra dimidium læso actionem non sunt injusti.*

§ III.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Quidsi pretium absolutè quidem erat justum, minus tamen illo, quo venditor rem absente fraude vendidisset?

23. Venditor habuit jus ad rem suam vendendam pretio summo, vel medio.

24. Hinc eidem tenebitur venditor, si, ut minore venderetur pretio, emptor per dolum formalem inductus fuerat à venditore.

25. Licèt in hac venditione simpliciter justum pretium solutum fuerit.

26. Eò quòd tamen fraus quædam intervenerit.

27. Nec donatio pretij defraudati intervenerit.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

Num Sempronius ad restitutionem condemnari debeat?

28. Responsio est affirmativa.

1 DEceptio, qua mediante rusticus venditor in talibus contractibus circumventus decem florenorum damnum passus fuisse ponitur, potuit esse vel tantùm materialis, vel etiam formalis. hæc aderat, quando emptor mala fide, hoc est, cum dolo formali, & cum deceptione propriè dicta, mendacio scilicet dolo, aut falsitate interveniente venditorem circumvenerat: Materialis ex oppositio deceptio commissa fuerat, si absque tali mendacio, dolo, aut falsis artibus prædictum damnum ignoranti rustico causaverat.

2 Præterea deceptio hæc tam formalis, quàm materialis, vel in ipso contractu emptionis commissa fuerat, in quantum rusticus ad minus pro tradita merce accipiendum pretium artificiosè inductus erat: vel in solutione pretij, dum integrum, circa quod antea jam convenerant, persolutum emptori pretium non erat.

3 Ulteriùs pretium minus, quod acceperat venditor vel erat adhuc æquum, & non minus infimo justo pretio, ut tamen non adæquaverit illud, quo aliàs mercem suam rusticus vendidisset: vel erat

etiam infimo justo aliàs pretio inferius. si hoc ultimum tunc vel adhuc continebatur infra dimidium, vel erat ultra dimidium justi pretij ut igitur decidamus, an emptor noster ad restitutionem aliquam faciendam teneatur, examinandum nobis erit, num omne illud pretium sit justum, de quo emptor atque venditor in contractu inter se convenerunt? Secundò an damnum intra dimidium justi pretij contentum sit restitutioni obnoxium? Tertiò si solutum pretium non fuerit inferius justo infimo, minus tamen illo, quo venditor rem vendidisset, si deceptio non interveniisset, num etiam tunc reparatio ex tali circumventione resultantis damni sit venditori rustico facienda.

Et primo quidem omnibus certum apparet, reparandum esse damnum, quod rusticus ex eo passus fuerat, quia debita solutio ob defectuosam monetam eidem non fuerat præstita; non secùs, ac ipse venditor emptori teneretur, quando hic damnum fuisset passus, eò quòd merx vitiosa eidem à venditore extradita fuerit. 4

His ergo tanquam certis suppositis, ad resolutionem propositæ triplicis quæstionis progredimur: certò enim ad restitutionem tenebitur fraudulentus emptor, si in prædictis tribus circumstantijs celebratæ emptiones decipientem à restitutione non excusent.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum?

An licitum sit quolibet pretio rem vendere, aut emere?

5 QUòd pretium aliquod sit de essentia emptionis, venditionis manifestum est ex definitione illius, quæ à plerisque Jurisperitis ita formatur: emptio est *contractus juris gentium nominatus, bonæ fidei, solo consensu initus, de re sive mercede emptori tradenda, & pretio nummario venditori dando*, idipsum insinuatur *lege 2. ff. de contrab. emptione: sine pretio nulla est venditio*: item *lege 72. ff. eodem emptionis substantia consistit in pretio.* oportet autem hoc pretium esse *verum, certum, pecuniarium & justum.*

6 Etsi autem aliquod pretium sit emptioni Cuivis essentiale, de substantia tamen hujus contractus neutiquam erit, ut pretium sit justum:

justum : hinc licèt injusto pretio merx quædam empta fuerit, ejusmodi tamen emptio pro valida habebitur. afferitur hoc in *leg. 38. ff. de contrab. empti : leg. 16. §. 4. ff. de minor. leg. 22. §. 3. ff. locati :* uti etiam toto titulo *Cod. de rescind. vendit.*

Cùm ergo, uti modò vidimus, pretium, & quidem, ut contractus sit licitus, justum, in qualibet emptione intervenire debeat, ulterior movetur quæstio, utrùm quodlibet statim pretium sit justum, de quo inter se contrahentes convenerunt : ita ut justitia pretij à conventione, & consensu singulorum contrahentium, vel aliunde sit desumenda.

7 Dico itaque : nequaquam in potestate venditoris esse augere pretium, & in emptoris diminuere, quantum quilibet vult : consequenter non esse licitum, quovis pretio vendere ac emere. ita communis. Prob. Justitia, & æquitas emptionis in eo consistit, quòd inter pretium & mercem, quæ pro pretio exhibetur, detur æquitas vel æqualitas : sed hæc æquitas seu æqualitas non dependet à conventione singulari cujuslibet ementis, ac vendentis : ergo æquitas, & justitia hujus contractûs non dependet à quocunque consensu, & conventione particularium contrahentium. Major patet, si enim non datur hæc æquitas seu æqualitas inter mercem, ac pretium, unus contrahentium habebit plus in suis bonis, alter autem minus, quàm quòd deberet habere ; consequenter à justitia intenta æquitas sive æqualitas non servabitur.

Prob. itaque minor : hæc æquitas, seu æqualitas inter pretium, & mercem non semper reperitur in quocunque contractu, & pretio, circa quod contrahentes possunt convenire : ergo, si æquitas vel æqualitas emptionis consistit in æquitate, seu æqualitate pretij cum merce, æqualitas hæc sive æquitas non dependebit à conventione contrahentium. prob. ant. est suus intrinsecus valor tam rei, quæ emitur, quàm pretio, quo res emitur, & quidem independens à conventione cujuscunque particularis contrahentis : ergo hæc æquitas, seu æqualitas non semper reperitur in quocunque contractu, & pretio, circa quod quivis particularis contrahens cum alio convenit : prob. ant. cujuscunque particularis personæ judicium de valore rei potest esse erroneum : & voluntas potest esse mala : ergo ab istis non dependet intrinsecus valor tam rei, quæ emitur, quàm pretij, quo res emitur.

Confirmatur : ex Sexto Pedio Paulus Juris Consultus *lege 33. ff. ad legem Aquiliam* ait : *pretia rerum non ex affectu, nec ex utilitate singulorum, sed communiter* (hoc est, juxta communem æstimationem) *funguntur*, tanti scilicet

licet res est æstimanda, quanti verè est, & omnibus valet, non quanti alicui ex affectione tantùm valet. Simile quid habetur *lege 63. ff ad legem Falcidiam*: & *cap. placuit. de empt. & lege 7. Cod. de erogat. milit. annom.*

Prob. 2. Omne pretium justum juxta Authores est vel legitimum, vel vulgare; seu quod idem est, vel statutum à Principe, aut Magistratu, vel impositum communi hominum intelligentium æstimatione: sed non omne pretium, de quo particularis quilibet cum alio potest convenire, est tale legitimum, aut vulgare pretium: ergo non omne, de quo quilibet privatus convenit cum altero, est justum pretium.

8 Ob. 1. Ex lege *pretia rerum 63. ff. ad legem Falcidiam, ac lege 1. §. 16. ff. ad S. C. Trebell.* habetur desumptum vulgare Jurisperitorum proloquium, quòd res tanti sit, quanti vendi potest: ergo pretium circa quod contrahentes inter se convenerunt, est justum. R. 1. in citata Lege *pretia rerum* doceri potiùs contrarium: ita enim habet illius initium: *pretia rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur.* R. 2. dist. proloquium allatum: res tanti est, quanti vendi potest licitè, seu intra limites justi pretij, & sine fraude: conc. quanti absolutè etiam extra istos limites, ac dolosè vendi potest, neg. cùm in emptionibus dolus, fraus, ignorantia, violentia, necessitas, nimius affectus, atque cæca passio, concurrere possint, uno vel pluribus horum intervenientibus, si conventum inter contrahentes fuerit de pretio, hoc non erit æquale merci, consequenter injustum.

Ob. 2. Venditor non tenetur 9 alijs rem suam tradere nisi pretio, quo ipse voluerit: & emptor non tenetur mercem venalem emere, nisi pretio, quod ipsi placuerit: ergo omne, de quo convenerunt pretium, erit justum: prob. ant. vi *legis in re 21. Cod. mandati*: quisque rei suæ moderator est, & arbiter, consequenter emptor etiam pretij, & venditor suæ mercis: ergo verum est antecedens. R. neg. ant. in prob. dist. ant. quilibet est rei suæ arbiter, ita ut illam non teneatur invitus alienare, aut vendere, sed possit circa illam, quòd placuerit, disponere; conc. ant. est arbiter, ita ut volens alienare possit illam quocunque etiam injusto, & cum re vendita habente inæqualitatem pretio distrahere: neg. ant. & consequ. sensus itaque allatæ *legis 21. Cod. mandati* est, Dominum posse ad libitum de re sua disponere, nisi lex obstet: hanc autem liberam dispositionem non competere mandatario.

Ob. 3. Vi *legis in causa 16. §. 10 4. ff. de minor.* naturaliter licitum est contrahentibus in pretio emptionis, ac venditionis se circumveni-

venire : ergo quodlibet pretium est justum, de quo contrahentes convenerunt : prob. cons. quod naturaliter concessum est, licitum utique, ac justum est. ℟. dist. ant. vi citatæ legis licitum, hoc est, permissum & toleratum est à qualibet natione, ut contrahentes in emptione, ac venditione aliquantulum se defraudent, & decipientes à judice non semper condemnentur ad restitutionem, ac rescissionem contractûs, conc. ant. licita, hoc est approbata positivè à jure naturali est ejusmodi qualiscunque circumventio in pretio, negatur ant. & cons.

Urgent: gratis atque sine fundamento asseritur, quod To *licere*, idem sonet, ac esse permissum, & à judice sæculari tantùm non puniri omnem ejusmodi conventionem. ℟. neg. quia in *lege non omne ff. de regulis Juris* habetur, *non omne, quod licet, honestum est*: ergo etiam hìc & alibi sæpè, To *licere* significat permissum esse.

Ob. 4. Contrahentes censentur tacita conventione in hoc consentire, ut quod plus est, & excedit justum pretium sibi invicem condonent: ergo non erit illicitum, quocunque pretio rem vendere. Prob. cons. qui sciens, & prudens dat plus, quàm res valet, meritò censetur excessum alteri donare, ergo &c. ℟. neg. ant. in probatione nego suppositum antecedentis, quòd ordinariè scienter, ac cum prudentia detur excessus, cùm emptores ordinariè excessum pretij ex ignorantia, vel necessitate coacti persolvant: ex eadem etiam ignorantia, vel necessitate venditores suas merces minus justo pretio divendant.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An lædens infra dimidium justi pretij teneatur ad restitutionem?

42 Dico: etiamsi hæc læsio fuerit infra dimidium, erat illa tamen illicita, obligans ad restitutionem defectûs decepto rustico faciendam. Ita Divus Thomas *2. 2. q. 77. art. 1. cum communi TT.* ac defenditur à Lugone *disp. 20. n. 168.* à Lessio *lib. 2. c. 21. n. 21.* Sporer *tr. 6. c. 5. n. 27.*. Sylvio *in resoluti: casuum p. 1. V. contractus.* La Croix *n. 936. de emptione*, Palao *de Just. disp. 5. pu. 17. §. 2. n. 3.* citante Cajetanum, Bannes. Aragon. Salon, Navarrum, Matien, Acebedo, Covarruv. Molinam *disp.*

350. Salas. Primum membrum, quòd scilicet talis læsio sit illicita, & peccaminosa, prob. 1. ex *Deuteronom. 25. v. 13.* ubi universaliter, nulla facta distinctione, dicitur Judæis : *non habebis in saculo diversa pondera, majus & minus &c.* quæ autem ratio DEUM permoverat, ut prohiberet deceptionem in pondere, illa etiam pugnat contra circumventionem in pretio. 2. Divus quoque Paulus 1. *ad Thessalonicenses 4.* dicit, *ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum; quoniam vindex est Dominus de his omnibus.* Idem membrum probatur tertiò : Vi *legis jure naturæ ff. de Reg. Juris* habetur : *jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorem.* Idem *in lege Jure succursum §. fin. ff. de Jure dotium* habetur. Prob. idem membrum quartò, quod legi naturali adversatur, est iniquum, ac peccaminosum : sed deceptio etiam infra dimidium justi pretij adversatur legi naturali. Prob. min. nullus vult, ut sibi ipsi inferatur hoc damnum : ergo legi naturali adversatur ; quod enim tibi non vis fieri, alteri ne facias.

Prob. nunc 2. membrum conclusionis, asserens in hoc casu dari obligationem restituendi. Quandocunque fuit læsa Justitia etiam est facienda ejusdem reparatio : sed illa fuit læsa, quando deceptio est etiam infra dimidium: ergo etiam tunc facienda est restitutio. Major patet ; Justitiæ enim est tribuere cuilibet, quod suum est. prob. itaque minor : etiam tunc quando læsio fuit infra dimidium, non datur æqualitas inter mercem, & pretium, quam exigit justitia : ergo etiam tunc fuit læsa prob. ant. vel pretium est minus merce, vel merx minor pretio : ergo &c. Prob. 1. possunt evenire casus, ut unus fuerit læsus infra dimidium & alter ultra dimidum, & tamen læsus ultra dimidium non patiatur tantum damnum, quantum patitur, qui fuit solummdo læsus infra dimidium : ergo si læso ultra dimidium est facienda reparatio illati damni, erit hæc etiam facienda patienti damnum infra dimidium, prob. ant. si emam castrum cum adiacentibus suis bonis 8000. florenorum pretio, quod valet tamen decem millibus, læsio hæc erit infra dimidium, ex altera verò parte, si alius emat equum 30. florenis, qui valet 70. florenis, vendens fuit læsus ultra dimidium, sed in hoc casu læso ultra dimidium est minor læsione priore infra dimidium : ergo potest læsio infra dimidium esse maior læsione ultra dimidium.

Prob. 3. Ut lædens infra dimidium pretij rigorosi excessum possit retinere, debet ille necessarib habere aliquem titulum : atqui nullum habet, prob. min. non habet titulum donationis, cùm ab alte-

altero contrahente non donetur: nec emptionis, cùm hæc eidem jus tribuat ad solum pretium rigorosum: ergo &c.

Prob. 4. Vi solius juris naturalis, ac secluſa omni alia lege positiva essent injustæ tam læsio infra, quàm supra medietatem justi pretij: ergo etiam læsio infra dimidium injusta erit suppositа lege positiva, quæ negat actionem læso infra dimidium justi pretij. prob. conseq. lex hæc positiva solummodo negavit læso tali actionem in foro externo, non tamen eidem jus quoddam in excessum pretij rigorosi contulit: ergo &c. prob. ant. decipiens non debet aliquod commodum ex sua nequitia reportare: ergo lex hæc non sustulit in hoc puncto jus naturale.

13 Ob. 1. Nunc contra secundum membrum concl. datæ. *scienti, & consentienti non fit injuria* vi *reg. 27. de Reg. juris in 6.* item *lege 145. ff. eodem Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt, & consentiunt* ergo saltem tunc non erit locus restitutioni, quando sine fraude ulla, & bona fide læsio fuit facta infra dimidium. prob. conſ. si etiam in hoc casu deberet reparari damnum illatum, ratio foret, quia deceptus emptor nihilominus excessum invitus persolvit: hæc ratio nulla est. prob. min. in *Canone non sanè 24. q. 5.* habetur *non quidquid ab invito sumitur, injuriosè aufertur:* ergo &c. R. 1. retroq. Argum. si consentienti non fit injuria, tunc possem Titio valdè cupido mearum rerum, has eidem vendere justè, ac licitè pretio, in quo Titius est læsus ultra dimidium justi pretij; consequenter valeret emptio, in qua res mea valens centum, empta fuisset à Titio plus quàm ducentis hoc videtur esse contrarium communi persuasioni: ergo &c. R. 2. dist. omnino volenti ac consentienti sponte, sine admixto involuntario non fit injuria; conc. non sponte, sed aliqualiter coacto, & invito non fit injuria: neg. subinde emptor comparare res aliquas constituit, & in pretium à venditore propositum nequaquam libens consentit, sed ideo præcisè, quia mercem desideratam minori pretio ob avaritiam venditoris obtinere non potest: ergo dabitur involuntarium secundum quid.

Ob. 2. *In cap. cùm dilecti 6. de emptione & venditione*, item *lege rem majoris 2. & leg. si voluntate 8. Cod. de rescind. vendit.* ut læso actio contra lædentem detur, requiritur, ut læsio sit supra dimidium consueti pretij: ergo læsio infra dimidium erit justa. prob. conſ. illa læsio est justa, quæ non inducit obligationem restituendi, sed excessum relinquit lædenti: atqui hoc facit memorata læsio. prob. min., talis excessus authoritate Judicis retineri potest: ergo prob. conſ. quod legis autho-

ritate fit, justè fit vi *legis* Gracchus *4. Cod. ad leg. Jul. de adulter.* ℟. conc. antec. neg. conſ. in prob. neg. min. & ſuppoſitum, quòd citatæ ad initium leges ejusmodi emptiones aut venditiones tanquam juſtas approbent, aut exceſſum adjudicent habenti; cum tantùm ejusmodi decepto actionem in foro externo negent. aliud autem eſt negare læſo infra dimidium actionem, & aliud approbare tanquam juſtam ejusmodi læſionem, & exceſſum adjudicare lædenti.

15 Dices: gratis à nobis aſſeritur, quòd illis legibus duntaxat actio quædam negetur læſo infra dimidium: ergo &c. ℟. neg. ant. & dico 1. adverſarijs, ne gratis hoc aſſerant, incumbere onus probandi. ℟. 2. rationem id aſſerendi eſſe, quia illa approbatio nullibi in jure oſtendi poteſt; & ex altera parte conſtat, etiam in alijs negari ſubinde actionem, licèt non approbetur factum, contra quod denegatur actio. ℟. 3. ideo ſolam actionem à citatis legibus læſo infra dimidium negari, & læſionem non approbari, quia non præſumenda ſunt jura approbare læſionem mala fide ſcienter factam: ſed talem approbarent, prob. min. jura illa non diſtinguunt inter læſionem mala, vel bona fide factam, ſed abſolutè actionem negant læſo infra dimidium, modò non interceſſerit formalis dolus, mendacium ſcilicet, aut falſitas: ergo ſi leges illæ approbarent talem læſionem, approbarent injuſtam.

Ob. 3. Si omnis fraus abfuit, 16
tunc non datur obligatio reſtituendi ex injuſta acceptione: ergo exceſſus poterit retineri, ſaltem ſi bona fide res minore pretio fuit comparata. ℟. talem obligatum iri ex re accepta eò quòd rem invito domino retineat, & nullum habilem titulum inveniat retinendi exceſſum pretij, aut mercis: hinc, niſi acceſſerit præſcriptio, aut res bona fide abſumpta fuerit, quin exinde emptor aut venditor evaſerint ditiores, ipſi læſo reparandum illarum damnum erit.

Ob. 4. Lex humana optimè 17
potuit ob vitandas lites, & animarum periculum ſtatuere, ne lædens infra dimidium juſti pretij obligationem reſtituendi haberet, licèt peccaret: ergo *non tenetur reſtituere.* prob. ant. *ratio juſta* hoc ſtatuendi potuit *eſſe, ut vitentur lites*, & animarum periculis ſubveniretur: ergo &c. prob. nunc etiam conſeq. primi enthimematis: ſi potuit, tunc de facto iſtud ſtatuit: ſed ſi defacto id ſtatuit, tunc excuſatur ab obligatione: ergo &c. prob. Maj. ex *lege 2. Cod. de reſcind. venditione.* ℟. 1. tranſeat antec. Palao enim *de Juſt. diſp. 5. pu. 17. §. 2. n. 4.* judicat, à lege ſtatui non poſſe, ut bona fide decipiens ab obligatione reſtitutionis, cognita poſtmo-

modum veritate rei excusetur. Rationem hujus suæ assertionis affert, quòd ad modò ennumeratos fines obtinendos non fuerit necessarium, ut à restitutione, aliàs naturaliter facienda, ejusmodi bona fide decipiens excusaretur. ℟. 2, transimisso ant. neg. cons. quòd scilicet ista exemptio actualiter à jure positivo fuerit statuta. Quod attinet citatam Legem 2. *rem Majoris Cod. de rescindenda venditione*, dico illam solumodo denegare læso infra dimidium actionem in foro externo.

18 Dices 1. læso infra dimidium denegatur actio in foro externo: ergo non habet ullum jus ad restitutionem. prob. cons. si competeret eidem jus aliquod, haberet actionem: ergo, si hanc non habet, neque eidem jus quoddam competet.

℟. 1. Juxta Fachinæum *lib. 2. controvers. cap. 25.* Salon *2. 2. quæst. 77. art. 1, controvers. 17.* Molinam *disp. 349.* Rebellum *lib. 9. q. 3. sect. 2.* Salas *tract. de empt. dub. 17. n. 3. & 4.* Palaum *de Just. disp. 5. pu. 17. n. 7.* taliter læso conceditur actio indirecta, per viam denuntiationis, & quidem absque ulla controversia eò quòd possit Judici Ecclesiastico denuntiare, ut læsus satisfaciat suæ obligationi reparandi læsionem, ad quam reparandam in conscientia tenetur: ergo non dabitur lex attribuens lædenti exemptionem à restitutione pretij, quod adhuc deest, ut evadat justum.

℟. 2. Conc. ant. neg. cons. plura etenim alia à legibus non vindicantur, & denegatur ex quibusdam actio, quæ tamen in se inhonesta, & coram Deo illicita esse certò constat.

Dices 2. Etsi aliqua non ap- 19
probentur, licèt de illis non detur actio, plura tamen inveniuntur, quæ & carent actione, & positivè approbantur à legibus: ergo nobis probandum erit, quòd noster casus in his pluribus non contineatur.

℟. 1. cùm legi naturali talis deceptio sit contraria, volentibus hanc à jure positivo correctam fuisse probatio incumbet. ℟. 2. sufficienter assertionem nostram ex eo probatam esse, quòd nullibi hujus approbationis mentio fiat, facienda tamen necessario, si hoc Leges intenderent; cùm longè quid aliud sit cuidam læso denegare actionem, & lædentis actum approbare. 2. si excessus infra dimidium spectaret ad lædentem, tunc non deberet hunc restituere, si ultra dimidium venditorem læsisset, sed sufficeret, si excessum ultra dimidium retento reliquo restitueret: atqui hoc est falsum, in exemplo rem valentem 100. à me Titius emit plùs quàm centum & quinquaginta, hoc est centum & sexaginta florenis: in hoc casu læsio emptoris conficit sexaginta florenos, quæ læsio est

ultra dimidium, & excessus ultra dimidium conficit dumtaxat Decem : si enim duntaxat 150. emisset, læsio fuisset intra, & non supra dimidium : si ergo lædens duntaxat tenetur reddere læso id, quod est ultra dimidium, & pro se retinere potest, quod est intra dimidium, potero retinere pro me 150. & satisfaciam modò ementi restituam decem ; quia ex sexaginta florenis, in quibus emptor fuit læsus, quinquaginta sunt intra dimidium, & supra dimidium duntaxat decem : ergo ultra centum, qui conficiunt justum pretium retinere adhuc potero quinquaginta, quia isti, uti dixi, adhuc sunt intra dimidium justi pretij, & quod est intra dimidium justi pretij juxta adversarios lædens retinere potest.

20 Dices 3. leges de præscriptione agentes non tantùm negant læso actionem, sed etiam dominium rei præscriptæ in præscribentem transferunt : ergo idem de his legibus erit tenendum, N. neg. cons. ratio est ; quia leges de præscriptionibus agentes expresè adstruunt dominium bona fide præscribenti, similes autem leges non habentur de lædente infra dimidium. N. 2. quòd leges tantummodo bona fide præscribenti adjudicent hoc dominium : ergo si est paritas etiam excessus seu defectus justi pretij denegabitur solummodo læso, si hic à bonæ fidei læsore aliquid passus fuerit, non autem id procedet, si læsio mala fide, hoc est cum dolo formali, & cum deceptione propriè dicta, mendacio scilicet, aut falsitate interveniente contigerit : ergo cùm leges non facto hoc discrimine generaliter negent hanc actionem quocunque modò infra dimidium læso, non erit asserendum, quòd de translatione dominij loquantur.

Dices 4. Non est major ratio, 21
ob quam jura transferant rei præscriptæ dominium in præscribentem, & talis pretij deficientis partem non transferant in lædentem infra dimidium : ergo si unum fit, etiam alterum factum fusse supponitur. N. neg. ant. ratio enim propter quam in bonæ fidei præscrbentes translatum fuerat dominium, est, ne dominia rerum manerent incerta : tum ut gravissima damna possidentium evitarentur, qui optima fide saepissimè longissimo tempore res aliquas possederunt, invalido tamen cum titulo aquisitas : harum igitur rerum amittendarum periculum paterentur, nisi præscriptionis auxilio illorum dominium aquirerent : hæc autem incommoda nequaquam reperiuntur in lædente infra dimidium.

Ob. 5. Si leges non transfe- 22
runt in talem læsorem infra dimidium, pretij retenti dominium, tunc erunt injustæ, & fovebunt peccatum : sed hoc non est credibile : ergo &c. Prob. Maj. læ-

so

so infra dimidium tanquam habenti jus ad defectum pretij competit actio : ergo si hæc tamen denegatur , erunt injustæ leges 17. rationem justè hoc statuendi fuisse , quia in foro externo tam perfecta æqualitas inter pretium & mercem difficillimè invenitur , & discernitur ; ut ergo innumeris litibus , quæ tribunalia defatigarent , obex poneretur , meritò jura statuerunt , ut soli læsi ultra dimidium de parte denegati justi pretij possent in judicio contendere.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An restitutio sit facienda , si pretium absolutè quidem erat justum , minus tamen illo , quo venditor rem absente fraude vendidisset ?

23 SCimus pretium vulgare aliud esse rigorosum , seu summum. aliud moderatum , seu medium : aliud infimum seu pium. Potuit itaque contingere , ut venditor rem suam non nisi pretio summo vendidisset ; hìc & nunc autem ab emptore fraudulenter circumventus , infimo ut venderet pretio , inductus fuerit.

24 Dico si cum vera formali deceptione ad venditionem minore , quàm statuerat pretio factam , ab emptore venditor inductus fuerat , ille huic tenebitur , etiamsi solutum pretium adhuc constituat infimum justum pretium. ita Palao *de Just. disp. 5. pu. 35. n. 1.* la Croix *lib. 3. part. 2. de emptione n. 955.*

Prob. concl. quicunque alterum fraude , ac dolo induxit ad quoddam damnum , tenetur hoc eidem compensare : atqui ponitur venditor dolo ac fraude inductus ab emptore in quoddam damnum : ergo hoc ab emptore erit reparandum. probatur Major , quivis habet jus , ne in damnum per fraudem , atque dolum inducatur : ergo qui alterum per fraudem & dolum induxit in damnum , tenetur hoc eidem reparare ; cùm omnis violans alterius jus teneatur hoc eidem reparare. prob. itaque minor primi syllogismi : carentia excessûs , quo summum pretium excedit medium , & infimum , aut medium superat infimum , est aliquod damnum : & in hanc carentiam fraude atque dolo fuit inductus ab emptore venditor : ergo venditor ab emptore fuerat inductus in quoddam damnum.

Di-

25 Dices 1. In hoc casu observata fuit justitia pretij : ergo non erit locus restitutioni. R. dist. cons. non erit locus, nisi venditor etiam suppositis istis, tamen injustè fuisset damnificatus: conc. cons. si fuit injustè damnificatus: neg. cons.

26 Dices 2. Si justum pretium venditori fuit pro merce persolutum, non potuit interveniſſe aliqua fraus: ergo nulla est distinctio. R. dist. ant. si illud determinatum justum pretium fuit persolutum, quod semota fraude exegisset, & potuisset exigere venditor, nulla fraus potuit interveniſſe, conc. si hoc à venditore intentum, & justè intendibile pretium determinatum, non fuit obtentum ex dolo venditoris, non potuit interveniſſe fraus, negatur. fuit in potestate venditoris retinere vel alienare suam rem : item alienare summo, medio, aut infimo pretio : ergo sicut injuria venditori fuisset illata, licèt pretium justum eidem fuisset persolutum, si aliàs non venditurus, fraude fuisse inductus ad alienandum : ita etiam eidem fuit injuria illata, si fraude fuerat inductus, ut minore, quàm intenderat, pretio rem suam alienaverit.

Dices 3. Pretium infimum à 27
medio parùm distat: ergo in hoc facta deceptio non est curanda, nam cùm parum à medio distet, non censetur à venditore curari. Conf. Saa *verbo : venditio n. 21.* ut aphorismum affert, quòd parùm est, censentur emptor & venditor condonare invicem. R. dist. ant. parùm distat subinde : conc. semper, ac universaliter, neg. ant. & dist. cons. ergo non est curanda, si deceptio sit magna, & multùm inter se hæc pretia differant : neg. si parùm differant subdisting. si adsint aliquæ conjecturæ donationis : conc. si hæ desint neg. nulla autem talia signa dabuntur, si deceptio intervenerit, eò quòd difficulter donemus alijs, quod hi fraude ac dolo nos circumvenientes nobis invitis injustè extorserunt.

§. IV.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum?

An Sempronius teneatur rustico ad restitutionem?

28 Dico, eundem ad restitutionem damni allati venditori rustico obligatum esse. Prob. concluſ. Sempronius formali sua deceptione, dolo scilicet, mendacijs, aut falsitate grave damnum intulit venditori, & quidē cum injuria formali: ergo tenebitur illud reparare. prob. ant. Sempronius juxta fundamenta hactenus posita non excusatur ex eo, quòd in hoc pretium consenserint ambo contrahentes ex altera verò parte licitum sit quolibet pretio rem emere aut vendere; prout in 1. §. probavimus: Neque excusatur ex eo, quòd læsio circumventi venditoris infra dimidium constiterit: ratio ex dictis est, quia etiam hæc læsio in foro conscientiæ ad restitutionem obligat. Addo, quòd ponatur formalis deceptio interveniſſe, & formalis deceptio, etiamsi infra dimidium justi pretij constiterit, in foro quoque externo actionem doli taliter læso concedat; prout habetur ex *lege Julianus: §. si venditor: & §. idem Julianus ff. de actionibus empt. lege 1. §. persuadere ff. de servo corrupto: lege si quis affirmaverit: ff. de dolo:* uti docet Palao *de Just. disput. 5. puncto 17. §. 3. n. 2.* citans Covarruviam Pixel, Marieni, Azebedo, Salas *tract. de emptione dub. 27. n. 7.* vel igitur hic à Sempronio adhibitus dolus fuit causa hujus vilioris venditionis, eò quòd venditor in hoc pretium nequaquam consensisset, si dolus emptoris non interveniſſet? Et tunc ex communi sententia emptio hæc fuit omnino nulla, vel ponitur, dolus incidisse tantummodo in contractum, in quantum venditor ita fuerat constitutus, ut esto dolus non interveniſſet, adhuc tamen rem vendidisset & tunc contractus quidem fuit validus, actione tamen doli rescindendus venit, vel pretium supplendum erit ad arbitrium decepti, penes quem est liberrima inter alterutrum istorum electio.

Tertiò denique neque excusatur ex eo, quòd pretium solutum, infimum quidem fuerit, justo tamen neutiquam inferius; si enim damnum ad decem florenos ascenderat, non videtur deceptio præcisè in illo constitisse, quòd infimum loco medij, aut rigorosi tantummodo persolutum fuerit pretium. Dein ex resolutione tertij quæsiti constat, etiam talem formalem deceptorem in conscientia obligatum ad restitutionem damnificatio esse.

CASUS XIV.

De pretio mercis ab intermedio emptore partialiter retento.

COmmissarius, vel alius quidam officialis bellicus, jussus emere pannum pro vestiendis de novo suis ducentis, vel adhuc pluribus militibus, tabernam, in qua pannus vendebatur, ingreditur, & ubi eidem aptus à mercatore ostensus fuerat, quantô pretiô singulas ulnas distraheret, interrogat. Reponit mercator, pro qualibet se expetere tres florenos. Subjungit commissarius paratum se esse ad solvendos duos florenos cum dimidio pro singulis ulnis; empturum etiam mille ulnas: interea tamen se velle, ut mercator in apocha, quæ pretium emptæ mercis exhibebit, testetur, pro singulis à se expensos fuisse tres integros florenos, hæc conditio cùm & mercatori placeret, perfectus fuit contractus, & excessus pretij à commissario, tanquam fructus suæ industriæ, aut liberale mercatoris donum, retentus.

Q? Utrùm intermedius iste emptor hunc excessum bona conscientiâ retinere potuerit?

SYNOPSIS.

§. I.

Prænotanda.

1. *Pretium rerum aliud est summum, aliud medium, aliud infimum.*
2. *Res per minutas venditiones distrahuntur cariùs.*
3. *De justo pretio non nihil remittere potest mercator in gratiam intermedij, aut veri emptoris.*

4. Ex-

4. Expensum pro panno pretium ad milites spectásse ponitur.
5. Emptori intermedio, vel certa, aut nulla determinata civitas, in qua pannum emeret, assignari potuit.

§. II.

Resolvitur Quæsitum.

Utrum intermedius iste emptor hunc excessum bona conscientia retinere potuerit?

6. Non potuit, si apud aliquem minore pretio comparaverit, licèt apud alios ejusdem loci mercatores debuisset cariùs emere.
7. Si in loco eidem assignato, hoc minore pretio pannum emere non valens, alium longè distantem adijt, & hoc illum pretio comparavit, excessum sibi applicare potest.
8. Illicitè tamen sibi applicavit, si justum & summum pretium duos florenos cum dimidio tantùm conficiebat.
9. Etiamsi aliquo modo ipsi milites pro pretio tres florenos designaverint.
10. Nisi emptori intermedio excessum expressè remiserint, si minore pretio pannum, quàm tribus florenis comparaverit.
11. Aut etiam tacitè.
12. Quandonam hic tacitus consensus sit præsumendus?
13. Quid respectu offerentium ultrò sua obsequia in hoc puncto sit sentiendum?
14. Nec potuit Commissarius rem, antea viliore pretio pro se emptam, cariore postea militibus distrahere.
15. Aut excessum ut donationem liberalem mercatoris accipere.
16. Cùm in dubio possidentium militum conditio sit melior.
17. Et pecunias alienas donare mercator nequeat.

§. I.

Prænotanda.

1. PRimò adverto, pretium aliud esse summum, aliud medium, aliud infimum: insuper mercatores communiter prima vice ne-

quaquam justum pretium, sed semper justo majus interrogantibus valorem mercium indicare; petunt scilicet injustum, ut obtineant id, quod est justum.

2 Adverto secundò, merces, si in magna quantitate emantur, minori pretio vendi solere, quàm si minutim, seu per modicas partes emantur. Ratio est, quia crebræ, & minutas per partes factæ venditiones plùs laboris, & expensarum, minúsque utilitatis venditori afferunt, quàm una, vel altera venditio, queis magna, aliàs minutim distrahenda, quantitas distrahitur, ita sentiunt Sylvest. *V. emptio q. 20.* Medina *de restit. q. 31.* Rebellus *p. 2. lib. 9. q. 1. num. 36.* Lugo *disp. 26. num. 44.*

3 Adverto tertiò, mercatorem posse in ipsius intermedij emptoris gratiam aliquid remittere de pretio justo, & hanc remissam partem eidem donatam relinquere, ut compensetur, quòd suam tabernam relictis cæteris adire voluerit, aut ut etiam eundem alliciat ad plures imposterum ab eo ipso emptiones faciendas. Quod autem modò diximus in gratiam intermedij emptoris fieri posse, id ipsum beneficium etiam vero emptori exhiberi, & de pretio justo aliquid remitti ex ijsdem causis poterit.

4 Adverto quartò, expensum pro panno pretium spectâsse ad ipsos milites, collectum scilicet ex ijs, quæ in singulos menses ex ordinario illorum salario detrahuntur, ad procurandas illis suo tempore necessarias vestes applicanda.

5 Adverto quintò, intermedio huic emptori, vel certam civitatem, in qua pannum emeret, assignatam fuisse, vel nullam determinatam, relinquendo illius liberrimæ voluntati electionem loci, quem voluerit.

§. II.

Resolvitur Quæstio.

Num emptor noster intermedius, seu commissarius potuerit hoc lucrum pro se retinere?

6 Dico 1. Si intermedius hic emptor, seu Commissarius apud quosdam ejusdem civitatis mercatores hujusmodi panni ulnam non poterat minore, quàm trium florenorum pretio comparare; ipse autem quæsivit in eodem loco alium mercatorem, qui ulnam illi vendidit duobus florenis cum dimidio, non potuit ille in-

intermedius emptor sibi retinere excessum illum, quo talem pannum debuisset apud alios cariùs emere. Ita cum alijs Molina *de Jure & Justitia tract. 2. disp. 363.* Prob. si hoc incrementum potuisset retinere, ratio foret, quia esset lucrum industriæ ab intermedio nostro emptore ultra suam obligationem adhibitæ: sed hoc est falsum. Prob. min. commissarius, seu intermedius hic emptor ad hanc industriam adhibendam erat rogatus à militibus; vel illam adhibere jussus à Principe, vel ratione sui officij obligatus: ergo &c. Prob. ant. tum milites, tum Princeps, aut illius officium exigebant, ut minimo, quo fieri poterat, pretio compararetur pannus. Prob. 2. in tali casu agebatur negotium Principis, vel militum: ergo lucrum hoc spectabat ad Principem, vel ad milites. Prob. conf. si nullum inveniisset mercatorem, qui solis tribus florenis ulnam hujus panni distraheret, sed in singulas expetiisset quatuor; hoc aucti pretij detrimentum nequaquam hic intermedius emptor, se commissarius suppleviisset, sed hoc militibus, aut Principi ferendum fuisset: ergo etiam minoris pretij lucrum militibus, aut Principi accresceret, non autem intermedio emptori.

Confirm. eo ipso, quòd commissarius negotium emendi pro militibus pannum in se susceperit, tacitè promiserat, se per moralem diligentiam istorum militum rem utiliter gesturum, ac empturum, quanti minoris poterit; non secùs, ac si horum militum famulus, ac mercede ab illis conductus esset: ergo illius pretij excessum, non videtur posse retinere.

Dico 2. Intermedium nostrum emptorem retinere sibi hoc incrementum potuisse, si postquam moralem diligentiam in loco ad emendum illi assignato adhibuerat, ulnam panni non nisi tribus florenis, tanquam infimo pretio comparare potuit; ipse verò accessit alium valde distantem locum, & ibi ulnam panni æqualis bonitatis duobus florenis cum dimidio comparavit: ita Molina loco cit. Prob. hoc incrementum non est lucrum industriæ debitæ, & quam ut adhiberet, à militibus rogatus, aut obligatus fuerat: ergo &c. ant. constat, quia ponitur jussus in determinato loco comparare pannum: ergo si in assignato loco non potuit ulnam panni determinato illo pretio comparare, ipse autem accessit ad locum valde distantem, lucrum illius extraordinariæ, atque indebitæ industriæ erit adscribendum. 7

Dico 3. Si justum & summum pretium cujuslibet ulnæ non superabat duos florenos cum dimidio, Commissarius non potuit à militibus in singulas ulnas expe- 8

tere tres florenos, & triginta crucigeros ex qualibet ulna sibi appropriare. Prob. excessus ille triginta crucigerorum non spectabat ad mercatorem, sed ad milites: ergo non potuit illos mercator Commissario donare tanquam compensationem empti à se panni. Prob. ant. ille excessus triginta crucigerorum erat supra justum pretium, & quidem summum, ad quod solum mercator jus quoddam habebat: ergo spectabat ad milites, qui tantùm debebant justum pro singulis ulnis pretium persolvere.

9 Dico 4. Licèt à militibus intermedius emptor jussus fuerit singulas ulnas emere tribûs florenis; emptor autem absque singulari, & extraordinaria industria quamlibet ulnam comparaverit duobus florenis cum dimidio; excessum tamen, medium scilicet ex singulis ulnis florenum, retinere pro se Commissarius nequaquam potuit. Prob. neque ex titulo donationis, neque ex titulo proprietatis, neque ex titulo mercedis pro illo labore, illum excessum retinere potest: ergo &c. Prob. primum membrum ant. milites non determinârunt pretium trium florenorum, quasi vellent contenti esse, modò non plus expenderetur, residuum autem, si forsan minore pretio pannus comparari posset, donare suo intermedio emptori: ergo. Prob. ant. tali taxatione pretij ordinariè solùm innuitur, ût non majore res emantur, non autem, quòd Dominus non desideret residuum, si minori pretio res acquiri valeant: ergo &c. Prob. nunc etiam secundum membrum, concessæ ad emendum pecuniæ semper manent in proprietate militum, usquedum in mercatorem pro redditio panno translatæ fuerint: ergo cùm residuum, & excessus non fuerint in mercatorem translati, manebit hic excessus in proprietate militum: ergo non poterit illum intermedius emptor retinere ratione proprietatis. Prob. etiam tertium, quòd scilicet neque ex titulo mercedis: intermedius iste emptor tanquam Commissarius, vel officialis bellicus, aut gratis in se hunc laborem recepit, vel ex suo officio ad hoc fuit obligatus, vel certa merces eidem jam fuit constituta: ergo hic titulus non subsistit. Confirm. quænam merces huic intermedio emptori debeatur, ex aliorum judicio, & non ex ipsius arbitrio erit definiendum: ergo pretij expensi residuum militibus tanquam Dominis erat restituendum, & compensatio ab illis exspectanda, præsertim cùm excessus retentus possit promeritam mercedem multùm excedere.

Dico 5. Si milites tanquam ve- 10
ri Domini pro singulis ulnis taxârunt tres florenos, atque expressè remiserunt intermedio emptori, quòd remanserit, si illas mi-
no-

noris emere posset, licitè illum excessum retinere sibi potuit. Prob. in hoc casu dominium remanentis excessûs translatum fuit in ipsum emptorem intermedium. Excipitur tamen casus, quo veri emptores milites in assignandis tribus florenis in singulas ulnas fuissent decepti, eò quòd hoc pretium sit justo majus. Ratio est, quòd errantis nullus sit consensus.

11 Dico 6. Idem tenendum erit, si tacitus militum consensus accesserit: ratio est, quòd taciti, & expressi par sit virtus: vi *legis 3. cùm quid mutuum; ff. ſi certum petatur.*

12 Licèt autem hæc certa sint, incertum tamen, ac valde dubium manet, quandonam hic tacitus consensus intercessisse, præsumendus sit? præsumptioni huic locum non esse, docent communius Doctores, quando negotium rem tanti emendi traditum fuit famulo, vel alteri pretio ad hoc munus deputato, aut ex vi sui officij ad similia obligato: unde Graffis, Petrus Ledesma, Conrado, Navarrus, Salas, Lugo, Palaõ docent, pactum tacitum de retinendo excessu fuisse initum, si designato pretio nullum stipendium intermedio emptori constitutum fuerit. Cùm ergo famulis, aut alijs ex officio suo ad id deputatis suum stipendium jam sit constitutum, cum istis tacitus talis consensus non fuit initus; idem videtur locum habere in amico, qui ratione suæ amicitiæ ad hoc obsequium alicui præstandum se ultrò obtulerat.

Quia autem sæpiùs contingit, 13
ut aliqui non rogati suam operam alijs offerant, & gratis hoc munus se exhibituros promittant, eritne his etiam licitum retinere sibi excessum, quando minore, quàm designato pretio rem desideratam aliorum nomine comparaverit? Qui negant hanc facultatem, pro ratione afferunt, quòd Dominus non consentiat in donationem excessûs supra designatum pretium, quia intermedius emptor promiserat, se gratis hoc obsequium esse præstiturum tanquam beneficium. Secundò quòd forsitan alio quodam intermedio emptore, qui gratis, vel solertiùs hoc officio functurus esset, non autem isto uti vellet, si sciret huic quoddam stipendium persolvendum esse. Tertiò, Dominus mandans putat se ab intermedio emptore tanquam gratis inserviente aliquod beneficium accipere, & consequenter ex gratitudine ad illud compensandum se obligatum fatetur, aut novis alijs obsequijs demereri studebit: est autem injustum, ut intermedius emptor utraque hac compensatione fruatur, ita Molina *de contract. disp. 363.* Contrarij in hoc puncto Molinæ sunt Fagundez apud Tamburinum, Sporer *tract. 6. in Decalog. cap. 5. n. 41.* asse-

asserunt isti talem gratis suam operam offerentem, si excessum retineat, mendacem duntaxat futurum, non autem injustum; eò quòd nemo gratis alteri servire debeat, & obligatio gratitudinis sit oppidò incerta consequenter compensationem præstiti laboris servienti non prohibeat. Responderi tamen poterit ad hanc rationem; verum quidem esse, quòd nemo absolutè gratis teneatur alteri aliquam operam præstare: quòd si autem istam gratuitam operam alteri præstare promiserit, ad hoc videtur esse obligatus, ni dicere velis, promittentem alteri donare aliquid, posse facta traditione rei promissæ pro hac quidpiam sibi tacitè appropriare, quia nemo debet rem suam alteri donare: ejusmodi ergo personæ Dominos istos decipiunt; cùm isti per suos gratis tales emptiones procurâssent vel magis industrios elegissent: unde aliqui, ut talis consensus tacitus ipsorum Dominorum præsumi possit, licèt gratis suam operam ad emendum vel vendendum obtulerint. Ulteriùs exigunt cum Tamburino *in Decalog. lib. 8. cap. 7. tract. 3. §. 9. n. 6.* ut nullus alius, qui etiam gratis suam operam exhiberet, à Domino inveniri, aut hic facilè advertere potuerit promissionem hanc gratuitam merè mendacem esse; vel ob paupertatem sua obsequia offerentis, vel ob impensi laboris magnitudinem, vel ob officium, quod actu talis promissor gerit, in quantum iste ex similibus servitijs se sustentare est solitus.

Dico 7. Neque retineri hic excessus à Commissario poterit ex eo, quòd ipse primùm pro se, ac suo nomine hanc quantitatem panni emerit illo minore pretio, postea verò hunc ipsum primùm militibus vendiderit pretio illo majore, trium scilicet florenorum in singulas ulnas computatorum, prob. licentia ejusmodi praxeos innumeris fraudibus januam & occasionem panderet; quilibet enim alieno nomine rem emere jussus, infimo, quo posset pretio hinc comparare pro se conaretur, postmodum verò majore distraheret eam ipsam alteri, cujus nomine ab initio jussus fuerat illam emere. Prob. 2. juxta dicta hic Commissarius vi hujus suscepti in se muneris erat obligatus ad omnem ordinariam & consuetam diligentiam inpendendam, ut bonum, & pretio, quo fieri poterat infimo pannum pro militibus compararet: ergo cùm videret, tum ab hoc, tum ab alio mercatore posse ulnas singulas hujus panni comparari duobus florenis cum dimidio, non poterat quamlibet ulnam vendere militibus carius, aliud dicendum esset, si hunc pannum ad suum usum comparâsset, & postea alium vel apud hunc vel cæteros mercatores pro militibus inquirens nullum nisi pretio trium flo-

14

florenorum in singulas ulnas computato potuisset comparare; tunc enim eidem licitum fuisset in suos usus antea comparatum levioribus sumptibus pannum, majore, tunc tamen currente, pretio militibus distrahere. Prob. 3. si pro se verè ac non fictè tantam quantitatem panni emerat, etiam illius periculum debuit in se suscipere, &, si quod damnum evenerit, etiam ipsemet luere, ac si postea decrevisset pretium etiam ultra duos florenos & dimidium pro singulis ulnis, non potuisset à militibus exigere taxam, qua singulas ulnas emerat: atqui in hæc non consenserat Commissarius: ergo tantum fictè pro se emerat.

15 Dico 8. Neque potest hunc excessum retinere tanquam donum quoddam à mercatore eidem factum in compensationem, quod ad ipsum potiùs quàm ad alios mercatores ad emendum accesserit, vel ut cum alliceret ad similia ex ipsius taberna imposterum emenda. prob. ut ex hoc Titulo retinendi jus habeat, debet eidem esse certum, quòd tres floreni fuerint justum, & non justô majus pretium, pro singulis ulnis: item quòd fuerit infimum non medium aut summum: vi enim suæ in se susceptæ obligationis debuit pretio, quo potuit minimo pannum comparare: atqui hoc non solùm non fuit eidem certum, sed contrarium probabiliùs; quia primum statim à mercatore propositum pretium omissa omni licitatione acceptaverat, cùm tamen constet, mercatores, ut obtineant justum, semper ab initio expetere injustum.

Accedit, uti in prænotandis insinuavimus, quòd merces in magna quantitate emptæ minori pretio vendantur: cùm ergo mercator ignoraverit, tantam quantitatem panni, qui ducentis, aut pluribus adhuc militibus vestiendis sufficerent, vendendam esse, ideo pretium ab initio statim propositum, licèt fuisset justum, si aliquot v. g. decem vel quindecim ulnæ acciperentur; justo tamen majus fuerat respectu tantæ quantitatis eodem actu distractæ. Secundò: debuisset adire etiam reliquos mercatores, & quo ab istis similis bonitatis panni distrahantur, inquirere, ut in notitiam veri pretij veniret, accidit itaque huic Commissario, quod sæpissimè sartoribus in simili occasione contingit, scilicet propter hoc lucrum non egit fideliter negotium suorum militum, quibus pannum hunc emerat; sed plus pretij statim condixit, atque persolvit, quàm quod dedisset, si pannum hunc pro se emisset. potuisset absque dubio apud alios mercatores ulnam panni minore pretio comparare, potuisset ac debuisset plus apud istum mercatorem insistere, ut merx ista emeretur vilius, ut igitur hoc lucrum aquireret, & adire cæteros

mercatores, & plùs apud istum insistere omisit, infidelitatis in milites commissæ reus; & hinc ad excessum hunc injustè obtentum condemnandus.

16 Cùm igitur milites sint in possessione suæ pecuniæ, ex altera verò parte dubium, imò probabilius sit, quòd mercator ex suo hanc donationem non fecerit, restituendus hinc totus excessus pauperibus militibus erit, quorum ut possidentium melior est conditio; cùm isti perversi & Dominis, quorum negotium agitur, summè noxij modi nequaquam tolerandi sint. ita Molina *de Just. tract. 2. Disp. 363. ad finem.*

17 Dices, mercatorem bene advertisse, quòd sibi hunc excessum Commissarius donatum velit in compensationem gratiæ mercatori factæ, accedendo illius tabernam potiùs, quam aliorum: ergo in hoc consensit. R. mercatorem duntaxat potuisse aliquid remittere de justo ad se spectante pretio: probandum itaque, & certum debet esse, quòd propositum in mercatore pretium fuerit justum.

CASUS XV.

De venditione hordei virtute germinandi destituti.

CAjus, licèt optimè ab experientia sciret, hordeum suum ob corruptum punctum germinans *virtute* germinandi destitutum esse; plures tamen *illius* scaphas cuidam praxatori, seu coctori cerevisiæ, vendit pretio currente, quin eundem de hoc defectu certiorem fecerit.

Q. 1. Num de ordinario pretio ob latens hoc vitium fuerit aliquid remittendum?

Q. 2. Num valida fuerit hæc venditio à defectûs conscio venditore facta?

Q. 3. Num valida fuisset hæc emptio, si venditor hujus vitij ignarus extitisset?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Num de pretio ob latens hoc vitium, fuisset aliquid remittendum?

1. *Aliquot circumstantiæ, quæ in hoc casu sunt observandæ enumerantur.*
2. *Defectus virtutis plasticæ, si de hoc emens interrogaverit, manifestari debuit.*
3. *An hujus virtutis defectus pro vitio in hordeo sit habendus?*
4. *Substantialis qualitas erit, si ad finem emptione intentum unice serviat.*
5. *Finis ab ementibus intentus ex quo colligatur.*
6. *Perpensis omnibus circumstantijs patet, nostrum emptorem intendisse confectionem cervisiæ.*
7. *Ob latens vitium nonnunquam minuendum erit rei pretium.*
8. *Quod in hac emptione oportuisset fieri.*

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Num valida fuerit hæc emptio, à defectûs conscio venditore facta?

9. *Error circa substantiam invalidat contractum.*
10. *Virtus plastica hordeo inexistens erat conditio sine qua non.*
11. *Probabiliùs contractus iste omnino nullus & irritus simpliciter fuit.*
12. *Finem ordinariè & communiter intendi solitum, & ab emptore principaliter intentum spectare venditor tenetur.*
13. *Eadem qualitas potest esse substantialis respectu unius, non tamen alterius contractûs.*

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Num valida fuisset hæc emptio, si venditor hujus vitij ignarus extitisset?

14. *Venditor tacendo vitium dolosè induxit ementem.*

15. *Etiam bona fide venditoris celebrata talis distractio fuisset nulla.*

16. *Non sufficit, ut valeat venditio, rem venditam ad aliquos suos fines esse utilem.*

17. *Si ad specialiter intentum sit inutilis.*

18. *Vitij hujus ignarus venditor nullum damnum tenetur emptori refundere.*

19. *Sola taciturnitas non excusat venditorem à mala fide.*

20. *Intentio emptoris sufficienter constabat venditori.*

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Num de pretio ob latens hoc vitium fuerit aliquid remittendum?

EX undecimi casûs resolutione constat alia vitia in substantia, nonnulla in quantitate, alia in qualitate. Secundò, ibidem etiam innuimus, vitiorum alia esse occulta, alia patentia. Dubium itaque modò supereſt, utrùm corruptio virtutis seminalis in hordeo sit vitium quoddam substantiale, aut solummodo accidentale? item utrum de hac virtute, num scilicet adhuc insit granis venalis hordei, ipse venditor interrogatus fuerit, vel non.

Sive autem defectus, & destructio virtutis seminalis habeatur pro substantiali, sive pro accidentali quodam vitio, debuit tamen hæc destructio, tanquam vitium quoddam intrinsecum emptori à vendente, si iste de hoc fuerit interrogatus, manifestari, ne emens dolo, atque deceptione ad emendam rem vitiosam non sine suo damno induceretur, ad quod reparandum, etiam vendens in conscientia erit obligatus, si varijs amphybologijs, aut mendacijs veri-

ritatem interrogatus occultaverit, uti docet communis cum Molina *disp. 353. in prima concl.* & Salas *dub. 35. n. 4.* Ratio hujus est, quia tacendo defectum, causavit omne postea subsecutum emptori damnum.

3 Videtur tamen non immeritò controversum esse, num defectus iste virtutis seminalis simpliciter pro vitio sit habendus. Si enim de reliquis frumenti speciebus loquamur, emens v. g. triticum, avenam, far, nequaquam inquirit, num punctum germinans necdum corruptum sit. Imò nec minimum quid de pretio aliàs justo detrahitur, licèt probabilissimè ob vetustatem frumenti judicari possit, virtutem illam plasticam penitus corruptam fuisse.

4 Quia autem potest contingere, ut certus quidam defectus non censeatur esse substantiale, imò omnino, saltem à potiori loquendo, nullum vitium; si tamen sit quædam singularis qualitas per se ejusmodi rebus innata, & ad certos fines conducens, insuper ob solam istam aptitudinem ad ejusmodi finem obtinendum comparetur, tunc talis qualitatis defectus non immerito pro vitio, & quidem ad hunc finem substantiali habendus erit.

5 Hæc autem ementium intentio vel ab istis insinuari claris, & expressis verbis venditori poterit; vel ex natura, quantitate mercis, ex officio, opificio, aut statu ementium statim colligi à vendente potest.

6 Si consideremus præsentem, de quo est quæstio, emptorem, qui est praxator cerevisiæ, naturam mercis, quæ est hordeum, ex se aptum, & summè necessarium ad coquendam cerevisiam; imò quantitatem emendi hordei, quæ ad plures medios vel scaphas ascendebat; statim nobis hoc judicium formabimus, praxatorem hunc intendere emptionem hujus hordei in tanta quantitate, ut illo ad coquendam cerevisiam utatur; consequenter supposuisse in isto hordeo non deesse virtutem seminalem seu plasticam, qua si careret istud hordeum, foret ad finem, quem unicè hac sua emptione intendebat, totaliter ineptum; licèt tali hordeo uti forsitan posset ad alios quosdam fines, ut ad pinsendum panem, pascendas gallinas, anseres &c. quos tamen hic & nunc neutiquam intenderat: vel si etiam aliquatenus intendisset partem quandam valde modicam in hos fines applicare; in tanta tamen quantitate atque copia hordeum certissimò non emisset.

7 Prima itaque quæstio nunc movetur, an hordeum istud, *ab emente* hujus defectûs optimè conscio, communi, & tunc currente pretio potuerit vendi, & non potiùs ex ordinario pretio debuerit aliquid remitti: communis enim Doctorum sententia docet, etsi

occulta cujusdam mercis vitia manifestari in omnibus circumstantijs non debeant, ejusmodi tamen defectuosas merces, si ementi minùs commodæ futuræ sint, sine injuria tanto pretio distrahi non posse, quanto si vitiosæ non essent, absolutè vendi potuissent. Ad hanc

8 Dico, licèt nihil de pretio consueto fuisset remittendum, si pistor hordeum istud pro se emisset, de quo constabat, quòd eodem cum alia specie v. g. tritici permisto ad pinsendum panem usurus sit; in hoc tamen casu de pretio consueto aliquid remittendum erat. Prob. in hoc casu emptor damnificatur, & illud commodum, quod praxatores primariò intendunt, consequi non potest, & hinc hordeum contra suam voluntatem impendere ad illos fines, queis ad emendum hordeum omnino nunquam, vel saltem in tanta quantitate non permotus fuisset; consequenter aut viliore pretio illud alijs vendere, aut sine fructu, & utilitate ad longius tempus domi in granario asservare debebit, quæ incommoda non sanè levia diminutionem consueti aliàs pretij jure merito videntur exigere, ita ut praxator illud currente pretio nequaquam emturus fuisset, licèt etiam cognito hoc vitio ad illud comparandum simpliciter induci potuisset: hinc excessus ille, qui remitti de currente pretio debuisset, ad minimum decepto praxatori à venditore restituendus erit. Ita sentiunt Molina *disp. 346.* Palao *de Just. disp. 5. pu. 35. n. 1.* nam vi *Legis Julianus: §. si venditor ff. de actionibus empti:* si læsio ex dolo, aut fraude provenit, agere læsus poterit ad rescindendum contractum; vel pretium supplendum. Neque dicas, nullam fraudem interveniisse, eò quòd vendens tacuerit, nec positivè affirmaverit, hordeo inesse virtutem plasticam: contra enim est: quòd ipse venditor in hoc casu debuisset vitium etiam non interrogatus manifestâsse, aut leviore, quàm ordinario pretio suum hordeum distrahere.

§. II.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Num valida fuerit hæc emptio à defectûs conscio venditore facta?

9 Dissoluta hac prima quæstione alterum oritur dubium, num hæc venditio fuerit absolutè valida, & non simpliciter irrita atque nulla. Si ponatur, defectus iste fuisse substantialis, omnes illum contractum invalidum declarabunt ob defectum consensûs ex emptoris parte requsiti. cùm autem difficile sit probare virtutem plasticam ad substantiam frumenti reducendam esse, hinc omisso isto dubio.

10 Dico 1. Licèt virtus plastica, vel punctum germinans non esset de substantia hordei, in hac tamen emptione virtutem illam fuisse qualitatem, & conditionem, sine qua emens praxator haud consensisset in hunc contractum. prob. finis ab emptore per hujus hordei emptionem unicè intentus, erat comparare materiam aptam ad coquendam cerevisiam: ergo unicè intendebat emere hordeum, quod esset aptum ad coquendam cerevisiam nigram: consequenter huic aptitudini, tanquam conditioni, sine qua non emisset hordeum alligavit suum consensum, hunc contractum aliàs non celebraturus. sed ut hoc hordeum esset materia ad coctionem cerevisiæ nigræ apta, debebat illud habere virtutem istam plasticam: ergo intendebat emere hordeum præditum hac virtute plastica: ergo hæc erat conditio sine qua non.

Confirmatur ex P. De la Croix, si Sacerdos intendit emere pannum, quo se Sacerdotaliter vestiat, nigredo hujus panni est conditio sine qua non; ergo & hæc virtus &c.

11 Dico 2. Probabilius hunc contractum esse omnino nullum ac irritum. Probatur conclusio: si hic defectus fuisset substantialis, hæc emptio fuisset nulla: ergo etiam erit nulla, si virtus hæc plastica erat conditio sine qua non, cui suum consensum emens unicè alligaverat; & tamen illa non extiterat: prob. cons. ideo in casu antecedentis contractus fuisset nullus, quia non datus fuisset consensus: atqui etiam in casu consequentis non dabatur consensus ementis: ergo etiam non valebit: prob. min. emens praxator duntaxat consentiebat sub hac conditione, si hoc hordeum habuerit virtutem plasticam, ut vi hujus

jus sit aptum ad coquendam cerevisiam : ergo si hæc conditio non fuerat impleta omnino non consenserat, ant. constat, hac enim ratione,& nulla alia hordeum conducebat ad finem, coquendam scilicet cerevisiam, ab emptore unicè intentum. Prob. 2. quando vitium rei occultum est, substantiale. cujus ignorantia dat causam contractui, & tollit liberum consensum emptoris, venditio est injusta, sed in nostro casu defectus iste virtutis seminalis est substantialis : illius ignorantia dedit causam contractui, & sustulit liberum consensum emptoris: ergo &c. prob. min. quoad primum membrum : illud est substantiale contractui, in quod sua intentione contrahens fertur : sed praxator ferebatur in virtutem istam plasticam: ergo hæc erat substantialis prob. min. volebat emere hordeum ut cerevisiam posset coquere : prob. etiam secundum membrum : cùm ille juxta dicta emerit hordeum, ut illo uteretur ad coquendam cerevisiam ideo solùm emit illud, quia judicabat, virtutem seminalem inesse huic hordeo : ergo si hæc non dabatur, hujus vitij ac defectûs ignorantia dederat causam huic contractui, & sustulit consensum, cùm errantis nullus sit consensus.

Confirm. juxta Dianam *in resolut. moral. part. 1. resolut. 39.* tunc dolus in occultatione defectûs præbet causam contractui, quando per defectum illum, qui occultatur, res inutilis emptori redditur, vel periculosa ; aut si non minuitur pretium ; sed hordeum redditum fuit inutile emptori ad finem, ob quem emerat illud, non ignorante, vel saltem prudentissimè hoc ipsum supponente venditore : ergo &c.

Confirmatur 2. Eidem Diana loco citato asserit nullam fore venditionem, si emptor explicet se nolle rem emere, nisi careat hoc vitio,& res isto non caruerit : ergo etiam hæc erit nulla. prob. cons. licèt praxator hanc conditionem expressis verbis neutiquam requisiverit, consideratis tamen omnibus circumstantijs patebat omnibus intentio illius : ergo &c. quia taciti, & Expressi eadem solet esse vis, ac efficacia.

Confirmatur 3. Si peregrinationem ad certum locum sacrum, qui distat 20. diebus promisi putans distare illum duntaxat itinere duorum dierum, error circa substantiam rei commissus judicatur, & promissio fuisse ob hunc nulla, eò quòd non solus adventus ad illum sacrum locum, sed ipsa quoque peregrinatio objecta mea promissionis fuerint : ergo etiam emptio erit nulla, si mea intentio non ferebatur in solum hordeum, sed in hoc, & simul qualitatem illam plasticam; & circa hanc commissus quidam error fuerat.

Ob. hordeum carens virtute plastica in se, atque absolutè spec-

ta-

ctatum est utile, & neutiquam noxium: ergo contractus fuit validus, licèt ad finem mentis non conduxerit venditum hordeum. Prob. conf. venditor non debet necessariò spectare, & attendere finem ab emptore intentum: ergo, licèt ad finem ab emptore intentum non fuerit utile hordeum, modò absolutè spectatum, & in se fuerit utile, contractus valebit. *n.* dist. ant. tale est utile in ordine ad finem, ob quem communiter solet emi; & hìc & nunc unicè fuit emptum conscio ipso venditore: neg. ad alios hìc & nunc neutiquam intentos, conc. ant. & neg. conf. licèt venditor non ad qualemcunque finem emptoris debeat attendere, si tamen hìc & nunc ab emptore unicè intentus, ordinarius sit, & de hoc sufficienter venditori constet, rem ad finem ejusmodi aptam debebit petenti reddere.

13 Ob. 2. Hic error non versabatur circa substantiam rei emptæ, sed circa solam illius qualitatem: ergo non erit contractus jure nullus: *n.* dist. ant. non versabatur circa substantiam mercis, seu hordei in se præcisè spectati; conc. hordei ut hìc & nunc substantis huic emptioni, neg. quòd equus sit Hungaricus, Neapolitanus, Africanus, videtur esse quid accidentale, & minimè quid substantiale ad equum ut sic consideratum: cùm autem ex ejusmodi diversis regionibus oriundi equi varias, & singulares qualitates contineant, quæ emptores ad sui comparationem movere possunt; hinc si quispiam intendat emere equum qualitatibus Africano Sonipedi proprijs, perfectiones istæ erunt respectu equi, cui, ut ex Africa oriundo à venditore inesse prædicantur, substantiales, & commissus circa illas error in ordine ad hanc emptionem substantialis agnoscitur à Vasquez *in 1. 2. disp. 30. n. 28.* Sanchez *lib. 4. in Decalogum cap. 2. num. 3.* Lugo *disp. 22. de Just. sect. 6. n. 93.* ergo cùm etiam praxator noster intenderit emere hordeum qualitate plastica informatum, ut ex illo coquere cerevisiam posset, error circa hanc qualitatem commissus pro substantiali in ordine ad hanc emptionem habendus erit. Quia intentio mentis hordeum intrinsecè fertur præcipuè, atque unicè in hanc qualitatem plasticam. Potest scilicet, prout optimè advertit Dicastillo *de Just. lib. 2. tract. 3. disp. 1. dub. 6.* aliqua circumstantia pertinere ad substantiam unius contractûs, & habere se tantùm accidentaliter ad alios contractus. Quænam autem circumstantia pertineat ad substantiam cujusdam determinati contractus, ex intentione ipsorum contrahentium desumendum erit.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Num valida fuisset hæc emptio, si venditor hujus vitij ignarus extitisset?

14 SUppoſuimus in hactenus diſputatis venditorem non ignorâſſe, vendibile iſtud hordeum ob corruptam virtutem plaſticam ad coquendam cereviſiam fore inhabilem, conſequenter fraudulenter & dolosè praxatorem ad hanc emptionem in ſe nullam, atque invalidam induxiſſe; & cùm nemini ſua fraus prodeſſe debeat, ad reparationem decepto ex illa emergentium damnorum eſſe obligatum. Potuit autem contingere, ut ipſe venditor neſciverit, nullam virtutem ſeminalem ſuo hordeo ineſſe, & hinc bona fide cum praxatore contraxerit, eſſétne etiam in hoc caſu contractus nullus? ad quod

15 Dico, etiam talem bona fide venditoris celebratam venditionem futuram irritam, & nullam: ita tenent Sotus, Valentia: Dicaſtillo *tract. 3. de contract. in genere dub. 6.* Prob. etiam in iſtis circumſtantijs circa ſubſtantiam fuit commiſſus error: nec dabatur illa conditio, cui ſuam intentionem emendi alligaverat praxator, fuítque ementis conſenſus involuntarius quoad ſubſtantiam: nec conſenſiſſet in hanc emptionem ullo modo praxator, ſi defectum hujus virtutis ſeminalis agnoviſſet, licèt emptor bona fide proceſſiſſet: ergo non minùs in iſtis, quàm in prioribus circumſtantijs, celebratus contractus foret invalidus.

Conf. etſi bona fide ſcyphum ex auricalcho factum venderem pro aureo; aut phialam vitream pro chryſtallina, ſi tamen emens intendebat emere ſcyphum aureum, & phialam Chryſtallinam, nulla foret emptio, eò quòd error in ſubſtantia fuerit commiſſus: ergo ſi etiam hìc talis ſubſtantialis error, licèt bona fide, commiſſus fuiſſet, ille tamen contractus nullus foret.

Ob. ut diſcernatur, num aliquid ſit de ſubſtantia contractûs, vel non, conſideranda eſt materia venditionis non ſecundum ſe, ſed quatenus utilis ille eſt in ordine ad communem uſum, ad quem ſolet illa emi: cùm ergo hordeum ſit utile ad alios quoque fines v. g. pinſendum panem, paſcendos illo anſeres, gallinas, hæc aptitudo erit de ſubſtantia frumenti: cùm

cùm ergo circa hanc nulla deceptio intervenerit, erit valida venditio, non obstante, quòd desit habilitas ad coquendam cerevisiam. ℟. quòd in Regionibus nostris, in quibus coquendæ cerevisiæ praxis in usu est, hordeum vel maximè ordinari soleat, præsertim à praxatoribus, ad coctionem cerevisiæ: ergo, licèt cæteri adducti fines etiam intenderentur ab ementibus hordeum, erit tamen utilitas, & aptitudo hordei ad cerevisiam coquendam ex principalioribus, quæ intenduntur, qualitatibus, si hordeum in magna quantitate & à praxatore fuerit emptum. ergo si circa hoc deceptio intervenerat, fuerat ista circa substantiam.

17 Urgeb. ex hoc tantùm sequi, quòd hordeum hoc fuerit minus utile; non autem, quòd omnino fuerit inutile praxatori, jam enim eidem proderat ad pinsendum panem, pascendos anseres &c. ad valorem autem venditionis sufficit, quòd res vendita aliquibus, licèt non omnibus finibus, ad quos per se est habilis, deserviat: ergo &c. ℟. dist. sufficit aptitudo ad aliquos fines, nisi specialiter sit intentus à vendente finis, ad quem per se ordinatur, hîc & nunc autem est per accidens inutilis conc. si etiam iste sit specialiter intentus, & res ad hunc sit inutils, negatur.

18 Dico 2. Licèt bona fide venditoris celebratus ejusmodi contractus foret irritus, ad nulla tamen damna, quæ ex illo forsitan ementi evenerunt, obligari distractor posset. Ratio est, quia hæc damna eidem ob ignorantiam fuissent involuntaria: ergo satisfactum fuisset emptori, si eidem pretium à venditore pro reddito hordeo fuisset redditum.

19 Dices: etiam in priore casu in bona fide venditor fuerat, quia non positivè mendacijs, fraudibus, aut negando vitium occultum, induxerat emptorem, sed tantùm non manifestavit, & quidem ideo forsitan, quia non fuerat interogatus, ocultum vitium: ergo fuerat in bona fide; quia non ultrò manifestare vitium mercis cum suo detrimento venditor tenetur. ℟. neg. ant. licèt enim positiva actione non induxerit, deceperat tamen illum suo silentio, optimè gnarus emptorem hac emptione à se damnificandum, eò quòd hordeum inutile sit ad finem, ad quem comuniter in his regionibus ordinari solet, & ab hoc emptore etiam actu applicandum erat.

20 Dices 2. Emptor nullam mentionem exteriùs fecerat, quòd suam intentionem alliget huic qualitati, & virtuti plasticæ: ergo defectus hujus qualitatis non obfuit. probatur conseq. contractus debent fieri modo humano, & nostra interior intentio signo quodam externo alteri manifestari, prout constat in matrimonio. ℟. dist,

dist. ant. nullam mentionem verbis fecit, ita tamen, ut omnibus circumstantijs consideratis hæc intentio clarissimè potuerit colligi, concedo: ita ut hæc abfuerint: nego, ex eo, quòd praxator emerit tantam quantitatem in loco, ubi hordeum ferme unicè adhibetur ad conficiendam cerevisiam, sufficienter constabat hæc intentio venditori, ita ut de hac dubitare prudenter nequiverit. Denique huc quadrat, quod De la Croix *lib. 3. part. 2. de contractibus* habet: scilicet in dubio præsumendum esse intentionem ementis ex communi usu aliorum hominum: atqui communis usus praxatorum aliorum est emere magnam quantitatem hordei ad coquendam cerevisiam ergo &c.

CASUS XVI.

De locato telonio.

TElonarius Principis telonium cum omnibus eidem à Principe annexis juribus; e. g. exercendi opificia lanionis, pistoris, vendendi carnes, panes &c. alteri, Titio scilicet, locavit cum consensu principis erectóque desuper legitimo instrumento. Subinde Titius in gratiam aliorum pistorum à consilio aulico Principis prohibetur, ne jure suo coquendi panes utatur, magno suo damno.

Q. 1. An & qualiter validè revocetur concessum semel alicui privilegium.

Q. 2. Pro quali, oneroso, vel gratioso, hoc privilegium pinsendi panes sit habendum? & ex qua causa revocari possit?

Q. 3. An Titius, ut reparet hoc damnum occulta compensatione ex telonio possit uti?

SY.

SYNOPSIS.

1. *Explicatur natura privilegij.*
2. *Aliquæ ſpecies privilegiorum enumerantur.*
3. *Ex privilegijs aliqua conferunt ſolùm poteſtatem ad aliquem uſum, alia verò jus aliquod in privilegiatum.*
4. *Privilegium varijs modis amitti poteſt.*

§. I.

Reſolvitur primum Quæſitum.

An & quomodo validè revocetur conceſſum ſemel alicui privilegium?

5. *Ceſſat per legitimam revocationem ſuperioris &c.*
6. *Privilegium oneroſum ſubdito etiam conceſſum, non poteſt ſine juſta cauſa revocari.*
7. *Quæ eſt ſola utilitas publica, & bonum commune.*
8. *Privilegium remuneratorium ex juſtitia debitum coincidit cum oneroſo.*
9. *Ex gratitudine remuneratorium, ſi jus quoddam privilegiato contulerit, ob ſolum bonum publicum & communem utilitatem eſt revocabile.*
10. *Idem de privilegio, donatione conceſſum teneri debet.*
11. *Ablatum oneroſum privilegium, etiam ex juſta cauſa, eſt à Principe compenſandum.*
12. *Privilegia merè gratioſa auferuntur validè ſine urgente cauſa.*
13. *Privilegium non ſubdito conceſſum, ſine juſta cauſa eſt irrevocabile.*
14. *Quæ ſcilicet ad revocandam donationem ſufficiat.*
15. *Eritque exiſtentia talis cauſæ ipſi principi probanda.*

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Pro quali, oneroso, vel gratioso hoc privilegium sit habendum? & ex qua causa sit revocabile?

16. *In hoc casu duplex contractus elocationis celebratus fuit.*
17. *Quorum instrumenta in suo tenore considerandæ.*
18. *Uti & quantitas pecuniæ loco salarij à principe solvendæ.*
19. *Aut alijs antecessoribus telonarijs persolutæ.*
20. *Licèt autem antecessoribus minor merces, quàm moderno telonario assignata fuerit, excessu tamen adhuc habere potest rationem salarij.*
21. *Quænam causa revocando huic privilegio sit sufficiens, examinatur.*
22. *Quid de secundo instrumento in gratiam Titij à principe erecto sit tenendum.*

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An Titius, ut damnum ex hac revocatione sibi illatum reparet, occulta compensatione è telonio uti possit.

23. *Princeps telonium potuit locâsse Telonario per modum admodiationis, aut tanquam officium.*
24. *Etsi injustè Telonarius hoc jure spoliatus fuisset, ante compensationem occultam monendus tamen de tota re Serenissimus erit.*
25. *Erit tamen ista in certis circumstantijs licita Telonario.*
26. *Ipse autem Titius ex pecunijs Principis compensationem facere non poterit.*
27. *Impedito usu rei locatæ conductor à solvenda pensione liberatur.*
28. *Damnum hoc Titio ex bonis Telonarij locatoris reparandum.*
29. *Cùm obligari nequeat, ut ipse Principem super hoc conveniat.*
30. *In aliquo tamen casu ex telonio ipsius Principis damnum reparare poterit.*

Scien-

1 SCiendum primò, affirmante Palao in *tract. 3. disp. 4. pu. 1. n. 1.* à Doctoribus communiter definiri privilegium, quod sit privata lex aliquod speciale beneficium concedens. licèt autem lex esse dicatur, impropriè tamen hoc nomen eidem competit, tum quia non semper instar legis est perpetuum tum, quia privilegiato nullam necessitatem utendi concesso imponit, vocari itaque lex solet, quia cæteros à privilegiato diversos obligat, ut privilegiatum ab usu illius non impediant.

2 Sciendum secundò: Etsi diversæ species privilegiorum reperiantur, pro solutione tamen nostri casûs plurimùm conferre notitiam privilegij gratiosi, & remuneratorij: conventionalis, & puri. Remuneratorium est, quod alicui conceditur in præmium & satisfactionem meritorum ejus vel suorum parentum &c. gratiosum erit ex opposito, in quo ad talia merita nullus fuit respectus habitus, eò quòd ex libera Principis voluntate fuerit concessum, ut autem remuneratorium dicatur, necesse est, ut merita respiciantur tanquam merita & pretium, pro quibus, & in quorum satisfactionem & præmium privilegium concedatur.

Conventionale autem privilegium dicimus, quod ex conventione & pacto conceditur purum ex opposito, & non conventionale, quod tali conventione ac pacto destitutum est. quia autem nomine privilegij venit facultas alicui concessa extra id, quod à jure habet, quæ de se gratia est, ideo inferimus, etiam talem conventionem atque pactum gaudere nomine privilegij.

3 Sciendum tertiò aliud privilegium consistere solùm in potestate, ac delegata licentia ad aliquem usum contra vel præter legem: aliud verò transferre jus aliquod in privilegiatum. item potuit hoc privilegium alicui extraneo, vel suo subdito, à principe concessum fuisse.

4 Licèt autem diversis modis concessum semel privilegium amitti possit, ut si tempus, ad quod concessum erat, finitum fuerit: item quando privilegio inhærens conditio defuerit, vel si causa finalis, ob quam fuerat concessum, cessaverit, si eidem ipse privilegiatus renuntiaverit: morte privilegiati, vel concedentis privilegium, ad præsentis tamen casûs resolutionem unice servit notitia modi quo per revocationem finiatur privilegium.

§. I.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum?

An & quando validè revocetur concessum semel alicui privilegium?

5 Dico 1. Privilegium cessat per legitimam revocationem expressam vel tacitam concedentis, successoris, vel superioris ipsius concedentis, privilegiatio tamen intimatam. ita habetur *in c. 1. de const. in 6. c. 1. de Reg. Juris.* Ratio est, privilegium totum quantum dependet à voluntate concedentis: ergo si hæc fuerit mutata, & cessaverit, etiam privilegium cessavit.

6 Dico 2, Si privilegium etiam subditio concessum per contractum onerosum fuerit, non poterit illud sine justa causa per superiorem revocari, ita Suarez *l. 8. de LL. c. 37. n. 5.* Sanchez *l. 8. Disp. 33. n. 2. & 3.* Laym. *lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 25.* Bonac. Pontius, Palao. Prob. Princeps tenetur servare pacta cum subditis inita: ergo &c. Consequentia constat: privilegium etenim onerosum dicimus, quod sub contractu quodam oneroso concessum alteri fuit. Prob. itaque ant. ex tali pacto. Exoritur in utroque contrahentium obligatio justitiæ: Prob. 2. Si talis contractus onerosus contulit privilegium, tunc in privilegiatum mediante hujus acceptatione translatum fuit aliquod jus: atqui nullus sine justa causa debet spoliari jure jam acquisito: ergo &c.

7 Dico 3. Causa sufficiens ad validam revocationem onerosi, & per contractum concessi privilegii, non potest esse alia, nisi communis boni, & publicæ utilitatis. Ita sentiunt Matienz, Gregorius Lopez, Sanchez *lib. 8. disp. 33. n. 2. & 3.* Suarez *lib. 8. c. 37. n. 5.* Salas *disp. 17. sect. 14. n. 70.* Bonac. *disp. 1. q. 3. p. 8. §. 3. n. 2.* Palao *disp. 4. pu. 21. de LL. §. 2. n. 1.* Prob. solum bonum commune, eò quòd præponendum sit privato, præbet Principi jus spoliandi subditos suo jure acquisito: ergo &c.

8 Dico 4. Privilegium remuneratorium ex justitia debitum, subdito concessum, & ab eo acceptatum concidit cum oneroso, hinc idem de eo, quod de onerolo tenendum.

9 Dico 5. Privilegium ex gratitudine solùm remuneratorium, si jus quoddam in acceptantem privilegiatum transtulerit, non potest

test legitimè aufferri, nisi ob causam boni communis, & publicæ utilitatis. Ratio jam fuit insinuata, quia nullus privatus potest jure suo aquisito ex alia quadam ratione spoliari. Ita nobiscum sentiunt Suarez *n. 6.* Sanchez *n. 4.* Laym. *n. 25. locis citatis.*

10 Dico 6. Privilegium per contractum gratuitum, & merè lucrativum, seu donationem concessum, eodem modo, & ob easdem solas causas est revocabile, quo & ex quibus causis diximus revocabile duntaxat esse onerosum, ratio est eadem, quia jus aliquod privilegiato fuit acquisitum, quo sine exigentia boni communis spoliandus nemo est.

11 Dico 7. Si Princeps ex legitima causa privilegium ex oneroso contractu concessum privilegiato abstulerit, debitam compensationem privato privilegiato debebit facere, si fieri hæc commodè poterit. Quoad revocationem privilegij onerosi omnes consentiunt: idem ab aliquibus asseritur de revocatione privilegij per donationem aquisiti, aut ex gratitudine remuneratorij, quia uterque privatur jure suo, quod videtur eidem compensandum: Dein privilegium ex gratitudine remuneratorium acceptans cedit largienti Principi sua merita: ergo, quando eidem auffertur privilegium, pro cessione meritorum collatum, aliâ viâ erit illa cessio meritorum compensanda.

Dico 8. Privilegia merè gratiosa, & nullius respectu meriti concessa, etiam sine urgente causa validè aufferri poterunt. Ita communis cum Laym. *lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 25.* Prob. jus ex tali privilegio aquisitum non transit in dominium subditi privilegiati: ergo semper à voluntate Principis pendet, quia autem sine urgente causa revocare concessum semel alteri favorem inconstantiam, nec non levitatem quandam animi arguit: insuper beneficium deberet esse perpetuum, hinc sine omni justa causa illud revocare, veniale peccatum habebitur. 12

Dico 9. Privilegium non subdito concessum, nisi ex justa causa, revocari non potest; ita Abbas *in cap. novit 13. de judic. n. 23.* Laym. *lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 24.* Palao *tract. 3. disp. 4. p. 21. §. 1. n. 2.* Probatur: tale privilegium per acceptationem transijt in pactum, seu contractum: ergo per illud non subditus aquisivit jus quoddam propriè dictum: atqui jure aquisito nemo non subditus est à Principe privandus. ergo &c. 13

Dico 10. Causam justam talis revocationis illam solam futuram, quæ requiritur ad hoc, ut perfecta donatio revocari possit. Ita cum communi Antonius Gabriel, Matienz, Palao *n. 4. §. 1. pu. 21. disp. 4. de LL.* Prob. alterius regni subditus non potest à Rege non suo privari suis bonis; ergo neque 14

que privilegio, quòd jus tali non subdito contulit: consequenter si non adsit ratio, irritam, vel revocabilem donationem reddens, non poterit tale privilegium non subdito aufferri.

25 Dico II. Ut Princeps privilegium absque legitima causa irrevocabile, actu validè revocet, probandum eidem erit, hanc legitimam causam actu subsistere. Ita Bartolus *in legem: si forte per illum textum ff. de castrensi peculio: & in leg. si donatione Cod. de collationib.* Ripa *lib. 2. Resp. tit. de rescript. cap. 19. n. 19.* Palao *n. 5.* Prob. si hæc probatio non foret necessaria, facillimè posset Princeps alios spoliare jure suo proprio: Prob. 2. quandocunque aliquid ex quadam causa est permissum, & hac deficiente prohibitum, probanda erit, & non solùm alleganda ejusmodi causæ existentia: ergo &c.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Pro quali, oneroso vel gratioso, habendum sit hoc privilegium Telonarium, & ex qua causa illud revocari possit?

26 CUm in hoc casu duplex elocatio celebrata fuerit, una, quam fecerat Princeps suo Telonario, altera, quam Telonarius celebravit cum Titio tanquam suo substituto; hinc potuit contingere, ut instrumento super elocatione Telonario facta jam fuerit insertum privilegium coquendi panes, aut, ut tantum adjectum fuerit instrumento, quod super posteriore elocatione cum Titio erectum ex consensu Principis fuerat: examinamus itaque primò, num rationem privilegij onerosi habeat, si primæ locationi à Principe factæ Telonario fuerit insertum.

Hoc itaque instrumentum ante omnia inspiciendum erit, & tenor verborum expendendus, num scilicet hoc privilegium expressè ut merus, & gratuitus favor reliquo congruo salario superaddatur; vel utrum tanquam pars quædam mercedem adæquatam constituat. Hoc posterius præsumendum, si certa merces pecuniaria, & facultas coquendi panem, ut aliquod totum per modum unius exprimantur tanquam promissa pro administratione Telonij merces.

Eritque hoc eò magis præsumendum, quo minor est pecu-

nia,

nia, quæ loco salarij decreta Telonario fuerat; videtur enim tunc defectus pecuniæ his duabus facultatibus vendendi scilicet carnes & panes compensatus, consequenter hoc privilegium sub contractu oneroso concessum.

19 Idem judicium ferendum, si antecessores Telonarij habuerint assignatam pro suo labore majorem pecuniæ summam, sine his tamen duabus facultatibus; hæ enim præsenti Telonario concessæ supplent defectum concessi prioribus in pecunijs assignati salarij.

20 Quodsi antecessoribus Telonarijs pro salario æqualis summa pecuniæ sine his duobus privilegijs assignata fuerit, necdum tamen clarè infertur, privilegia ista fuisse merè gratuita, & liberaliter concessa, nisi expressis verbis fuerit indicatum, eadem instar puri gratuiti, ac liberalis favoris Telonario concedi: ratio est, quòd in talibus instrumentis communiter, & ordinariè exprimantur solummodo illa, quæ rationem veræ mercedis habent, & vi contractûs cum officiali initi huic debentur. Quod confirmatur: assignata pecuniæ taxa Telonario à Principe persolvenda, non habet rationem alicujus privilegij merè liberalis & gratuiti: ergo neque facultas coquendi panem: prob. cons. omnia eodem modo exprimuntur in Principis instrumento, & non est ratio, quare hæc facultas potiùs habeat rationem privilegij liberalis, quàm assignata taxa pecuniæ: ergo de utroque erit æqualiter discurrendum. Aliàs possem æquo jure dicere, pecuniam taxatam habere rationem privilegij liberalis, facultatem autem coquendi panem rationem privilegij onerosi.

Dein ob majora merita, vel meliorem capacitatem, vel etiam ex mera liberalitate potuit Princeps respectu hujus Telonarij auxisse salarium, & augmentum aliquod per modum doni, aut remunerationis debitæ adjecisse: item cùm salaria patiantur latitudinem, hinc salarium minus antecessoribus assignatum potuit esse infimum, moderno autem Telonario constitutum haberi pro summo: ergo ex eo, quod antecessores Telonarij tantùm salarium non habuerint, minimè infertur, prædictas facultates esse merè gratuitas ac liberales.

Denique sicuti leges, quando in illis suam mentem clariùs explicare Legislator potuisset, clarè tamen non explicavit; contra Legislatorem sunt explicandæ, ita etiam decretum, vel instrumentum determinans salarium officiali ex contractu, erit contra Principem explicandum, si hic clariùs potuisset, non tamen explicavit suam circa illud mentem: præsertim, si nec Principi, nec communitati præjudicet.

Ex his satisfacimus alteri §. hujus Quæsito: quænam sit causa 21

ad hujus revocationem sufficiens. Si enim appareat hoc privilegium esse purè gratuitum, ac merè liberale, juxta dicta etiam sine causa validè revocari potuit, & quidem etiam licitè quia videtur præjudicare pistoribus.

Si autem fuerit onerosum, & ex contractu curandi telonium, non adfuit sufficiens causa spoliandi hoc privilegio telonarium. hoc enim supposito verum aliquod jus coquendi panes accepit telonarius, quo juxta dicta ordinariè subditus spoliari nequit, nisi bonum communitatis & publica utilitas id exigant, pro qua non habendum est majus lucrum pistorum: hoc enim jam antea fuerat perspectum principi. Dein principis parùm interest, utrum ditiores aliquantulùm sint pistores, vel officiales sui: ergo si istis prævisis tamen facultatem ut partem mercedis concesserat, ob hæc non poterit telonario concessum sub hoc onere aufferri privilegium pinsendi panes.

Erit tamen in hoc casu bene perpendendum pactum istud, vi cujus utraque facultas cum certa pecuniæ summa telonario à principe pro labore constituta est, cum illo tanquam cum suo famulo fuisse initum, atque in locum mercedis prædicta etiam privilegia cum certis pecunijs eidem assignata, & constituta fuisse. ex quo inferimus, non majus atque firmius jus ad hæc illi competere, quàm cæteris famulis ad sibi constitutam mercedem: in quantum itaque, & ex quibus causis Domini mutare ac minuere constitutum semel salarium possunt, in tantum, & ex ijsdem causis etiam princeps constitutam semel telonario mercedem diminuere poterit. certum tamen est omnibus, cùm salarium latitudinem patiatur, ex omnibus infimum persolvendum famulis esse.

Prudentum igitur judicio perpensis omnibus circumstantijs erit statuendum, num in hoc jus telonarij læsum fuerit. longè certius autem hæc revocatio injusta, invalida, & hinc compensanda à Principe erit, si administratio telonij pro certa pensione annua Principi solvenda, telonario per modum admodiationis concessa fuerit, quia tunc verum pactum diversum ab eo, quod cum famulis contrahimus, fuit initum principem non minùs, quam telonarium obligans.

Quæ modo de instrumento, et quod Princeps super collatione hujus telonij facta telonario confici curaverat, disputavimus, proportionaliter observanda erunt circa instrumentum, quod ex ejusdem principis consensu erectum postea fuit, quando telonarius administrationem telonij elocaverat Titio, si enim istud cum priore instrumento correspondet, suam assignationem mercedis debitæ de novo confirmare Princeps voluit,

Sed

Sed quid tenendum, si facultates istæ non fuerint expressæ in instrumento principali concedente officium telonij telonario, postea verò in locationis hujus instrumento primùm novo conductori Titio concessæ? Repono, eadem principia circa hoc posterius observanda, quæ circa prius & fundamentale diximus considerandæ. Videndum scilicet, an iste admodiator telonarius facultatem coquendi panem (quod est probabilissimum) concesserit tanquam partem totius elocati, & ratione hujus majorem pensionem à Titio conductore suo expetiverit, quo supposito non erit merus favor, sed jus quoddam pretio comparatum. Neque Titio substituto laborandum erit, ut dispiciat, num validè aut invalidè coctio panis eidem sit inhibita: cùm enim à telonario non autem à Principe locationem Telonij acceperit, ad telonarium habet suum regressum.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An Titius, ut damnum ex hac revocatione sibi illatum reparet, occulta compensatione ex Telonio uti possit?

23 PRinceps potuit telonium elocâsse suo telonario hac ratione, ut omnes pecuniæ vi telonarij collectæ ipsi principi sint reddendæ; pro labore autem telonario assignata sit certa quantitas pecuniæ una cum prædictis facultatibus. Secundò aliter, ut scilicet omnes reditus è telonio colligendi sint ipsius telonarij; hic autem certam quantitatem pecuniæ annuatim solvere cogatur Sereniſſimo, qui contractus vulgò vocatur admodiatio. quia igitur ex dictis supponimus, etiam telonario privilegium coquendi panes fuisse concessum, movetur prima quæstio an hic posset tacita compensatione uti, si per seipsum administraret telonium?

Ad hoc reponimus, etsi privilegium hoc onerosum & sine suf- 24
ficiente causa ablatum supponamus, nequaquam tamen statim occultæ compensationi locum fore ex pecunijs ad principem spectantibus faciendæ. nam inter plures, quæ ad hujus licentiam requiruntur conditiones non minima esse solet, ut nullo alio modo debitum à debitore obtineri nequeat, nisi cum magna difficu lta-

te, expensis, litibus, molestijs, gratiæ ac necessariæ amicitiæ jactura. Nemo enim potest propria auctoritate spoliare debitorem possessorem suis rebus: ergo antea debebunt adhiberi alia media: & in hoc casu admonendus antea vel maximè videtur Princeps de sublata facultate coquendi panes per suos consiliarios aulicos, qui forsitan ignaro & positivè invito Principe corrupti à pistoribus hæc omnia attentârunt.

25 Si autem tales sint circumstantiæ, ut Princeps conveniri nequeat, vel conventus compensare nolit ablationem hujus partialis salarij, nostro judicio compensatio è Principis pecunijs fieri poterit, si ex inspectione instrumenti primi constet hoc privilegium fuisse onerosum, & mediante admodiatione concessum. Quòd si autem pactum, cum famulis iniri solitum, fuerit, & injustè diminutum salarium fuisse certò constet, eandem compensationem in talibus circumstantijs licitam judicamus.

26 Si à Telonario ad Titium conductorem subslitutum transeamus, cui sub certa pensione annua Telonium subelocatum supponimus, judicamus eundem nequaquam posse compensationem facere ex pecunijs Principis. Ratio est, Titius non contraxit, vel conduxit Telonium à Principe, sed immediatè contraxit cum Telonario, licèt cum consensu Principis: ergo si Titius ex locatione læditur, Telonarius, non autem Princeps, immediatè debet illatum damnum conductori reparare, atqui læditur, quod probatur.

In contractu locationis, si quod- 27
dam impedimentum ex parte rei locatæ incidat, quo minùs conductor hac uti ac frui possit, prout in nostro casu ex parte locatæ facultatis coquendi panes evenit, liberatur conductor à solvenda pensione vel totaliter, si totalis rei conductæ usus impediatur: vel pro rata diminuti usûs, prout defendunt. Navarrus *c. 17. n. 187.* Gomez *n. 3.* Molina *Disp. 495.* Lessius *cap. 24. dub. 2.* Covarruv. *in pract. qq. quæst. 30. n. 3.* Laym. *de pactis cap. 22. n. 3.* atqui in nostro casu jus coquendi panes fuit sub certo pretio elocatum Titio & ex prohibitione consiliariorum impeditum, vel omnino sublatum: ergo à pensionis taxa huic juri correspondente liberatus erit Titius, consequenter læditur, si totam pensionem adhuc debeat Telonario persolvere. Conf. *si mihi* aliquis tria jugera agri elocâsset sub certo pretio annuo, illorum autem unum à præterfluente fluvio fuisset abreptum, non possem obligari, ut persolverem totum pretium, de quo antea pro conductione trium jugerum convenerâmus.

Hinc clarum est, compensatio- 28
nem damni Titio modò evenientis, à Telonario petendam, & ex illius bonis, si aliter obtineri à Ti-

à Titio nequeat, occultè compensandam esse, itaque si ponamus pecunias è Telonio collectas spectare ad dominium Telonarij, ex hoc utique compensationem occultam sibi facere poterit, si circumstantiæ, ad licentiam hujus communiter requisitæ, dentur.

29 Neque judicamus, Titium conductorem substitutum obligatum esse, ut ipse hanc suam causam cum Principe immediatè agat, eò quòd, prout diximus, non cum isto, sed cum Telonario contraxerat, quod confirmatur. si res aliena bona fide elocata, postea evicta fuerit, debet locator petere à Domino rei, ut conductorem eadem re sub eadem pensione uti ac frui permittat: si iste nolit, locator conductori aliam rem non minùs utilem & commodam præstare debebit, si possit, vel de pensione cogetur aliquid remittere: ergo cùm simile quid in nostro casu eveniat, idem etiam hîc erit observandum ant. constat *ex lege si quis domum. juncta lege: si fundus ff. locati conducti & defenditur à* Laym. *lib. 3. de just. tract. 4. cap. 22. n. 3.*

Unum adhuc subjungimus, pos- 30
se scilicet Titium etiam ex pecunijs Telonij ad Principem spectantibus sibi occultam compensationem, & quidem immediatè facere, casu quo Princeps potestatem coquendi panes etiam suo Telonario sub determinata pensione annua per admodiationem concesserit & postea etiam admonitus de ablatione hujus onerosi privilegij defectum hujus nulla alia ratione compensare nollet, neque de promissa pensione aliquid remittere: in hoc enim casu ipse Telonarius posset sibi compensationem facere ex pecunijs Principis. ergo etiam suo substituto Titio potest dare facultatem, ut loco, & nomine suo hanc compensationem faciat, quod enim quis potest per se, etiam potest per alium, tanquam per suum instrumentum.

CASUS XVII.

De obligationibus locatoris & conductoris.

FAchinæus locat ædium suarum partem superiorem Prænobili cuidam Domino, infimam verò contignationem perquàm honestæ cuidam virgini: verum quia' prænobilis Domini familia ob contractum Matrimonium aliquantulùm aucta fuit, etiam infimam contignationem conducere Prænobilis Dominus decrevit. Fachinæus de voluntate hac certior factus quamprimum imperat virgini, ut etiam ante terminum finitæ locationis tertio statim die ex illis ædibus emigret. Idem Fachinæus aliam domum elocaverat Sempronio: hæc cùm incendio in vicinis ædibus exorto absumpta fuisset, à conductore Sempronio reparationem damni ex combustione suæ domus accepti exposcit, eò quòd Sempronius ultra terminum finitæ locationis contra locatoris Fachinæi voluntatem in illa domo permanserit.

Q. 1. Utrum Fachinæus virginem justè ante finitum locationis terminum è domo expulerit?

Q. 2. Utrum damnum pati debeat, si res apud conductorem perierit?

Q. 3. Vel res casu fortuito apud hunc perierit post culpabilem illius moram?

Q. 4. Quàm culpabilis hæc mora debeat esse?

Q. 5. Ad quid Sempronius in nostro casu sit obligandus?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum virginem justè ante finitum locationis terminum è domo expulerit Fachinæus?

1. *Definitio locationis explicatur*
2. *Durante tempore conductionis non potest suo arbitrio conductorem locator expellere.*
3. *Si memorata virgo constituto tempore debitam pensionem non persolverit, neque in promptu satisfactionem obtulerit, juste expelli potuit.*
4. *Vel talis causa supervenerit, quæ & tempore contractûs prævideri non potuit, & simul ædes conductas feciſſet locatori ad suos proprios usus necessarias.*
5. *Ipsa tamen indigentia alterius præmobilis conductoris non erat sufficiens.*
6. *Suffeciſſet tamen necessaria ruinosæ domûs illius refectio.*
7. *Aut abusus.*
8. *Sine his causis expulsæ damnum, si hæc quoddam exinde passa fuit, debebit compensare.*
9. *Quid de pensionibus usque ad diem expulsionis persolvendis sit dicendum?*

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Si res perijt apud conductorem, uter damnum præstare debeat?

10. *Variis modis res potuit perire.*
11. *Damnum rei apud conductorem casu destructæ à solo locatore luendum.*
12. *Si res conducta dolo, vel culpa tum lata tum levi conductoris destructa fuerit, damnum ab isto præstandum erit.*
13. *Et quidem ante sententiam judicis, si eidem culpa fuerit voluntaria.*

24. Quid sub nomine levis culpæ hîc intelligatur, innuitur.
25. Et obligatio hæc in conscientia probatur rationibus.
26. Excusat tamen inadvertentia, & naturalis oblivio.
27. Nisi conductor expresè ad talem casum reparandum se obligaverit.
28. Talis obligatio procedit ex sola culpa respectu locationis gravi.
29. Reparatio ejusmodi dati damni non est merè pœnalis.
20. Ex culpa in sensu nostro levi oriri potest obligatio gravis.
21. In quo sensu conductor ad ordinariam duntaxat curam obligetur.
22. Neque erunt leges civiles de bonis agentes superfluæ.
23. Non potest conductor obligari ex culpa levi formaliter tali.
24. Rationibus probatur L. L. loqui de culpa extra locationem levi.
25. Nil probatur argumento à depositarij culpa desumpto.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Quid si res casu fortuito apud conductorem, post hujus culpabilem in restituendo moram perierit?

26. In mora restituendi res locatas conductores subinde sunt culpabiles.
27. Casus fortuitus describitur.
28. Sine mora culpabili conductoris si ex hujus levissima culpa res perierit, non erit ista compensanda.
29. Idem dicendum, quando post moram inculpabilem casu fortuito perierit.
30. Nisi conductor antea ad casum fortuitum præstandum se obligaverit.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

Quàm culpabilis hæc mora debeat esse?

31. Si res ex mora culpabili non restituta, casu fortuito postea perierit, erit illa à conductore compensanda.
32. Nisi eadem infortunio etiam apud locatorem periisset.
33. Si de hoc sit dubium, nihilominus eundem obligatum judicamus.

34. Tempus restitutioni rei locatæ constitutum debet sumi moraliter.

35. Nec videtur sine culpa retentio esse, si conductor de facienda restitutione à locatore expressè fuerit monitus.

36. Aut in ipso contractu de hac quantocius facienda conventum fuerit.

37. Aut conductor adverterit, moram omnem sibi illicitam esse.

38. Secus sentiendum, si hujus fuerit immemor.

39. Oportet autem, ut culpa in mora restitutionis commissa mortalis sit.

40. Nisi conductor aliter se obligaverit.

41. Neque obligationem in conductore cognoscimus, si post moram venialiter culpabilem ex illius levi, aut levissima culpa conductum perierit.

§ V.

Resolvitur quintum Quæsitum?

De Obligatione Sempronij in nostro casu?

42. Quando, & quomodo Sempronius obligetur ad præstandum combustarum ædium damnum, ex dictis concluditur.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum virginem justè ante finitum locationis terminum è domo expulerit Fachinæus?

1 SUppono primo locationem esse contractum, quo quis rem aliquam alteri utendam vel fruendam concedit certo pretio seu mercede constitutâ. quia concedit alteri rem, locator dicitur, qui autem recipit, conductor. sub nomine rei veniunt, & res mobiles, ut sunt equus, homo: vel etiam immobiles v. g. agri: prata, & juxta Lugonem *de Just. disp. 29. sect. 1. n. 2.* etiam jura adreditus, ut beneficia, commendæ, vectigalia & his similia.

2 Dicimus his suppositis 1. Non posse locatorem suo arbitrio, durante tempore conductionis conductorem expellere. Ita definitur *in lege ne cui Cod. de locato & lege ade Cod. eodem:* Ratio est,

quòd quilibet obligetur stare contractu cum alijs inito : ergo cùm in hoc uterque consenserit tum ex dispositione Jurium, tum ex consuetudine locorum, quibus conformantur contractus, erunt istæ conditiones observandæ.

3 Dico 2. Si memorata Virgo constituto tempore debitam pensionem non persolverit, neque in promptu satisfactionem obtulerit, justè potuit expelli, ita lugo *disp. 29. de Just. sect. 1. n. 12.* Laym. *lib. 3. de Just. tract. 4. c. 22. n. 9.* prob. concl. ex cit. *lege. æde cod. de locato, L. quæro. §. inter locatorem leg. cùm domini ff. locati, & cap. propter sterilitatem §. verum. in fine de locat.* Diximus autem hoc esse licitum, *si constituto tempore non persolverit.* Hinc quæritur ? quale & quantum hoc tempus debeat esse Lessius *cap. 24 dub. 7. n. 32. & 33.* monet, habendam esse rationem temporis, ad quod locatio facta, quod si ultra biennium sit locata, ultra biennium solutionem omissam fuisse, oportebit, ut conductor expelli possit. colligitur hoc *ex lege æde 3. cod. de locato. item lege. quæro 54. §. inter locatorem ff. locati.* cùm igitur jura de locatione ad breviùs biennio tempus facta nihil constituant, hæc dilatio biennalis non videtur esse necessaria, ut inquilinus expellatur. Hinc Doctores apud Molinam *disp. 499.* citati asserunt, talem conductorem continuo expelli posse, si constituto tempore pensionem non solverit.

Dico 3. Si talis causa superveniisset, quæ & tempore contractus prævideri non potuit, & simul ædes inhabitatas fecisset locatori necessarias ad suos proprios usus, licitè hic expulisset inquilinam. ita communis, & fundatur in *lege æde Cod. de locato & dicto cap. propter sterili. §. verum.* 4

Dices, necessitas conductoris perillustris exigit illam partem ædium : ergo habetur justa causa expellendi illam inquilinam. &. neg. cons. jura etenim hoc privilegium soli personæ locanti, non autem alijs attribuisse leguntur, censentur autem contractus initi juxta legum dispositionem, & consuetudinem locorum. 5

Dico 4. Si ædes, vel habitatio à Virgine conductæ refectione indiguissent, quæ illa ibi manente non potuisset fieri, expelli ædibus potuisset : ita habetur in citatis superiùs juribus, quæ tamen innuunt peracta refectione expulsam esse reassumendam. 6

Dico 5. Si Virgo inquilina ædibus conductis abusa fuisset, in quantum eas damnificâsset, aut ijsdem contra bonos mores fuisset usa cum scandalo viciniæ, pariter expelli ante finitum locationis terminum potuisset. Probatio habetur ex ijsdem Juribus, & communi consensu Doctorum. 7

Dico 6. Cùm non apparuerit aliqua causa ex quatuor allatis sufficiens 8

ficiens ad expulsionem hujus inquilinæ, ideo locator est obligatus ad reparandum damnum, si aliquod exinde inquilina injustè expulsa patiebatur. Ratio est, quia fuit injusta causa hujus damni: ergo ad illud reparandum est obligatus. Confirm. Lessius, & Molina docent, si conductor ob abusum ædium conductarum expellatur ante finitum tempus, & nullus alius, à quo æqualis pensio solvatur, inveniri possit, obligari posse expulsum, ut sequentes pensiones usque ad terminum locationis locatori persolvat: ergo idipsum de locatore in nostro casu respectu injustè expulsi tenendum erit.

9 Dubitari tamen non immeritò posset, an nostra inquilina injustè expulsa vi ad discedendum coacta obligetur ad solvendas pensiones correspondentes tempori, quo ædes usque illuc inhabitaverat? Quod excusetur, inde probari potest: juxta Lugonem *n. 15. disp. 29. sect. 1.* Conductor ad sequentes etiam pensiones post discessum, locatori persolvendas obligatur, si istum ad se expellendum suâ malitiâ compulerit, ergo etiam si ex sua culpa, & sine sufficiente ratione conductorem, locator ante tempus expulit, excusabitur iste à pensionibus ad terminum expulsionis aliàs debitis, ut sit æquale commodum & incommodum utriusque. Quinimo de Lugo *sect. 2. loc. cit. n. 32.* asserit, si domus locata habitari nequeat ob impedimentum ex parte locantis se tenens, hunc & ad remissionem pensionis pro rata temporis, & ad totum interesse intrinsecum esse obligatum conductori: imò etiam ad extrinsecum, quantum scilicet conductor ea occasione lucratus fuisset. Citat pro hac Molinam *disp. 493. n. 7.*

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Si res perijt apud Conductorem, vel deterior reddita est, uter damnum præstare debeat?

10 POtuit res perijsse, vel deterior fuisse reddita, vel casu, & sine culpa conductoris, vel ex hujus culpa, lata, levi, vel levissima. Joannes Valerus cum Paludano, & Diana *2. tomo tract. 6. miscell. resolut. 10. apud* Lugonem *de Justitia disp. 8. sect. 9. n. 126.* tuentur, in contractibus, qui in utilitatem utriusque contrahen-

hentis fiunt, secutum ex casu fortuito damnum, inter utrumque contrahentem dividendum esse, ita, ut in foro conscientiæ dimidiam partem locator, alteram verò conductor solvere teneatur. Contra hos

11 Dico 1. Damnum rei apud conductorem casu destructæ, vel deterioratæ à solo locatore luendum. Ita dè Lugo *cit. disp. 8. n. 126.* Prob. quælibet res perit Domino suo: ergo &c. Prob. 2. si conductor partem talis damni obligaretur ferre in conscientia, tunc vi intentionis, quam in contrahendo habuit: sed ex hac non obligatur. Prob. min. conducens domum valentem centum millia aureorum per annum, nequaquam se obligat ad solutionem hujus dimidiæ summæ, si eo anno domus terræ motu corrueret: ergo &c. Prob. 3. si rem conductam alius amens me non potente impedire destrueret, nemo judicaret, me esse ad illius dimidiatum pretium refundendum obstrictum: ergo &c.

12 Dico 2. Si res conducta dolo, vel culpâ tum lata, tum levi conductoris deteriorata, vel destructa fuerit damnum ab illo præstandum esse, ita Laym. *cap. 22. n. 4. q. 4.* Navarr. Sylv. Angel. & Gabriel, Turrianus, Vasquez *de restit. cap. 2. §. 2. dub. 6.* Molina *tom. 2. disp. 295.* Lugo *disp. 8. sect. 8. n. 99.* Prob. *ex Glossa Instit. de locat. & conduct. & §. creditor Instit. quibus modis re contrah. oblig. lege in rebus commodatis ff. commodati: vel contra leg. contractus ff. de regulis Juris cap. unico de commodato.*

Dico 3. Si res conducta perierit ex culpa levi ipsius conductoris scienter ac voluntariè commissa, ad reparandum datum damnum, etiam ante sententiam judicis probabilius in conscientia erit obligatus. Ita tenent Molina *tract. 2. disp. 295.* Palao *disp. 3. pu. 6. & ex horum testimonio communis DD.* Prob. conductor voluit se saltem tacitè ad hanc diligentiam obligare ex contractu locationis: ergo obligabitur ex conscientia ad taliter datum damnum reparandum. Prob. ant. sub hac conditione locator init locationis contractum, absque illa non inisurus. 13

Advertimus autem sub nomine levis culpæ à nobis intelligi omissionem diligentiæ ordinariè quam quilibet in rebus suis, vel evitandis damnificationibus aliorum extra contractum communiter adhibere consuevit, majoris: non autem omissionem illius diligentiæ, quàm conductores in servandis rebus conductis diligentiores, & accuratiores adhibent; modò enim in conservando equo conducto adhibuerim diligentiam majorem, quam adhiberi solitam circa proprium equum à judice non condemnabor ad reparandam jacturam equi, ex eo, quòd taliter 14

omiserim diligentiam, quàm diligentiores conductores adhibere consuevêre.

15 Hanc autem obligationem in conscientia dari ante sententiam Judicis. Ita probatur: conductor ad hoc se tacitè obligavit: ergo &c. Prob. ant. locatores non elocarent res suas alijs, nisi isti ad reparandum ante sententiam Judicis taliter datum damnum se obligarent: ergo &c. Prob. ant. implorare officium judicis, atque ex hujus sententia primùm aquirere reparationem damni ex omissione diligentiæ à LL. requisitæ est valdè difficile, ac sæpiùs parùm proficuum: ergo &c.

16 Dico 4. Si tamen talis culpa levis, aut omissio diligentiæ vi contractûs debitæ ex inadvertentia quadam, aut oblivione naturali commissa fuerit, probabiliùs ante sententiam Judicis non erit ad illud damnum reparandum locator in conscientia obligatus, nisi hoc expressè in pactum fuerit deductum. Huic conclusioni videntur subscribere Sylvester, Angelus, Navarra, Armilla, Vasquez, Molina *disp. 295.* Lugo *sect. 9. disp. 8. de Just. n. 123.* in quantum asserunt, casum merè fortuitum regulariter non esse reparandum, prob. juxta hos Authores casus merè fortuitus non est reparandus, atqui ex oblivione naturali, & inadvertentia commissus defectus, est casus merè fortuitus; quia non est humanô, & voluntariò modò datus: ergo &c. ant. prob. *ex cap. unico: de commodato §. item 15. Instit. quibus modis re contrahatur obligatio. lege ſi ut certò §. nunc videndum: lege in rebus: princip ff. commodati.* Prob. 2. conductores videntur ordinariè ad hunc casum se non obligâsse locatori: ergo non tenentur: cons. constat; ex natura enim rei præscindendo à contractu ad illud reparandum non obligantur: ergo si neque ex contractu, omnino non obligabuntur: sed non obligantur ex contractu: prob. subs. ejusmodi obligatio foret difficillima, & simul parùm necessaria ad securitatem, atque indemnitatem locantis: ergo &c. Prob. 2. membrum; locatori sufficienter est provisum, modò conductor etiam ante sententiam Judicis obligetur, ut reparare debeat damnum, quod à LL. fuit præscriptum, à locatore autem scienter atque voluntariè omissum: ergo &c. Prob. ant. ex una parte ejusmodi involuntariæ omissiones debitæ diligentiæ valdè rarò eveniunt: ex altera autem, si evenerint, reparatio damni illati potest per sententiam Judicis reparari: ergo &c.

Diximus autem in conclusione 17
locatorem in hoc casu non fore obligatum, nisi expressè se etiam ad hoc obligaverit: supposita enim hac obligatione tenebitur, quia vi *Regulæ juris Can. 85. de Reg. juris in 6. contractus ex con-*

ven-

ventione legem accipere dignoscuntur. item vi *Regulæ Juris Civil. 24. hoc servabitur, quod ab initio convenit (legem enim contractus dedit) excepto eo, quod Celsus putat, non valere, si convenerit, ut dolus præstetur.* Posse autem etiam præstationem casûs fortuiti in pactum deduci, concedit Canisius *in cit. Regulam*, Steinnius apud Georgium Püttner *in suis maximis Juris max. 47. contractus* item Lugo *n. 123. loci cit.* modò talis deductio non faciat contractum injustum: *cap. unico: & lege prima Cod. commodati.*

18 Ob. 1. Contra. 3. conclus. Non potest dari obligatio restituendi ex contractu, nisi culpa aliqua gravis intercesserit: ergo non datur obligatio ex culpa levi. ℟. dist. ant. non potest &c. nisi ex culpa quæ scilicet sit gravis, & lata contra contractum locationis, & ex ijs, quas diligentes etiam in contractu locationis vitare solent, conc. nisi ex culpa gravi hoc est, ex tali, quæ neque materialiter sit culpa levis, atque extra contractum locationis, neg. ant. & dist. cons. ergo non datur obligatio ex culpa, quæ sit levis respectivè ad contractum locationis, conc. quæ sit respectu locationis culpa gravis, levis verò extra hunc contractum, neg. cons. pro diversitate contractuum major diligentia adhibenda est, hinc in uno contractu, vel extra omnem contractum negligentia quædam potest esse levis, quæ tamen in alio sit gravis: quando igitur dicimus, quod locator obligetur ex culpa levi, loquimur de culpa, quæ extra contractum locationis, & in suo genere est, & censetur levis, non autem in contractu locationis exigente majorem diligentiam in conducente, quàm adhiberi solitam extra contractum locationis ad præcavendam proximi damnificationem. Habenda igitur ratio erit diligentiæ, quæ omissa fuerat, & videndum, num hanc diligentes conductores ordinariè observent, quòd si talis diligentia omissa voluntariè fuerit; quæ sit lata & gravis respectu locationis, in se verò ac extra contractum ex genere suo levis, tunc aderit obligatio reparandi.

Ob. 2. Potest dici, quòd dictatæ pro hac conclusione leges reparationem damni ex culpa levi dati statuerint per modum pœnæ in foro externo à Judice primùm dictandæ: ergo ante sententiam judicis nulla dabitur obligatio: ant. prob. leges quæ reparationem damni extra contractum per animal, vel servum illati præcipiunt, sunt tales: ergo etiam istæ, ℟. neg. ant. interpretatio enim legum, vel conditiones cuilibet contractui ex hujus natura intrinsecæ, ex communi DD. & contrahentium praxi, atque intentione desumendæ, atqui hæ docent, in contractu locationis teneri conductorem ex dolo, & culpâ latâ ante 19

ante sententiam judicis : cùm ergo etiam à nobis culpa in genere suo , & extra hunc contractum levis, respectu locationis autem lata , requiratur , non poterit dici , quod compensatio damni ex culpa levi in nostro sensu accepta proveniens habeat solam rationem cujusdam pœnæ legalis ; idem respondemus objicienti reparationem culpæ levis in nostro sensu acceptæ habere rationem duntaxat pœnæ conventionalis post condemnationem judicis non ante hanc solvendæ. Secundo contractus sortiuntur suam naturam à L. L. & quilibet contrahit juxta tenorem à legibus suo contractui præscriptum : ergo si leges imponunt talem reparationem ob culpam in ratione explicata levem: dabitur hæc ex consensu contrahentium. Tertiò licèt demus, leges illas pœnales esse ex se , in conscientia non obligantes ante sententiam Judicis, obligabunt illæ tamen ante istam, si contrahentium consensus accesserit , volentium se ad illud obligare ante sententiam judicis , atqui hoc est factum.

10 Ob. 3. Gravis obligatio ad reparandum grave damnum est improportionata culpæ levi : ergo &c. R. dist. ant. si habeat præcisè rationem pœnæ gravis, conc. si oriatur ex ipsa contrahentium conventione nego. secundo : si culpam levem in nostro sensu accipiamus , non erit culpa formaliter levis , sed lata , quia est omissio voluntaria diligentiæ ordinariè adhiberi solitæ.

Ob. 4. Juxta nostra Principia conductor non obligaretur ad majorem diligentiam vi locationis , quàm sine hac : prob. sine hac obligatur tantùm ad ordinariam diligentiam adhibendam & etiam vi contractûs juxta nos obligatur tantùm ad ordinariam : ergo non obligatur ad majorem diligentiam R. dist. ant. Non obligaretur ad majorem diligentiam , si ordinaria diligentia à conductoribus communiter adhiberi solita , non esset major , quàm sit illa , quæ sine contractu communiter adhibetur : conc. si hæc sit major : neg. ant. Dein in prob. dist. ant. alterum membrum : etiam intra contractum obligaretur duntaxat ad ordinariam , hoc est illam solam, quam communiter extra contractum solemus adhibere, nego; ad ordinariam , id est ad illam , quam conductores vi locationis solent communiter adhibere conc. ant. & dist. cons. ergo non obligaretur conductor ad majorem , si ordinaria diligentia à conductoribus communiter adhiberi solita non esset major , quam sit illa , quæ sine contractu communiter adhibetur, conc. si hæc sit major. neg. 11

Urgebis : si leges præcipientes reparationem damni ex culpa levi in locatione dati loquuntur de sola culpa lata , erunt illæ super- 12

fluæ : hoc non debet dici : ergo. prob. ant. reparationem hujus damni sufficienter præcipiunt leges obligantes ad reparandum tale damnum extra contractum per culpam latam datum, cùm etiam istæ obligent ad reparationem damni ex culpa levi illati : ergo &c. R. dist. ant. si loquuntur de illa culpa lata, de qua sermo est in alijs L.L. conc. si de culpa lata in sensu strictiore accepta, tunc istæ leges sunt superfluæ, negatur; in contractibus culpa lata est omissio diligentiæ, quam ordinariè & communiter conductores in conservanda re conductâ adhibent : quia ergo ista in se est major illa diligentiâ, quam extra contractum communiter ad evitandam aliorum damnificationem adhibemus, imo pro qualitate materiæ locatæ sæpè levis, vel levissima extra contractum, ideo leges de locatione loquentes præcipiunt aliquid diversum ab ijs, quæ præscribunt leges, quia præscribunt reparationem damni ex culpa, quæ subinde extra conductionem foret levis, aut etiam levissima.

Nonnulli cum Covarruvia *in Epist. 4. Decreti p. 2. c. 6. §. 8. n. 17.* asserunt, allatas leges ex hoc differre, quòd leges extra contractum, duntaxat obligent ad reparandum damnum illatum ex culpa commissa in facto, seu consistente in actione : leges autem de contractu locationis agentes velint reparationem damni etiam per omissionem culpabilem actionis alicujus debitæ.

Ob. 5. Potest dici, quòd conductor obligetur ex culpa levi formaliter tali, hoc est, etiam ex omissione diligentiæ, quam diligentiores conductores ad evitandam damnificationem locatoris adhibent, & non solùm ex omissione diligentiæ communiter & ordinariè à conductoribus adhibitæ : ergo conclusio tertia non subsistit, prob. ant. L.L. dicunt, quòd conductor obligetur *ex culpa lata, & levi*: ergo levem distinquunt à lata, sed illa ab hac non distinguitur, nisi accipiatur in sensu formaliter tali : ergo &c. R. neg. ant. in prob. conc. toto Enthimemate, neg. ant. subsumpti, si consideremus culpas, quæ extra contractum dicuntur latæ, aut leves, certum est, quòd istæ distinquantur : ergo si leges de locatione agentes asserunt, illam culpam, quæ extra locationem foret lata esse vi locationis præstandam, & præter hanc etiam illam, quæ extra contractum foret levis, & aliàs non præstanda, jam distinquunt culpam latam à levi : atqui nos dicimus hoc fieri : ergo &c. 5

Urgent, gratis à nobis dici 24 quòd loquantur solùm de illa culpa levi, quæ est talis extra contractum; sed loquuntur de culpa etiam vi contractûs levi : ergo &c. R. rationes posse esse has : famulus pro mercede locat suam ope-

operam hero: Judex communitati: medicus ægroto: advocatus clienti: & tamen nemo dicet hos esse obligatos ad diligentiam quam diligentiores, atque acuratiores famuli, Judices, medici adhibent: ergo cùm non sit major ratio, in locatione operæ personalis, quam alicujus rei, idem de utraque locatione dicendum erit.

Secunda ratio potest esse: commodatum cedit in solius commodatarij utilitatem, & hinc majorem diligentiam exigit, quam locatum, quod in utriusque utilitatem vergit, cùm leges exigant in commodatario diligentiam exactissimam: his tamen non obstantibus nullus commodatarius censet se obligatum ad reparationem damni, quod ex omissione diligentiæ exactissimæ evenit, modo adhibuerit in ejus custodia diligentiam non solùm communem, sed eam etiam, quam diligentiores, & vigilantiores adhibere solent: si ergo culpa levissima in contractu commodati non strictè accipitur, etiam culpa levis in locatione non erit strictissimè accipienda.

25 Ob. 6. Qui servat depositum duntaxat in gratiam alterius, hujus jacturam ex defectu diligentiæ communis exortam debebit reparare depositarius: ergo conductor jacturam ex omissione diligentiæ, quæ communi diligentiâ sit major: prob. cons. contractus in utilitatem accipientis cedens ad majorem obligat diligentiam: ergo si depositum ad communem obligat, locatio obligabit ad majorem deposito. R. retorq. arg. medicus gratis curans infirmum debet adhibere diligentiam communem: ergo mercede conductus majorem communi, seu ex culpa levi: hoc autem communiter negatur ab auctoribus: ergo &c.

R. Dist. 1. Enthimematis consequens: ergo conductor obligatur ad diligentiam quæ sit maior, si comparetur cum diligentia à depositario adhibenda conc. quæ sit major communi diligentia hoc est illa quæ communiter ab ipsis conductoribus adhibetur, neg. conseq.

Ob. 7. contra 4. concl. leges, quæ reparationem damni ex culpa lata, & levi in locatione comissi præcipiunt, obligant ad reparationem damni etiam ex oblivione inculpabili, & inadvertentia naturali dati: ergo quarta conclusio non subsistit. prob. ant. ad reparationem damni voluntariè dati obligamur ex natura locationis præscindendo ab omnibus L. L. positivis, ergo ne istæ sint superfluæ, debemus dicere, quòd etiam ex oblivione naturali datum damnum sit reparandum vi horum L. L. R. dist. cons. debet dici quod ad hoc obligemur post sententiam Judicis, conc. ante hanc nego: ratio hujus negationis est allata in probatione illius conclusionis quartæ.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Quid si res ex casu fortuito apud conductorem post hujus culpabilem moram perierit?

26 SÆpius conductores rem sibi elocatam finito tempore locationis non statim, prout tamen deberent, restituunt: contingit autem postea, ut ejusmodi apud conductorem adhuc existens res, vel ex hujus culpa levissima, vel etiam ex casu prorsus fortuito pereat, prout in præsenti casu inhabitatas ædes adhuc à conductore incendio sine culpa inhabitantium exorto absumptas fuisse intelligimus. Quis igitur in tali casu jacturam deperditæ rei ferre debeat, modo inquirimus.

27 Sciendum itaque casum fortuitum *juxta legem in rebus commodatis §. 1. ff. commodati* esse rei inopinatæ eventum, qui etiam per diligentissimum præveniri non potest, ut ruina, naufragium, incendium.

28 Circa hanc difficultatem certum est, quod si absque mora culpabili conductoris ex hujus levissima duntaxat culpa res locata apud illum perierit, eundem non esse obligatum, ut solus damnum totum ferat, restituendo integrum valorem rei destructæ: ex citatis enim legibus constat, conductorem ex sola culpa lata, & levi teneri.

29 Quòd si etiam semota omni culpa conductoris, ex casu fortuito res perierit, iste insuper ad reparandum talem fortuitum, casum nullo pacto se obligaverit, jacturam destructæ talis rei locator, non autem conductor debebit pati. Ita communis Doctorum. Ratio est: quælibet res, si nulla culpa alterius cujusdam interceserit, perit Domino suo, sed res locata fuerat locatoris: ergo huic perit, si casu fortuito sine alterius culpa perierit. *leg. contractus ff. de Regula Juris.*

Ratio 2. est: contrahens tantùm tenetur, si res sua culpa perierit. atqui si casu merè fortuito perit, non perijt suâ culpâ: ergo &c.

Ratio 3. est: communiter, & viâ ordinariâ non solemus nos obligare, nisi hoc exprimamus ad id, quod non est in nostra potestate: casus fortuitus non est: ergo &c.

30 Quando autem conductor rem locatam ita accepisset, ut quacunque ratione, etiam casu fortuito pereat, illam præstare debeat, vi cap

cap. unici de commodato, ad illam reparandam tenebitur, non enim contractui locationis repugnat, subire obligationem casûs fortuiti præstandi. His tanquam magis certis suppositis.

31 Dico 1. Ad damnum reparandum obligatus erit conductor, qui ex mora culpabili distulit constituto tempore, rem locatam restituere locatori; si postea res casu fortuito, v. g. incendio perierit, non peritura æqualiter apud locatorem ita Molina *disp. 295.* Rebellus *lib. 1. de contract. q. 10. n. 6.* Vasquez *de restit. c. 2. § dub. 7.* Dicastillo *tract. 2. disp. 10. n. 168. & lib. 2. tract. 3. n. 420. & sequentibus*: Lugo *de Rest. disp. 8. sect. 9. n. 123.*

Prob. concl. possessor malæ fidei tenetur creditorem servare indemnem: atqui talis non restituens ex culpabili mora rem locatam suo Domino est injustus possessor: ergo tenetur Dominum locatorem servare indemnem.

Prob. 2. Retinens ex mora culpabili rem locatam committit injuriam in locatorem, & ex hac formali injuria postea provenit interitus rei locatæ: ergo detentor & re accepta & ex justa acceptione obligabitur.

32 Dico 2: Si res locata eodem modo, & eodem (non autem, si tantùm simili) casu fortuito perijsset apud Dominum; & de hoc constet probabilius à restitutione injustus detentor excusatus erit. Ita sentiunt Lobeo & Paulus & statutum est *Lege si vehenda finali*: §. 1. *ff. de Lege Rhodia de jactu idem* senserunt, Cajus Cassius, & Sabinus & statuit *lex si plures §. final. ff. depositi*, ex Theologis eandem sententiam tenent Angel: Sylvest: Tabien: Armilla, Medina, Covarruv. Petrus Navarra, Rebellus, Vasquez, Dicastillo, *lib. 2. tract. 2. Disp. 10. dub. 4. n. 52.* Lugo loco citato superius.

Prob: in tali casu ex culpabili mora conductoris locator Creditor nullum damnum fuit passus, quod alias non esset passurus: ergo hujus damni non fuerat causa moralis ipse injustus detentor. Confirm. æqualitas justitiæ solùm exigit, ut damnum reipsa datum compensetur: sed hoc damnum injustus detentor re ipsa non dedit: prob. min. hoc damnum etiam fuisset ex hoc ipso fortuito casu Dominus locator passurus, licèt rem illam conductor non retinuisset, ponitur enim hoc à Domino non potuisse impediri.

Prob. concl. eadem 2: Ut iniqua acceptio, vel detentio obligationem restituendi inducat, requiritur, ut inferant damnum efficaciter: sed retentio in talibus circumstantijs non censetur damnum inferre efficaciter: ergo &c.

Prob. 3. Tale damnum injustus detentor neque causat ratione interitûs rei, nec ratione ini-

quæ detentionis. ergo non debebit reparare damnum Prob. 1. membrum ant. ponitur conductor ad interitum rei nec minimum quid cooperari: ergo &c. Prob. etiam 2. membrum; res similiter interitura ex ipsomet hoc infortunio fuisset, licèt à conductore detenta non fuisset.

33 Dico 3. Si dubium sit, an non Dominus locator rem locatam, si hæc constituto termino fuisset restituta interea vendidisset, vel an restituta peritura fuisset, pretium illius rei restituendum esse, ita sentiunt Sylvest. Armilla, Rebellus, Lessius, Reginald, Dicastillo *lib. 2. tract. 2 Disp. 2. dub. 4. n. 70.* in dubio est melior conditio innocentis. Item possessio stat pro Domino: si enim res tempore constituto reddita suo Domino, nec ab hoc vendita fuisset, nec alio quodam infortunio perijsset, ipse Dominus certum habuisset & possedisset jus ad pretium sibi restituendum: ergo non erit hoc jure spoliandus, si dubium adest, utrum eveniissent illa, quibus solis posits Dominus amittit jus ad pretium.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

Quàm culpabilis hæc mora debeat esse?

HActenus dicta supponunt, ab injusto detentore compensandum esse, quod ex culpabili mora ultra terminum constitutum fuerat retentum, postea verò casu fortuito perierat, eodem infortunio apud Dominum non æquè periturum: consurgit modo altera quæstio, quandonam ejusmodi mora censenda sit culpabilis, & num sufficiat mora veniialiter solùm culpabilis, vel oporteat esse mortaliter culpabilem.

34 In hac re judicamus esse certum, universaliter loquendo non semper moram culpabilem commissam fuisse, si res non statim in illo ipso momento, quod restitutioni faciendæ determinatum erat, locatori fuerit reddita, quia etiam in hoc casu moraliter videtur procedendum, uti procedimus, quando dicimus possessorem rei alienæ à momento, quo cognovit rem esse alterius, obligatum esse ad illius restitutionem: possunt enim eæ circumstantiæ adesse, ut conductor prudenter judicet, locatorem non esse invitum, si res locata adhuc à se ad breve tempus retineatur.

Cer-

35 Certum itaque est, culpabilem moram adfuisse si ante adventum constituti termini locator expressè monuerit conductorem, ut ad finem temporis, ad quod res locata fuerat, rem conductam quamprimum restitueret, restitutio autem nihilominus absque causa justa fuerit ad aliquod tempus dilata.

36 Secundo, si in ipso contractu locationis conventum fuerat, ut culpabilis moræ habeatur reus, si ad locationis terminum restituere rem locatam neglexerit.

Potest autem contingere, ut istis modò ennumeratis duabus circumstantijs semotis conductor putaverit locatorem contentum fore, si res non statim restituatur, illa autem deinde ex casu fortuito perierit, nequaquam peritura, si locatori fuisset reddita.

37 In hoc casu cardinalis de Lugo *Disp. 8. sect. 9. n. 124.* advertit, interrogandum conductorem esse, num judicaverit vel suspicatus fuerit nefas esse, & obligationi contrarium uti ultra terminum præfixum re locata sine animo, & conditione restituendi, si locatori non placeret, aut utrum hoc invincibiliter ignoraverit! si ad hoc se reflexerit, Dominus autem reipsa ægrè tulerit dilationem restitutionis rem casu deinde pereuntem à conductore restituendam esse, asserit.

Quòd si autem invincibiliter 38
ignoraverit conductor nefas, & contra suam obligationem esse, sine hac conditione diutius retinere rem locatam, defendit Lugo rem casu postea pereuntem à conductore non esse restituendam. Probatur: etiamsi per se conductor non potuerit rem diutius ultra terminum præfixum detinere, nisi sub præfata conditione, si tamen hanc suam obligationem invincibiliter ignoraverit, vel ad illam non adverterit, hæc invincibilis ignorantia vel inadvertentia, & bona fides per accidens sustulerunt illam malitiam Theologicam; ergo etiam per accidens excusatus erit à restitutione, quæ à sola culpa Theologica in conscientia inducitur.

Posito autem, quòd mora quædam culpabilis revera intervenerit, potuit hæc esse venialis, aut mortaliter gravis, nova itaque consurgit controversia, num levis aut levissima culpa sufficiat ad obligationem restitutionis, vel num illam mortalem esse oporteat, ad hoc.

Dico, probabiliter obligationem 39
talem oriri ex solâ culpa, quæ in ordine ad talem contractum, & in talibus circumstantijs sit mortalis, licet illa ex se & in genere suo sit levis & levissima. Ita Lugo *Disp. 8. sect. 9. n. 125. citans pro se* Azorium *lib. 5. tract. 1. de usura c. 4. q. 3.* cum omnibus illis, qui volunt non dari obligatio-

tionem restitutionis ex contractu, nisi ex culpa, quæ comparativè ad istum sit gravis.

Probatur. extra contractum communis sententia docet, quòd damnificatio ex mera culpa veniali facta non obliget graviter ad restitutionem rei gravis: quòd autem in contractu locationis ex culpa veniali oriatur talis obligatio non potest probari: ergo cùm nulli obligatio sit imponenda, nisi sufficienter probetur, non erit ex culpa levi obligatio gravis imponenda. Prob. 2. membrum ant. ex eo, quod leges in contractu locationis dicant dari obligationem ex culpa levi nihil probatur: jam enim ex dictis in hoc casu constat, in quo sensu hæc culpa levis accipi debeat.

40 Ob. potest contingere, ut conductor prævideat quidem periculum, ne ultra finitum locationis terminum retenta res ex quodam infortunio pereat, interea tamen paratus sit ad reparandum ex suis hoc damnum, si illud evenerit, in hoc casu exortum postea casum fortuitum non teneretur ejusmodi locator reparare: Prob. mora ista non fuit mortaliter peccaminosa, eò quòd nullum grave commiserit. R. conc. casu dico eundem obligatum fore, eò quòd hac ratione saltem tacitè conductor si obligaverit ad casum fortuitum præstandum, eò quòd locator non aliter in ulteriorem retentionem unquam consensurus fuisset.

Urgent: ponamus, quòd res diutiùs detenta ex conductoris culpa levissima aut etiam levi perierit, in quantum iste exhibuerat quidem diligentiam magnam non tamen maximam, aut forte nec majorem ordinariâ, eò quòd viderit exinde forsitan orituri damni periculum esse valde remotum, & exiguum, in hoc casu non poterit decidi, utrum ad restitutionem sit obligandus vel non? R. probabiliorem nobis videri opinionem conductorem deobligantem. Ratio est quia nullus conductor censetur se in conductione obligare sub gravi, ut etiam periculum valdè remotum cum gravi sæpè suo incommodo præcavere velit.

§. V.

§. V.

Resolvitur quintum Quæsitum?

Num in præsenti casu combustæ domûs jacturam reparare conductor debeat?

42 EX disputatis constat, dandam hanc obligationem, quando certè constat, ædes combustas, si inde emigrâsset constituto tempore conductor, à locatore alteri vendendas fuisse.

Pariter constat, ad quid obligetur, si hæc locatoris mens, atque intentio fuerit dubia. supposuimus enim *n. 33.* in dubio neminem è sua possessione deijciendum esse: cùm igitur conductor sit, in possessione suarum pecuniarum, ex hac deijciendus non erit, quamdiu dubium datur, utrum aliquid debeat locatori: sed quamdiu dubium datur, utrum locator has ædes, si à conductore fuissent restitutæ, vendidisset; tamdiu dubitatur, utrum conductor aliquid debeat locatori: ergo: prob. min. solùm debet aliquid locatori, si hic illas interea alienâsset: ergo quamdiu dubitatur, utrum locator alienâsset, tamdiu dubitatur, utrum ipsi aliquid debeat conductor, & consequenter tamdiu à restitutione facienda locatori, exemptus erit conductor.

Quod si, prout ponitur, incendium in proximis ædibus exortum fuerit, conductor etiam debita, & consueta diligentia adhibita incendium suarum ædium avertere non potuerit, juxta superius concluſa hunc prorsus fortuitum casum reparare non tenebitur. sin autem debitam diligentiam in salvandis suis ædibus adhibere neglexerit, tanquam partialis causa hujus incendij ad reparandum hoc damnum locatori obligatus erit, quia conductor ad talem diligentiam se obligavit locatori: ergo egerat contra suam obligationem.

CASUS XVIII.

De Feudo.

PRænobilis quidam suum castrum, quod ejusdem antecessoribus in feudum à Monasterio olim concessum fuerat, irrequisito hujus consensu cuidam Principi vendit.

Q. 1. Utrum hæc alienatio feudi inconsulto Domino facta valeat?
Q. 2. Utrum vasallus alienans amiserit feudum?
Q. 3. An cum Domino directo consolidetur?
Q. 4. Et quidem ante sententiam Judicis.

SYNOPSIS.

§. I.

Prænotanda.

1. *Explicatur natura Feudi.*
2. *Nec non diversitas ejusdem.*

§. II.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum hæc alienatio Feudi inconsulto Domino facta valeat?

3. *Alienatio Feudi etiam purè hæreditarij sine consensu Domini directi facta ipso jure est irrita.*
4. *Satisfit cuidam objectioni.*
5. *Poterit tamen sine novo consensu Domini directi alienari Feudum, si pote-*

potestas illud alienandi tacitè vel expressè in ipsa investitura concessa fuerit.

6. Feudum purè hæreditarium ut alienetur, requiritur novus consensus Domini directi.

7. Satisfit fundamento adversariorum.

8. Æquè invalida erat hæc alienatio absque consensu Domini directi & proximorum agnatorum, si Feudum non merè hæreditarium, sed gentilitium fuerit.

9. Hoc idem tenendum, si Feudum antiquum fuerit.

10. Imò licèt novum, si tamen gentilitium fuerit.

§. III.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Utrum in hoc casu felonia commissa fuerit?

11. Quidnam nomine feloniæ intelligatur?

12. Feudum absque ullo consensu Domini directi alienatum inducit feloniam.

13. Licèt alienans vasallus statim alienationem suam retractaverit.

§. IV.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Num in hoc casu dominium utile cum directo proprietatis consolidatum fuerit?

14. Ut Feudum amittatur, res Feudalis non solùm alienata, sed etiam in alium debuit esse translata.

15. Feudum purè hæreditarium sine consensu Domini directi alienatum, revertitur irrevocabiliter ad Dominum.

16. Ad eundem Dominum redibit Saltem in certum tempus taliter alienatum Feudum gentilitium.

17. Potéstque ab illo retineri, saltem quamdiu ipse vasallus illicitè alienans, ipsúsque filij vixerint.

18. Refutantur contrarium sentientes.

19. An Feudum post mortem delinquentis & ex hoc descendentium devolvatur ad agnatos delinquentis, examinatur.

20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. Resolvitur quæstio.

§. V.

Resolvitur quartum Quæsitum.

An Feudum commissum ipso Jure, vel per sententiam primùm amittatur?

27. *Præfertur opinio requirentium sententiam Judicis.*
28. *Quæ vasallo à Domino directo insinuanda est.*
29. & 30. 31. *Satisfit objectionibus.*
32. *Feudum absque consensu Domini illicitè alienatum, ipso jure apertum fuit.*

§. I.

Prænotanda.

1 NOt. 1. quòd feudum formaliter vel pro contractu sumptum, sit contractus, quo alicui conceditur res immobilis, aut quasi immobilis, cum translatione Dominij utilis sub onere fidelitatis, ita *Col. ex feud. tit. 1. §. 3. & tit. 23. in feudis.* dixi feudum *formaliter* acceptum; sumitur etenim etiam pro ipsa re in feudum concessa, & denique etiam effectivè pro jure, quod ex feudi concessione tam Dominus feudi, quam vasallus accipiunt.

2 Notandum 2. Diversas species feudorum dari; aliud enim est novum, aliud antiquum, novum vocamus, quod à primo instituente immediatè habetur, ita ut nullus alius in illius possessione præcesserit. antiquum ex opposito dicunt, quod priùs ab alijs possessum, & inde ad novum possessorem derivatur.

Insuper aliud feudum est hæreditarium simpliciter, aliud hæreditarium ex pacto & providentia; & denique aliud mixtè hæreditarium. Primum ex vi suæ concessionis ad quoscunque hæredes etiam extraneos potest transferri. gentilitium autem seu concessum ex pacto est à principio inito mensurandum; juxta aliquos est concessum alicui *pro se* ac filijs descendentibus *sine* mentione hæredum. Vocatur etiam ex pacto & providentia, vel familiare, aut feudum familiæ, aliud est feudum mixtum ex feudo hæreditario atque ex pacto compositum in quantum non quoscunque sed filijs & descendentibus & quidem hæredibus est collaterale. Ex quo colligitur solum feudum hæreditarium simpliciter quoscunque hæredes comprehendere, hæreditarium mixtè verò non nisi aliquos determinatos.

Et

Est etiam feudum aliud nobile, aliud non nobile, illud nobilitat personam accipientis, vel nobilem esse ostendit, si jam antea fuerat talis. alterum est, quod nec nobilitat, nec personam nobilem esse designat.

§. II.

Resolvitur primum Quæsitum.

Q. 1. Utrum hujus Feudi alienatio ignorante Domino facta exiterit valida?

CUm feuda alia sint purè hæreditaria, alia gentilitia. Item alia nova, alia antiqua, ideo quid supposito quolibet horum dicendum sit, pluribus conclusionibus explicandum erit.

3 Dico 1. Alienationem feudi, etiam purè hæreditarij sine consensu Domini directi factam esse ipso jure nullam & irritam ita habetur decisum *ab Imperatore Lothario L. 2. feud. tit. 52. uti etiam à Friderico Imperatore tit. 55. l. 1. ibi: sancimus, ut nulli liceat feudum totum vel partem aliquam vendere &c. sine permissione illius Domini, ad quem feudum spectare dignoscitur.* Ratio hæc decidendi fuit, ne vasallus hac ratione redderetur insufficiens ad obsequia Domino præstanda.

4 Dices: ex ratione adducta solùm sequitur, feuda obsequium personale exigentia sine consensu Domini non posse alienari: ergo feuda franca, seu immunia ab obsequiis personalibus præstandis, poterunt alienari; quia in istis non reperitur ratio movens ad prohibendam alienationem feudi. *R.* nego sequelam antecedentis. Ratio est, quòd feuda impropria eò usque tantùm à feudis propriis deflectant, in quantum in investitura interceßit aliqua mutatio: ergo si in puncto alienationis insciο Domino factæ, nulla fuit facta mutatio in investitura, in hoc non differet tale feudum aliàs improprium.

5 Dico 2. Si in ipsa investitura pactum quoddam expressum vel etiam tacitum initum fuerit, vi cujus generalis potestas vasallo data fuerat alienandi feudum, sine consensu de novo expetito, alienari feudum poterit. Ita Haunold *tom. 3. tract. 9. n. 797. cum communi aliorum.* Probatur. tale pactum non fuit otiosum: ergo produxit aliquem effectum: atqui nullum produxisset, si illo non obstante novus consensus Domini in alienatione feudi petendus esset. idipsum clare habe-

tur *in l. 2. feud. tit. 48. ibi si quis ea lege feudum dederit, ut & ipse & sui hæredes, & cui ipse dederit habeant.* ℟. *iste, qui sic accepit, poterit id vendere vel donare &c.*

6 Dico 3. Ex eo præcisè, quòd feudum purè hæreditarium alicui fuerit concessum, non est eo ipso concessa facultas tale feudum alienandi etiam in vivis sine novo consensu Domini directi, contrarium judicant Clarus *q. 41.* Gaill. *observation. 154.* Engl *hic num. 7.* Schmalzgrueber, Pichler. Probatur: omne pactum præjudicans alteri contrahentium est strictè accipiendum, & ita observandum, ut quàm minimè à jure feudali recedatur: ergo cùm jus feudale exigat, ut sine consensu Domini directi feudum non alienetur, concessa potestas ad alienandum uno determinato modo non erit extendenda ad alienationem aliâ viâ faciendam.

Confirmatur, si in investitura vasallo concessa potestas fuerat relinquendi feudum in testamento certæ ac determinatæ personæ, absque novo consensu Domini non poterit feudum legari alteri: ergo &c.

Item si concessa fuit potestas alienandi certam partem feudi, vi hujus non potest altera pars ejusdem feudi alienari. Juxta communem: ergo &c.

Præterea juxta Haunold. *n. 798 loco citato.* si pactum solùm conceptum est ad ultimam voluntatem, non potest alienari inter vivos: atqui feudum hæreditarium est concessum duntaxat cum pacto alienationis ad ultimam voluntatem vel ab intestato: ergo inter vivos non potest alienari.

Confirmatur juxta *textum tit. 48. l. 2. feudo.* dicitur, quòd feudum vendere vel donare possit, qui ea lege feudum accipit, ut & ipse & sui hæredes; &, NB. *cui ipse dederit* habeant; talem posse vendere vel donare: ergo cui datum quidem feudum fuit pro hæredibus: sed non ita, *ut cui ipse dederit*, habeant, non poterit alienare. Probatur consequentia; si ad hoc, ut talis alienare possit sine novo consensu Domini, sufficeret, quòd ipsi vasallo & hæredibus fuerit datum, non debuissent addi illa verba: *& cui ipse dederit:* ergo &c. Nam verba hæc non sunt superflua: ergo aliquid concedunt, *quod* sine illis non est concessum.

Oppones cum contrariæ sententiæ Patronis. tale feudum merè hæreditarium ratione primæ investituræ ad quoscunque etiam extraneos hæredes devolvi potest: ergo Dominus in concessione feudi merè hæreditarij jam consensit in illius alienationem; ergo novo consensu non erit opus. ℟. distinguo consequens: jam consensit in alienationem quocunque modo faciendam nego, faciendam per mortem seu legato,

to, teſtamento, aut ab inteſtato: concedo conſequentiam.

Dices: ſi fuit conceſſa poteſtas alienandi mortis cauſa, non ſupereſt ratio, ob quam ſit prohibita alienatio inter vivos: ergo &c. R. rationem eſſe, quia ex una parte de natura feudi eſt, ut non poſſit ſine conſenſu Domini alienari: ex altera parte conceſſa alienandi poteſtas, eò quòd Domino feudi præjudicet, eſt ſtrictè accipienda: ergo ſi data fuerit facultas alienandi mortis cauſâ, non eſt præſumendus conſenſus in alienationem inter vivos factam.

Confirmatur. alienatio inter vivos per venditionem potuit fieri, prout hìc contigit in perſonam valdè potentem, quæ recuſet præſtanda obſequia Domino directo debita: ergo jam habetur ratio: faciliùs enim per venditionem transfertur in talem perſonam bonum feudale quàm mortis cauſâ.

8 Dico 4. Si hoc feudum non fuit merè hæreditarium ſed gentilitium abſque conſenſu Domini directi aut proximorum agnatorum facta alienatio fuit nulla, Probatur. feudatarius non habuit jus abalienandi tale feudum in iſtis circumſtantijs. Conſtat *ex lib. 2. feud. tit. 42. & 44. item 52. & 55.*

9 Dico 5. Licèt conſentiente Domino tale feudum fuiſſet alienatum, inſcijs tamen & non conſentientibus agnatis, invalida fuerat illus venditio, ſi feudum antiquum fuerit. Ita ſentiunt Clarus *q. 41.* Mynſinger *cent. 4. obſerv. 85.* Gaill. *l. 2. obſerv. 49.* Laym. *l. 3. tract. 4. c. 24. n. 7.* conſtat concluſio *ex lib. 2. feud. tit. 39.* Ratio eſt, quòd ex pacto & providentia tum primi conferentis tum primi acquirentis cæteris agnatis jus quoddam fuerit acquiſitum, quo inviti ab alienante ſpoliari nequaquam poſſunt.

Dico 6. Etiamſi hoc Feudum novum fuerit, ſi tamen erat gentilitium absque conſenſu filiorum, & deſcendentium agnatorum facta venditio probabiliùs fuit nulla, ita contra Fachineum *lib. 7. controv. 8. c. 9.* Roſenthal, Clarum §. *Feudum q. 40. & 41.* Mynſinger *cent. 4. obſerv. 84. in fine* Gaill. *l. 2. obſerv. 40.* Laym. *l. 3. tract. 4. cap. 24. n. 5.* Jacobum Emeric *decis. 1291. n. 11.* Shmalzgrueber *hic n. 153.* Hartman, Pyſtorium *l. 7. q. 44.* ſentiunt Wilhelmus Ludvvel. *tract. de ſucceſſ. Feud. cap. 5. pag. 125.* Haunold *tom. 3. tract. 9. de J. & J. cap. 5. n. 799.* Glettle *in tract. can. civili cap. 2. §. 2. de Feudo n. 3.* 10

Advertimus autem hanc aſſertionem procedere etiam de feudo novo, quod non conceſſum fuerat inſtar antiqui, cùm enim tale novum feudum etiam antiqui proprietates habeat, ſecundùm

dum istas etiam de hoc Feudo discurrendum erit. Probatur de Feudo antiquo gentilitio non potest pater testari, vel alienationem illius facere, quia talis dispositio invitis filijs aut descendentibus facta istis præjudicaret ob jus jam quæsitum in illo Feudo: atqui etiam filij & reliqui descendentes jam habent jus quæsitum in tali Feudo ergo &c. Probatur minor. per ipsam investituram in Feudo gentilitio jam fuit descendentibus jus illud quæsitum ergo &c.

Confirmatur hoc ipso, quod sit feudum gentilitium non solus Pater, sed etiam omnes descendentes jam fuerunt in illo investiti: ergo jam habent jus quæsitum. Probatur antecedens. si non tunc statim, tunc hoc jus primùm acquirerent mortuo suo Patre & Primo vasallo: sed hoc est falsum. probatur minor. nullibi mors primi vasalli requiritur ut conditio ad hoc, ut descendentes habeant perfectum jus: ergo &c. Dein descendentes in 2. gradu, scilicet nepotes, vel habent isti jus quæsitum, postquam primus vasallus & Avus illorum mortuus fuerit, licèt adhuc filius hujus primi vasalli & Pater in 2. gradu existentium vivat, vel hoc jus primùm acquirunt mortuo illorum patre? Hoc ultimum non concedunt, si primum; contra eli: si existentes in 2. gradu habent jus quæsitum in Feudo, licèt adhuc vivat antecedens vasallus, etiam poterunt filij habere, licèt Pater illorum adhuc vivat.

§. III.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Utrum in hoc casu felonia Commissa fuerit?

11 NOmine feloniæ venit delictum a vasallo comissione vel omissione in materia Feudi perpetratum trahens post se amissionem Feudi. Hoc ubi evenerit dicetur, *Feudum committi seu fieri caducum.* Quod si aliquid sine culpa seu delicto inducens amissionem Feudi contigerit, ut si deficiat hæres vel agnatus, dabitur apertura Feudi, & hoc *Domino aperiri* dicitur, His suppositis.

Dico: si hoc Feudum absque consensu Domini directi saltem subsequente vel reservato sub conditione alienatum & ante purificatam conditionem consentiens Domini directi extraditum fuerit, evasit illud caducum, atque commissum est, etsi ponatur statim revocásse pœnitentia sui facti dus, ctus,

ctus, licèt merè hæreditarium fuerit, conclusio constat. *ex 2. Feud. 38. 42. 44. 52. 55.*

Probatur 2. Si Dominus directus sine consensu vasalli alienet proprietatem Feudi excepto casu, quo alienat Universitatem, cui res Feudalis, & jus vasalli annexa sunt, ammittet ille Feudi dominium directum, & hoc consolidatur cum Dominio utili: ergo etiam vicissim quando vasallus sine consensu Domini directi alienat rem Feudalem, etiam ipse dominium utile ammittet. Probatur consequentia, Dominus directus, & vasallus ex ijsdem delictis ammittunt Feudum. Uti omnes Authores tuentur, & omnis illa causa, ex qua Dominus privatur Feudo, ex hoc etiam privatur vasallus, & vicissim.

13 Dein etsi Emphytevta pænam caducitatis juxta nonnullos evitet, si abalienata re Emphytevtica per celerem satisfactionem sibi consulat, pœnitentiâ ductus, revocans alienationem: hoc tamen in alienatione Feudi non procedit juxta communiorem uti & *textum in tit. 44. 2. libri Feudorum.* Ratio est, quod per alienationem Domino directo statim aliquod jus quæsitum fuerit ad caducitatem tanquam pœnam.

§. IV.

Resolutio tertij Quæsiti.

An ob hanc sine consensu Domini directi factam alienationem Feudi dominium utile cum dominio directo proprietatis consolidatum fuerit?

14 EX dictis in priore §. Uti etiam *ex lib. 2. Feud. tit. 38. 42. 44. 52 & 55.* habetur, feloniam seu delictum, cui ut pœna statuta fuit amissio Feudi, commissam fuisse, si scienter sine consensu Domini, Feudum secuta etiam traditione alienatum fuerit. Superest controversia, num hoc amissum ab alienante Feudum ad Dominum & quidem in perpetuum redeat, vel ad proximos agnatos?

15 Diximus autem ad amissionem feudi necessarium esse, ut possessio alienationis feudi in ementem translata fuerit. Ita Vultejus *l. 1. de feud. c. 11. num. 42.* Haunold. *tom. 3. tract. 9. n. 893.* Engl *hic n. 34.* Schmalzgrueber *hic n. 177. desumitur ex textu lib. 2. feud. tit. 55. princ.* ibi: *Qui feudum vendunt, & in alios transferunt.* Ratio secunda est, quòd leges pœnales accipiendæ sint cum effectu, & in proprio sensu verborum: sed

alienatio propriè accepta dicit etiam translationem possessionis.

86 Dico itaque 1. Feudum purè hæreditarium sine consensu Domini directi alienatum, translatâ etiam in alium possessione redit ad Dominum directum irrevocabiliter. Ita Haunold. *tom. 3. tract. 9. cap. 5. n. 916.* Probatur, per talem alienationem fuit Domino directo injuria facta, quia se contemptum à vasallo conspicit: ergo ad solatium illius tale feudum redibit ad Dominum, & quidem irrevocabiliter.

Probatur hoc ultimum: agnati ob talem alienationem nullam querelam adversus alienantem vasallum habent, neque illis per hoc ullum præjudicium accessit: ergo &c. Probatur ant. etiam invitis filijs, & alijs agnatis illud consentiente Domino alienari potest: ergo ex hac alienatione nullam injuriam eisdem intulit. antecedens constat. Si enim est hæreditarium, tunc etiam extraneis titulo hæreditatis potuit concedere, & quilibet, ubi alteri nullum fit præjudicium, in re sua est moderator, & arbiter. *Lege in re mandata Cod. mandati:* ergo nullum jus agnatis ad illud feudum competebat, consequenter neque ijsdem præjudicatum per hoc fuit.

Probatur 2. *Ex §. fin. tit. 21. lib. 1. feud.* ibi: *Si quis miles beneficium suum vendiderit totum sine voluntate, vel jussu Domini sui, ut proprium beneficium amittat decernimus, dominus verò habeat.*

Quando autem in casibus particularibus præsumi debeat, & sufficiat consensus Domini directi, constat ex conclusione prioris §.

Dico 2. Si etiam feudum gentilitium inscio, & non consentiente Domino alienatum fuerit, rediturum illud ad Dominum, & cum dominio directo saltem ad certum tempus consolidandum. Ita defendunt Sonsbeckius, Hutmanus *ex l. 1. feud. tit. 5. prin. l. 2. tit. 24. §. denique tit. 31.*

Constat conclusio ex textu §. fin. tit. 21. lib. 1. qui universaliter sine ulla distinctione facta inter merè hæreditarium, & non hæreditarium concludit, tale alienatum feudum amitti à vasallo, & haberi à Domino. Idem constat *ex lib. 1. feud. tit. 5. & 2. 24. &c.*

Dico 3. Tale feudum à Domino directo retineri ad minimum posse, quamdiu ipse vasallus illicitè alienans, & ipsius filij vixerint. Prob. ex *tit. 31. l. 2. v. vasalli*, ibi: *Vasalli feudum delinquentis, licèt ad agnatos quandoque pertineat, filius tamen ad id minimè aspirabit.* Hic habetur, quod filius non possit aspirare, neque descendentes illius ad feudum à patre amissum, nisi id iterum à Domino licitè acquirat, sibi gratiam faciente: ergo &c. Idem habetur *l. 2. feud. tit. 37.* etiam *l. 2. tit. 26. v. si vasallus; si vasal-*

lus

lus culpam committat, propter quam feudum amittere debeat, neque filius, neque ejus descendentes ad id feudum revocabantur, sed agnati, qui quarto gradu sunt, dummodo ad eos pertineat.

Scio ab aliquibus fieri in hoc distinctionem inter filios, qui sunt hæredes Patris in alijs bonis, & illos, qui non sunt hæredes, asseri etiam, filios hæredes excludi, non autem cæteros. Rationem dant, quòd filius hæres repræsentet patrem, & in jure eadem persona cum patre censeatur esse, ita ut factum defuncti teneatur præstare, nec illud revocare, aut impugnare possit. Quin imò feudum gentilitium mortuo tali parente à filio etiam hærede revocari posse. Defendunt Vultejus *de feudis lib. 1. cap. 11. num. 86.* Fachineus *c. 18.* Carolus Abarchberg. *de feudo ex pacto, & provid. c. 5. à n. 67.* D. Christoph. Chlingensperg. *de feudis c. 11. q. 3. ob. 1. & juxta aliquos communis.*

Contra hos tamen Authores facit, quòd in jure feudali revocandi jus nunquam ipsis filijs legatur datum fuisse, sed agnatis: Ex altera autem parte nomine agnatorum in eodem jure non veniunt filij & descendentes, qui ab ijs distinguuntur *l. 1. feud. 8. & 2. tit. 11. 31. 37. 45.*

Contra est 2. Quòd pro conclusione nostra citatus textus *tit. 31. lib. 2. feud.* expresè loquatur de filijs & descendentibus, quòd ad feudum aspirare nequeant, nisi de novo investiantur.

Contra est 3. Vasallus & Dominus directus habent relationem ad se invicem, ita ut sicut ex delicto vasallus potest amittere dominium utile, ita etiam dominium directum ex delicto amittere possit Dominus directus: ergo in pœnæ inflictione debent haberi æqualiter: atqui Dominus directus, si amittit secum dominium proprietatis, hoc ita redit ad vasallum, ut filij Domini directi post hujus mortem non possint illud denuo ad se revocare: ergo neque poterunt revocare filij vasalli delinquentis.

Observanda itaque erit, prout providè admonet Haunoldus, praxis & consuetudo locorum, in quo feudum est situm: cùm enim leges feudorum instar aliarum contraria, & legitima consuetudine aboleri, vel immutari, aut etiam novæ condi valeant, ideo, si alicubi legitima, & consentiente Legislatore introducta consuetudo viguerit, dans filijs & descendentibus facultatem revocandi ad se feudum post mortem delinquentis vasalli parentis, erit hoc in praxin deducendum, in alijs locis jus feudale prout sonat, observandum erit.

Major difficultas est, an non 29
tale feudum post mortem delinquentis, & ex hoc descendentium devolvatur ad agnatos delin-

quentis vasalli? Affirmativam in hoc defendunt Hartman. Pystorius, Vultejus, Rittershusius, Haunold. *tom. 3. tract. 9. cap. 5. n. 911.* idem sentiunt Clarus §. *feudum q. 66.* Wesenbec. *cons. 73. n. 29.* Struvius *c. 15. aphoris 14.* Bocer. *n. 143.* de Chlingensperg *c. 13. de feud. q. 17.* Schmier, Schmalzgrueber, Pichler.

Probant autem hanc suam conclusionem aliqui ex illo textu *l. 2. feud. cap. 31. vasalli feudum delinquentis licèt ad agnatos quandoque pertineat &c.* Ergo inferunt post mortem delinquentis, & ex hoc descendentium redibit denuo ad agnatos, non ante descendentium mortem, cùm ante hanc nullum in feudum jus acquisiverint. Verùm ex hoc textu intentum haud evinci facilè probari poterit, nam aliud est *quandoque feudum*, hoc est in aliquibus casibus redire ad agnatos immediatè: & illud redire denuo, postquam jam semel redijt ad Dominum directum. Tunc enim redit ad agnatos illicò post amissum à vasallo, quando hic non peccavit in Dominum directum, sed in alios, ut habetur *lib. 2. feud tit. 37.* ibi, *si quis interfecerit fratrem Domini sui, non ideo beneficium amittit, sed si fratrem suum interfecerit ad hoc, ut totam hæreditatem habeat, vel aliam feloniam commiserit v. g. hominem tradendo, ut in curia amplius stare non possit, privetur beneficio; quia tamen erga Dominum non fuerit facta, ad agnatum proximiorem feudum pertinebit; si paternum fuerit; eodem prorsus observari, quantum ad ordinem gradus, qui continetur in legibus. Cùm autem ad Dominum respicit felonia, feudum tunc Domino aperitur.* Ergo ex eo, quod quandoque ad agnatos redire dicatur, non bene infertur, quod redeat, si semel cum dominio directo fuerit consolidatum.

Eandem conclusionem probant 2. Ex communi Juris regula jus jam semel quæsitum non potest auferri, vel amitti, nisi facto proprio: ergo etiam jus agnationis in hoc casu jam quæsitum non potest facto alieno ipsius scilicet vasalli auferri, consequenter illo mortuo redibit feudum ad agnatos.

Hoc argumentum videtur manifestam retorsionem pati in descendentibus respectu Feudi antiqui; quia etiam istis fuit jus quæsitum in illo, & tamen hoc amittent ex delicto sui Patris &c. *Rz.* 2. cum distinctione nemo potest spoliari suo jure jam absolutè & completè quæsito: concedo, conditionatè & nondum perfectè quæsito. Negatur. inter Dominum & vasallum est quidam contractus celebratus, cujus conditiones sunt utrique observandæ: ergo si vi hujus contractûs in agnatos est solùm translatum jus perfectum, si antecessores illius non deliquerint, antequam impleatur hæc conditio non habebunt

bunt absolutum & completum. jus. Quod confirmatur: certum est, quòd non habeant tam perfectum jus, quale habet ipse vasallus aut ex hoc descendentes; cùm post horum obitum primùm devolvatur feudum ad agnatos: ergo &c.

Confirmatur 2. Ob crimen læsæ Majestatis ex primo capite legis juliæ seu ex causa perduellionis ac insidiarum in vitam Principis totius familiæ amittitur feudum, ita ut exclusis agnatis ad Dominum revertatur, prout *vult* Gaill. *l. 2. de pace publica c. 13. n. 16.* Ergo hoc jus in antiquo feudo jam quæsitum potest ex delicto vasalli sine facto proprio agnatorum amitti.

22 Tertiò aliqui ita pro se argumentantur, *licet 1. feud. tit. 5. & 2. feud. 24. & 44. uti & 55.* dicatur feudum immediatè reverti ad Dominum, non tamen dicitur reverti perpetuò ac stabiliter, ut mortuo delinquente non liceat agnatis illud ad se revocare, ergo &c. ℟. cùm simpliciter in illis locis dicatur reverti feudum ad Dominum, nec insinuetur, quòd redeat solummodo ad dies vitæ vasalli vel descendentium, ideo sine ratione non debet asseri, quòd ad tempus duntaxat cum dominio directo consolidetur.

23 Quarta illorum ratio est: agnati non acceperunt jus in feudum ab ipso vasallo delinquente, prout tamen illud acquisiverunt descendentes, sed in communi stipite per investituram, à quo illud ad alienantem pervenit: ergo ex delicto vasalli posterioris non possunt amittere jus in feudum. ℟. ad hoc, idipsum quod ad prius argumentum reposui, scilicet conc. ant. dist. conf. ergo ex delicto vasalli posterioris non possunt amittere jus in feudum in modum pœnæ: conc. conf. non possunt amittere ex vi contractûs cum Domino feudi à communi stipite celebrati: neg. conf. contractus ille in hoc consistebat, ut ad posteriores tamdiu devolveretur feudum, quamdiu nullus feudatariorum in Dominum feudi deliguerit: ergo quando aliquis horum deliguit, posita fuit conditio, aufferens successoribus jus ad feudum.

Quinta: textus allegati à nobis pro sententia asserente feudum ad Dominum etiam exclusis agnatis reverti, possunt commodè in hunc sensum explicari. ℟. distinguo, si habeatur aliquod fundamentum hujus explicationis concedo, si hoc desit, nego. 24

Urgent: ipsa æquitas hoc expostulat, ne tam facilè agnati ex facto alieno contra communes juris Regulas suo jure priventur præsertim cum ob solam alienationem tam gravis culpa in Dominum non committatur. ℟. cùm ex vi contractûs hoc feudum agnatis sub his conditioni-

bus fuerit concessum, & ab ijsdem acceptatum, ideo volentibus non fit injuria.

25 Sextò ita argumentantur, si fidecommissum ex causa delicti confiscatum fuerit, in vita tantùm delinquentis apud fiscum manet, post mortem verò cæteris, quibus competit, restituendum est. 2. disparitatem esse, quod contractus diversi, diversas etiam conditiones ex conventione vi *Reg. 85. in 6.* Recipiant: cùm ergo fidecomissum & feudum sint diversi contractus ideo non ambo sunt ad easdem regulas dirigendi.

26 Septimam denique & efficacissimam rationem adducunt ex tit. *78. 2. feud. ubi hæc habentur. cùm feudum hæreditarium uni ex cohæredibus propriâ culpâ auferetur à paribus per judicium cæteris non præjudicat, hoc autem intelligitur, ut vivo eo vel suis hæredibus feudum ad ceteros venire non intelligatur.* ergo (infertur) mortuo illo vasallo, revertetur illud feudum denuò ad cohæredes. Item eodem libro tit. 98. *vasallus habens feudum deliquit contra Dominum, cui judicatum est: agnati cum Domino litigant: quidam Domino dicunt pertinere, quidam agnato, dicimus autem ad Dominum non pertinere, donec aliquis masculus ex delinquentibus vasallo supersit, alij verò contrarium.* Ut autem hìc textus efficaciam habeant, asserunt Cujacium in Glossa innuere particulam *non* in hoc textu ut errorem Typographi esse delendam.

Uterius in alio quodam loco librorum feudalium habetur si Clericus vel Episcopus, Abbas Beneficium habens à Rege datum non solummodo personæ, sed Ecclesiæ ipsum propter suam culpam perdat, eo vivente, & Ecclesiasticum Beneficium vel honorem habente ad Regem pertineat; post mortem verò jus ad successorem ejus revertatur.

Sed responderi potest ad primum textum, ibidem sermonem esse de casu, quo plures cohæredes dantur, qui eodem tempore in diversas partes relicti feudi succedunt; & de his asseri, quòd pars feudi obveniens delinquenti vasallo cohæredi post hujus mortem accedat reliquis cohæredibus: ex hoc autem nihil infertur pro agnatis, qui primum succedunt defuncto vasallo. Disparitatis ratio est, quia tales actuales cohæredes videntur habere majus jus quam agnati succedentes primùm post descendentes, secundò hic textus videtur nimium probare, quia sequeretur feudum etiam purè hæreditarium sine præjudicio agnatorum alienari non posse, & amussim ob delictum vasalli non redire irrevocabiliter ad Dominum. Ad 2. textum Responderi potest, ex eodem quidem constare authorem illius responsi fuisse hujus sententiæ, ipsummet tamen asserere ab alijs

alijs teneri contrarium, qui fundant se *in § denique tit. 24. lib. 1.* ubi dicitur, *si quidem vasallus ita in Dominum peccaverit, ut feudum amittere debeat, non ad proximos, sed ad Dominum Beneficium revertitur.* Ad 3. loco cit. textum reponi potest hanc singularem mitigationem pœnæ in favorem causæ piæ atque Ecclesiæ statutam fuisse, propterea non esse ad sæcularia extendenda.

Ex quibus omnibus denique colligimus, insistendo significationi strictæ textum feudalium, nequaquam sufficienter probari posse, feudum ex delicto in Dominum commisso amissum solùm ad tempus cum dominio directo consolidari. verùm cùm referente Haunoldo *n. 908. loco cit.* plurimi authores *à* Vultejo *c. 11 n. 71.* §. priorem teneant, tale feudum nequaquam in perpetuum apud Dominum directum permanere, sed delinquente ac filijs, cæterisque illius descendentibus mortuis ad proximum agnatum redire, ideo in locis, ubi consuetudine legitima ejusmodi praxis introducta jam fuit, erit illa observanda, præsertim cùm hac ratione diversæ Doctorum in hoc sententiæ concilientur, & tam Domino directo, quam vasalli agnatis consulatur. Cæterum, quòd illicita alienatione feudum ad Dominum proprietatis exclusis filijs, & agnatis revertatur, defendit Pyrhing *hic §. 5. n. 15.* dummodo alienatio à vasallo scienter sit facta *§. si vasallus lib. 2. feudor: tit. sit de feudo defunct. 26.* Clarus Rosenthaler *c. 9. concl. 6.*

Unum tamen adhuc benè considerandum venit, scilicet in istis Principijs longè deteriorem esse conditionem Domini directi, quàm ipsius vasalli; si enim Dominus directus in vasallum peccando amittat dominium directum feudi, devolvitur hoc irrevocabiliter ad vasallum & in perpetuum: ex opposito dominium utile rediret ad Dominum tantummodo ad tempus & irrevocabiliter.

Supereſt adhuc quæstio de feudo novo gentilitio, an hoc revocabiliter duntaxat ad Dominum directum redeat vel irrevocabiliter. In hoc communis DD. tenet, feudum novum indistinctè redire ad Dominum, & colligunt hoc ex ultimis verbis §. *denique tit. 24.* si *tamen beneficium fuerit paternum.* Hinc è contrario inferunt: ergo si non est paternum sed novum, revertetur ad Dominum & non ad agnatos.

§. V.

§. V.

Resolutio quarti Quæsiti.

An feudum si commissum fuerit ipso jure, per sententiam condemnatoriam amissum fuerit?

28 DIco 1. Regulariter si paucos casus excipiamus non amittitur ipso jure Feudum, sed sententia Judicis debet accedere: *Ita* Clarus §. *Feudum q. 62.* Zas. *p. 10. n. 72.* Borchold. *c. 8. n. 157.* Laym. *l. 3. tract. 4. c. 24. n. 11. v. denique* Rosenthal. *c. 10. de Feudis concluf. 41.* Haunold. *tom. 3. tract. 9. n. 898.* Schraderus, Vultejus, Rittershusius. Conclusio constat *ex lib. 1. Feud. tit. 21. & tit 22. §. 2.*

Tit. 21. ita sonat, Sancimus ut nemo miles sine cognitâ culpâ Beneficium amittat, si culpis illis vel causis convictus non fuerit, quas milites visi sunt nominare, quando fidelitatem faciunt Dominis suis vel per laudamentum pariũm suorum, vel si Dominis suis servire noluerint, tunc condictio causâ datâ proponitur ad repetendum Feudum, ex quo non servit Domino &c.

Probatur 2. generalis regula dicit, quòd regulariter nulla pœna privans jure jam quæsito incurratur absque omni sententia saltem declaratoria criminis, etsi aliàs dicatur ipso jure incursa: ergo &c.

Dico 2. hæc voluntas domini directi debet insuper vasallo declarari. probatur. caducitas hæc fuit statuta in favorem domini, & hinc eidem competit facultas vel revocandi ad se feudum expresè aut tacite, vel renuntiandi huic suo juri: ergo ut vasallus sciat, quòd revocet ad se feudum, debet illius voluntas manifestari saltem tacitè, quod contingit, si post aperturam aut feloniam à vasallo servitia non admittat. 29

Contra priorem conclusionem obijcit Bonerus; attendendo textus juris feudalis amissio feudi non judicis sententiæ, sed *ipsius* causis legitimis, modisque adscribitur: ergo non est necessaria ulla sententia Judicis. probatur antecedens: verba textûs sunt, *cadere à feudo, amittere feudum, carere beneficio beneficium pertinere ad Dominum vel agnatum, ad hos reverti*: ergo &c. ℟. nego antecedens, quia talia verba includunt potius sententiam judicis, hinc *lib. 1. feud. tit. 21.* clarè statuitur: ut nemo miles sine cognita culpa beneficium amittat suum. Item *tit. 22. ejusdem libri §. 2. sit* men- 30

mentio *laudamenti*, *arbitrij Judicis & sententiæ.*

31 Ob. 2. Per quas causas quid nascitur per easdem dissolvitur, sed feudum nascitur ipso jure, & absque judicis sententia acquiritur vasallo: ergo etiam hoc jure amittitur. R. distinguo Majorem per quas causas aliquid nascitur per has etiam dissolvitur, si loquamur de amissione & dissolutione in modum pœnæ per culpam inducta nego, si loquamur de alijs modis, quibus potest amitti feudum, transeat.

32 Dico 3. Ipso jure apertum fuisse feudum, si hoc absque consensu Domini fuit illicitè abalienatum: si tamen emptori traditio jam fuit facta, solùm per sententiam vindicari feudum potest: ita tenet communis Doctorum, & statutum habetur *in cap. Imperialem de probib. feud. alien. per Lotharium: lib. 2. tit. 52.* & *cap. imperialem de probib. feud. alien. per Fridericum lib. 2. tit. 55.* Zœsius *in Epit. p. 9. n. 3.* Clarus §. *feudum q. 31. n. 1.* Rosenthaler *tract. de feud. c. 9. concl. 1.*

CASUS XIX.

De Censibus.

SEmpronius non obstante lege, pro censu annuo quatuor florenorum taxante pretium octoginta, vendit quatuor annuos centum florenis. Ex opposito ipsusmet emit sex annuos solummodo centum: imò jus percipiendi singulis hebdomadis crucigerum, vel singulis mensibus denarium unico floreno.

Q. 1. Utrum stante tali lege, quatuor florenorum annuus census licitè vendatur 100?

Q. 2. Utrum sex annui emantur licitè solummodo centum?

Q. 3. Utrum unico floreno licitè emam censum crucigeri in singulas hebdomades, vel denarij in singulos menses persolvendi?

SYNOPSIS.

§. I.

Prænotanda.

1. *Explicatur natura censuum.*
2. *Qui ex se sunt reservativus, & consignativus.*
3. *Consignativus alius est realis, personalis, & mixtus.*
4. *Alius est perpetuus, alius temporalis, ac redimibilis, alius irredimibilis.*
5. *Differentia contractûs mutui à censuali adducitur.*
6. *Et justum, atque licitum hunc esse probatur.*
7. *Ex quo justitia pretij in hoc contractu sit desumenda?*
8. *Pretium rerum aliud est legitimum, aliud vulgare, seu naturale.*
9. *Pretium legitimum consistit in indivisibili, naturale autem non.*
10. *Legitimum subinde in utilitatem ementium, subinde vendentium, taxatur.*
11. *In determinando pretio ante omnia, quid circa hoc Magistratus statuerit, considerandum.*
12. *Carolus V. quid circa hoc statuerit.*

§. II.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum stante tali lege quatuor florenorum annuus census licitè vendatur 100.

13. *Si pretium naturale, seu vulgare sit majus legitimo & taxato, poterit vendi census pretio naturali.*
14. *Venditor censûs non potest pro hoc exigere pretium vulgari, & legitimo majus.*
15. *Explicatur sensus proverbij:* res tanti est, quanti vendi potest.
16. *Item* lex in re: 21. Cod. mandati.
17. *Quandonam plus dans censeatur excessum donare.*
18. *Quis sit sensus,* legis in causa: 16. §. 4. ff. de minoribus.
19. *Vulgari aut legitimo majus pretium à non ignorante, atque extra necessitatem pro certo censu oblatum potest accipi.*
20. *Præsertim si locorum consuetudo accesserit.*

§. III.

§. III.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Utrum sex annui emantur licitè solummodo centum?

21. Responsio est negativa, si legitimum statutum contrarium adhuc vigeat.

22. Comparandi erunt census vigente etiamnum legali pretio, etsi hoc sit minus vulgari.

23. Caroli V. de pretio censuum olim promulgata lex non obligat, ubi contraria consuetudo est introducta.

24. Subinde etiam amoto omni periculo amittendi censûs plus poterit accipi.

25. Si consueto longè majus periculum detur non recipiendi census à censuario, major etiam census poterit accipi.

26. Idem potest fieri, si censuarius nulla necessitate compulsus ultrò plus censualistæ ad hoc rogato offerat.

27. Idem respectu pretij vulgaris habet locum.

§. IV.

De licentia census personalis.

28. Petenda videtur decisio tertij quæsiti ex licentia censûs personalis.

29. Qui nullo jure naturali est prohibitus.

30. Datúrque in eo æqualitas mercem inter & pretium.

31. Nec damnatus fuit à Martino V. & Calixto III.

32. Potest persona obligari.

33. Pereunte Persona perit jus aliquid percipiendi ex fructibus industrialibus, illius non autem ex bonis aliter aquisitis.

34. Quandonam census personalis à persona ad lucrandum inhabili possit expeti?

35. Etiam realis census ex re uno, vel altero anno infructifera, subinde expeti potest.

§. V.

Substantia Quæsiti tertij expenditur.

36. *Num admisso censu personali nulla usura amplius admittatur.*

37. *Videtur injustus contractus, eò quòd annui 52. crucigeri emerentur 60. crucigeris seu florenо.*

38. *Item quia computatis duobus annis pensiones excedunt sortem.*

39. *Possem licitè 10. florenis comparare 10. crucigeros in singulas hebdomades.*

40. *Si talis census foret irredimibilis, non esset æqualitas inter pretium & mercem: si redimibilis, non differret à mutuo.*

41. *Non tollitur injustitia ex libero, & voluntario consensu censuarij.*

42. *Suppeditatur famulis, ancillis, occasio furandi &c.*

43. *Insuper minori summa emitur, & comparatur major.*

44. *Quia denique in mutuo non licet tale quid ultra sortem exigere.*

45. *Ex fundamentis pro justitia hujus contractûs primum, & potissimum desumitur ex periculo, incommodis, & damno, quibus censualista talis se exponit.*

46. *Quod pretio in favorem vendentium pensiones constituto renuntiare censuarij vendentes possint.*

47. *Insuper de facto sæpiùs ju ad 8. vel decem comparatur 100. florenis.*

48. *Decisio hujus totius controversiæ judicio prudentum erit facienda.*

49. *Respondetur argumentis licare hunc contractum probantibus.*

§. I.

Prænotanda.

1 CEnsus apud Canonistas, & jus quoddam, & ipsum contractum, ex quo tale jus resultat, significat. Prout est ipsum jus, & effectus contractûs, definitur esse jus contractu quodam constitutum percipiendi pensionem ex re, vel persona alterius. Hinc contractus censualis erit, quo jus istud venditur, & emitur. Emptorem talis pensionis nominamus censualistam, vendentem autem censuarium.

2 Dividitur census in reservativum, & consignativum: in illo aliquis transfert rei suæ dominium directum, & utile, ut tamen jus pensionis cujusdam annuæ sibi super

per eadem re reservet. Quòd, si aliquis super persona, aut bonis suis alteri consignet, seu tribuat jus percipiendi pensionem annuam, dabitur consignativus census.

3 Qui est triplex, realis, personalis, & mixtus. realis super re alterius fundatur v. g. prædio, domo &c. Personalis immediatè non obligat bona censuarij, sed super hujus persona, quam immediatè afficit, fundatur. Unde personalis à reali censu distinguitur etiam ex eo, quòd realis rem comitetur, ad quemcunque dein possessorem illa pervenerit, & re tali pereunte, etiam ipse pereat, quæ tamen in personali sensu nullum locum habent. Mixtus denique census est; qui & super re, & simul super persona fundatur, ita ut pereunte re adhuc persona obligata maneat.

4 Alia divisio censuum est in perpetuum, & temporalem: hic vel est ad certum tempus, v. g. quinque vel sex annos: vel ad incertum, ad unius scilicet vel plurium vitam, quem etiam vitalitium vocant. perpetuus econtrario durat per se perpetuò, quòd si tamen iste vel ex parte unius, vel ex parte utriusque contrahentis possit redimi, dicetur redimibilis; si à nullo redimi valeat, irredimibilis & absolutè perpetuus census erit.

5 Ex quibus omnibus differentia mutui à censuali contractu desumitur, quæ in eo consistit, quòd mutuum cum quacunque personâ rectè instituamus, hujusque obligatio ad mutuatarij hæredes, & hæredum hæredes transmittatur non attento ullo ordine ad requisitum aliquod fundamentum, ex oppositio contractus censualis certum fundamentum, in quo fundetur, expostulat, quo penitus sublato, sublatum pariter erit ex censuali contractu aquisitum jus, nisi ob adjectum assecurationis pactum fors possit à censualista repeti. Ratio autem ob quam pereunte re etiam pereat super re tali constitutus census, solet esse; quia pereunte re dominium tum directum tum utile in usufructu consistens perit: ergo etiam peribit census realis, qui vel quasi ususfructus totalis, vel portio ejus, contractu censuali comparatus fuit.

6 Nullum etiam modò dubium supereſt de licentia ac justitia censûs realis tam pecuniarij, quam fructuarij: sive hic sit perpetuus, sive temporalis, modò sit comparatus pretio à lege vel consuetudine loci constituto. Cùm illum legamus approbatum fuisse à Martino V. Calixto III. item Pio V. in sua Bulla, cujus initium *cùm onus*: *edita 1568.* Authoritatem horum Pontificum venerantur omnes Doctores; nec sine fundamento, possum enim donatione, vel legato constituere alteri jus percipiendi partem

fructuum ex domo mea, vinea, vel agro in perpetuum, vel ad certos aliquot annos: ergo hoc ipsum jus etiam alteri pro certo pretio vendere possum; consequenter contractus censûs erit validus.

7 Cæterum cùm superiùs meminerimus ad justitiam hujus contractûs requiri, ut jus istud ad pensiones, debito pretio sit comparatum, ideo notamus, justi pretij normam non esse consensum singulorum contrahentium, cùm in horum potestate neutiquam sit positum pro suo arbitrio augere pretium, vel diminuere. quanitas itaque justi pretij: uti in cæteris quoque emptionibus immediatè desumenda est, ex ipsa hujus portionis præstandæ natura, ac intrinseco valore: nec non ex determinatione legis, vel ex recepto ipsorum contrahentium usu.

8 Unde duplex pretium rerum haberi solet, unum legitimum, alterum naturale: illud est, quod lege Principis vel Reipublicæ, & magistratûs authoritate constitutum est. Naturale verò dicitur, quod sine humana lege, aut decreto ex rerum naturis, conditionibus, & circumstantijs consurgit, & à fori consuetudine, & communi contrahentium usu definitur; uti habetur *lege pretia rerum 63. ff. ad legem falcid.*

9 Illud insuper inter legitimum ac naturale aut, ut alij nominant, vulgare pretium discrimen intercedit, quod legitimum consistat in indivisibili ac latitudine careat, eò quòd potestas publica justum pretium ad unum restrinxerit. Vulgare autem hanc latitudinem admittat, cùm aliud sit summum, aliud medium, aliud infimum.

10 Circa pretium legitimum vel maximè etiam observandum est, quòd illud subinde in utilitatem ementium taxetur, & tunc non licet rem pluris vendere, quamvis possit minoris emi: aliquando in utilitatem vendentium: & tunc non licebit rem minoris emere, etsi pluris vendi possit.

11 Ut itaque justum pretium in comparatione censûs determinetur, videri debet, an non certum aliquod à Magistratu vel Principe quodam constitutum fuerit; si de tali statuto aut lege non constet, videnda erit consuetudo loci, in quo celebratur hic contractus, & quonam communiter pretio certa quædam pensio vendatur, explorandum.

12 Judicant autem communiter omnes, à Carolo V. statutum fuisse, ut jus percipiendi quinque florenos in singulos annos centum florenis comparatur, hâncque constitutionem in bonum & commodum censuariorum, seu vendentium censûs factam fuisse, nemo abnuit, ne scilicet isti necessitate aliqua compulsi ab emptoribus censuum nimiùm gravarentur.

Con-

Constitutionem istam Carolinam, quod concernit, potuit illa instar aliarum legum vel totaliter, & in tota germania, vel quoad partem duntaxat, & in aliquibus duntaxat locis fuisse contraria quadam legitima consuetudine abrogata.

§. II.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum stante tali lege quatuor florenorum annuus census licitè vendatur 100 ?

33 Dico 1. Si pretium legitimum pro 4. florenis annuis sint 80. & pro 3. sint 60., pretium autem vulgare seu naturale sint pro quatuor 100. uti etiam pro 3. tunc non obstante lege taxante 80. pro 4 & 60. pro 3. aliquis venditor poterit 4. annuos, & etiam tres vendere pro 100. Ita Melchior Friderich *de emption. ac venditione parte 3. cap. 5. art. 4. n. 272.* Ratio est, pretium hoc à lege taxatum fuit in gratiam ipsorum vendentium census, ne homines inopia, & penuria ad venditionem censuum compulsi nimis exiguo pretio teneantur illos vendere; ergo relicto legitimo possunt exigere vulgare, seu commune, cùm hoc augmentum non cedat in præjudicium, sed commodum vendentium census, eò quòd centum, & non tantùm 60. pro 3. annuis accipiat.

Confirmatur, quando pretium legitimum, in gratiam venditorum statutum, sit majus, quàm vulgare, tunc vendenti est licitum exigere taxatum, licèt minore pretio, vulgari ematur talis census: ergo ex oppositio, quando taxatum in gratiam venditorum pretium est minus, quàm vulgare, poterit vendens vulgare exigere. Prob. conc. ideo dictum in antecedente licet, quia hac ratione census venditus in nullum præjudicium, sed potius commodum vendentis censum cedit: ergo si etiam in posteriore casu cedat in commodum vendentis censum, etiam id licebit.

Confirmatur: si pretium in gratiam emptorum taxatum majus sit vulgari, potest emptor infra illud descendere, eò quòd taxatum fuerit, ut ab emptore non excedatur pretium taxatum, non autem ut infra illud non descendatur: ergo si pretium legitimum in gratiam venditorum fuit taxatum, & vulgare sit majus; etiam poterit istud vendens excedere, ac petere majus, quia etiam ta-

xa-

xatum est, ut emens infra illud non descendat, minimè tamen ut non ascendat.

14 Dico 2. Si pretium tam vulgare, quàm taxatum pro 4. sint octoginta tantùm, & pro 3. sexaginta, non potest venditor censûs pro 4. annuis exigere, vel accipere 100., & multo minus pro tribus, ita P. Friderich *art. cit.* cum communi aliorum. Probatur. talis venditor accepit plus justo: ergo violavit justitiam commutativam. Probatur ant. justitia pretij non est desumenda ex voluntate solius ementis, aut vendentis, neque in potestate venditoris est augere pretium, vel in potestate ementis diminuere, quantum quilibet vult, ac tantum dare, & accipere, quantum inter ipsos convenerit. ergo si pretium vulgare, & taxatum est diversum, non potest ab hoc fieri discessio: ant. constat *ex lege 33. ff. ad legem aquiliam: & lege 63. ad leg. falcidiam*, ibi: *pretia rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur*, seu quod idem est: *tanti res æstimanda est*, quanti verè est, & omnibus valet, non quanti alicui ex affectione, idem habetur *c. placuit de Empt. & lege 12. Cod. de erogat. milit. annonæ.*

Prob. 2. Æquitas hujus contractûs consistit in æquitate pretij cum re, quæ pro illo exhibetur: sed hæc æquitas non consistit in solo consensu contrahentium: ergo ex solo consensu contrahentium non exoritur justitia hujus contractûs. Prob. min. tam ipsum pretium, quàm ipsa merx habent intrinsecum aliquem valorem, qui neque æstimatione hujus, vel illius emptoris vel venditoris (quæ errare potest,) neque ab horum solorum voluntate, quæ mala esse potest, dependet: ergo hæc æquitas non consistit in solo consensu contrahentium.

Ob. contra hanc ultimam concluf. habet vulgare proverbium Juris-Consultorum, *ex lege pretia rerum 63. ff. ad legem falcid. ac leg. 1. §. 16. ff. ad Senatus Consultum Trebellian.* desumptum: res tanti est, quanti vendi potest: ergo &c. R. dist. ant. res tanti est, quanti vendi potest licitè, seu intra limites justi pretij, conc. quanti simpliciter vendi potest, non exclusis dolo, fraude, ac ignorantia, violentia, necessitate, nimio affectu, ac cæca passione, negatur. 15

Ob. 2. Juxta *legem in re 21. C. mandati*, quisque est suæ rei moderator & arbiter: ergo nemo tenetur alteri rem suam vendere, nisi pro pretio, quod sibi placet. R. conc. ant. neg. conf. quia tantùm sequitur, quòd eam possit retinere, ac regulariter alienare, obligatus neutiquam sit; aut quòd si eandem alienare decreverit, alienare possit ratione, ac modò à legibus definito. Cæterùm in citata *lege mandati* dum asseritur, quem- 16

quemlibet esse moderatorem rei suæ, innuitur duntaxat, Dominum (non verò mandatarium) de re sua ad libitum disponere posse, si nulla lex obsistat.

17 Ob. 3. Qui sciens & prudens dat plus, quàm ipsa res valeat, excessum donare judicatur: ergo contrahentes saltem tacitè inter se in hoc conveniunt, ut venditor lucrifaciat, quod plus accepit, aut emptor, quod minus dedit. R. dist. ant. qui plus dat sciens, & prudens secluso dolo, fraude, ignorantia, violentia, necessitate, nimio affectu, & cæca passione; ille censetur excessum condonare: conc. qui stantibus istis, vel uno tantùm illorum plus dat, censetur excessum donare; negatur. Ordinariè vel ex ignorantia, vel necessitate, aut cæca passione coactus venditor pretium justo minus accipit, aut emptor justo majus persolvit.

18 Ob. 4. Ex Pomponio Ulpianus ait: *lege in causæ 16. §. 4. ff. de minor.* in pretio emptionis, ac venditionis contrahentibus naturaliter licitum esse se circumvenire: ergo &c. R. dist. ant. jure naturali, id est, jure gentium est licitum, hoc est, permissum contrahentibus se circumvenire: conc. est positivè approbatum, ut verè licitum & exclusivum peccati, neg. cùm innumeræ fraudes committantur in his contractibus, ideò jus gentium non concessit cuicunque defraudationi actionem, consequenter permisisse aliquas dici potest. Non gratis autem à nobis asseri in jure *tò licitum* subinde idem significare ac permissum, eruitur *ex leg. semper ff. de ritu nuptiarum: & lege non omne ff. de R. Q.*

Dico 3. Si emptor optimè sciat 19
vulgare, aut etiam legitimum pretium pro 3. esse 60. & secluså omni necessitate 100. offerat, contentus modò annuatim 3. pro illis certò accipiat, censendus est defectum condonare, veritas conclusionis sequitur ex responsione ad object. 3.

Id ipsum multò magis licebit, 20
si ex communi, & usitata praxi aliquorum locorum consuetudo introducta fuerit, ut pro 4. aut 3. annuis solvantur 100. hoc enim supposito vulgare, ac naturale pretium saltem summum erit dare 100. pro 3. aut 4. annuis.

§. III.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An sex annui licitè emantur 100 ?

21 Dico 1. Si actu statutum, à legitima potestate factum, vel jam olim promulgatum adhuc vigeat, vi cujus pro 5. annuis expendendi sint 100. injustitia fuit emptio 6. pro 100. Probatur: pretium lege definitum ab omnibus subditis est observandum, & quidem ex justitia: ergo emens infra statutum pretium peccat contra justitiam, prob. ant. potest lex ob justas causas transferre dominia subditorum privatorum, eisque aufferre jus, si bonum commune id exigat: ergo etiam subditis exigente bono communitatis præcipere, ut tanto & non minore pretio annui census emantur, ergo tale pretium erit observandum.

22 Dico 2. Licèt pretium à tali lege adhuc vigente, atque obligante statutum, non attingat justum pretium vulgare censûs annui, nihilominus tamen illud servandum erit suppositâ justitiâ illius. ita judicant Medina, Bannes, Salon, Lessius *l. 2. c. 21. n. 14.* Salas *de re empta dub. 6. n. 2.* prob. in tali casu æquitas pretij non est pretium vulgare, sed à lege determinatum ergo, cùm servanda sit æquitas pretij, à lege taxato, non autem vulgari, census comparandi erunt.

23 Dico 3. Etsi verum esse supponamus, à Carolo quinto latum fuisse legem, qua obligabat subditos, ut annuum 5. florenorum censum 100. emerent, si tamen in aliqua provincia, vel civitate communiter ab aliquo tempore 6. annui emantur 100. licita & justa videtur talis annui censûs comparatio. prob. omnis lex potest contraria legitima consuetudine iterum abrogari, & supponi potest in talibus circumstantijs fuisse abrogata, saltem si Princeps atque Imperator conscij hujus praxeos nil in contrarium moveant, & olim latæ legis executionem nequaquam urgeant: ergo licèt talem censum emere pretio vulgari: atqui pretium vulgare dicitur, quo communiter comparati merces solent.

Prob. 2. Juxta authores quandocunque notabiliter mutatæ fuerunt circumstantiæ, quæ semel certum valorem alicui merci conciliârunt, etiam ipsa merx amisit suum antea habitum valorem; atqui ita se res habet in censibus, prob.

prob. min. temporibus prioribus & Caroli V. certissimè annuatim solvebantur à censuarijs non requisitis annuæ pensiones, nec ullæ expensæ in obtinendis illis faciendæ erant: modò autem quotidiana experientia docet, censuarios ad satisfaciendum suo debito compellendos, & quamplurimas expensas in hunc finem faciendas: imò & ipsius capitalis in censu redimibili jacturam fieri.

Confirmatur, exponere se periculo non obtinendi censum annuum, aut amittendi etiam ipsam sortem est omnium judicio æstimabile: ergo poterit pro eo aliquid exigi, vel merx oblata viliore aliquo pretio comparari. probatur ant. tale periculum habet rationem damni, eò quòd hominem prudentem etiam non timidum & anxium, reddat solicitum, molestiam non modicam eidem afferendo: sed quod talis damni rationem habet, est utique pretio æstimabile, si illud emptor in se recipiat. ergo &c. Atqui si est pretio æstimabile, potest aliquid pro illo exigi, & taliter vitiosa merx minori pretio emi.

Confirmatur 2. Si merx aliqua credito vendatur alicui cum periculo non obtinendæ solutionis, tunc juxta Joan. Medinam: Petrum Navarrum, Cordubam, Arragon, Molinam *tract. 2. disp. 356* Lessium *l. 2. c. 20. dub. 13. & cap. 21. dub. 6.* Lugo *de justitia disp. 25. à n. 80. & disp. 26. n. 90.* aliosque complures, ob hoc periculum non obtinendæ solutionis augeri potest pretium. ergò etiam vicissim, si ematur merx, quæ non statim tradatur, quando simul periculum datur eandem à vendente non obtinendi, poterit aliquid exigi.

Confirmatur 3. Multùm inrer se differunt emere rem statim sibi tradendam, vel jus ad rem certò vel statim sibi tradendam, & emere jus ad rem, de qua magnum periculum datur, ne illa mihi non obveniat: ergo potest hoc posterius minore pretio comparari. prob. ant. unum ex istis est conjunctum cum magna solicitudine & metu perdendi pensionem: alterum est ab hoc metu immune, consequenter in uno datur novum onus à priore onere distinctum.

Confirmatur 4. *In cap. 6. de usur.* dicuntur peccatum incurrere venditores, si merces pluris vendant ratione dilatæ solutionis, & postea subjungitur: *nisi dubium sit, merces illas plus, minúsve tempore, quo pretium debent recipere, valituras.* ergo in dubio, an res plùs minúsve tempore solutionis valeat, quàm nunc, possum pluris vendere propter periculum perdendi incrementum valoris: ergo etiam possum minoris emere jus ad pensionem annuam percipiendam propter periculum patiendi damnum adæquatum, eò quòd omnino nihil de pensione annua accipiam.

24 Ob. ponamus in particulari aliquo casu nullum omnino adesse periculum non recipiendi censum annuum, eò quòd vel pignore, vel fidejussore censualistæ assecuratio fiat: in talibus circumstantijs non poterunt 6. pro 100. accipi, quia cessat ratio, ob quam solent expeti, periculum scilicet de non accipiendi annuo censu. R. vel ponitur emptio censûs fieri in loco, in quo consuetudo jam invaluit, ut 6. dentur pro 100. vel ponitur fieri in alio loco? Si hoc posterius; concedimus, quòd non possint 6. pro 100. exigi: si prius, negamus: quia pretium justum desumi debet ex communi praxi sic licet aliquis mercator, unde unde demum minoribus sumptibus res suas comparaverit, ac communiter alij sibi comparent, eodem tamen pretio, quo alij suas merces vendere poterit.

25 Dico 4. Si in aliquo loco nondum invaluit consuetudo accipiendi 6. pro 100. videatur autem in censuario periculum non accipiendi pensiones annuas longè majus, quàm communiter in alijs habeatur, tunc ratione hujus majoris periculi etiam 6. pro 100. loco 5. poterunt accipi, ratio conclusionis jam est insinuata in prioris conclusionis probationibus, quod vel maxime locum habet, si talis census ultrò offeratur, & censualista ad illum emendum rogetur, quia merces ultrò oblatæ vilescunt.

Dico 5. Etiamsi in aliquo loco 26
necdum vigeat consuetudo emendi 6. pro 100. si tamen censuarius ultrò offerat 6. pro 100. nulla necessitate ad id compulsus, posse conveniri, ut 6. accipiantur pro 100. prob. neque obstat taxatio, eò quòd scilicet legitimum pretium sit minus, nimirum quinque tantùm floreni: ratio est, quia hæc antiquitùs lata lex ob notabiliter mutatas circumstantias non videtur amplius obligare: cùm Imperatores non ignari contrariæ praxis executionem ejusdem non urgeant, consequenter in abrogationem illius tacitè consentiant.

Major difficultas ratione pretij 27
vulgaris atque naturalis, cui talis emptio repugnat, exoritur, ponitur enim in tali loco communiter jus ad quinque emi centum. his tamen non obstantibus probamus nostram conclusionem. Universaliter pro & in omni loco reperitur illa magna difficultas in aquirendis censibus annuis, & non exiguum periculum & has, & sortem ipsam amittendi: ergo si rationes istæ in pluribus alijs locis minùs æstimabilem faciunt censum annuum, ubique illius valorem minuent.

Prob. 2. Qui tantùm quinque pro centum sunt contenti, non ideò abstinent ab exactione 6. pro centum, quia judicant, illi-

ficitè atque injustè exigi 6. pro centum : sed cùm videant difficultatem in obtinendo censu minus expetunt, ut hoc eò certius obtineant : ergo pretium justum vulgare pro 6. possunt esse centum.

Prob. 3. Modus vendendi mutat pretium : & merx ultrò oblata minori pretio comparatur, quàm alia : ergo si aliquis ultro alterum roget . ut à se censum quendam comparet , offerátque 6. pro centum , poterunt in istis circumstantijs taliter emi.

Confirmatur à pari. etsi ab Episcopo , vel ex consuetudine statutum sit , ut pro labore in sacrificando habito non dentur pauciores , quàm 30. crucigeri , quia tamen hæc lex in favorem sacerdotis est lata, hinc sequitur, quòd sæculares non possint compellere sacerdotem, ut minus stipendium pro una missa exigat ; interea tamen poterit ille minore stipendio esse contentus , si vellit , cùm etiam omnino gratis posset pro altero celebrare : ergo idipsum etiam de præsenti casu censuum est tenendum , cùm sint omnia paria. Videtur igitur talis censuarius saltem liberaliter plus solvere.

Confirmatur. multitudo ementium , & raritas vendentium auget pretium , & ex opposito paucitas ementium , & pluralitas vendentium minuit pretium : ergo si multi adsint , qui offerunt census vendibiles & pauci , qui possint aut velint eosdem emere , potest etiam decrescere pretium censuum.

§. IV.

Quid de Justitia Census personalis sit tenendum?

28 CUm similes, de quibus quæsitum tertium agit , census communiter vendant, qui rebus immobilibus sunt destituti , uti sunt ancillæ , famuli , opifices &c. hinc justitia talium censuum ante omnia petenda erit ex licentia censûs personalis , qui in nulla determinata re constitutus , ipsam personam afficit, quæ ad solutionem obligatur, ex quibuscunque bonis habuerit.

Ejusmodi censum personalem à nullo naturali jure reprobatum esse , defendunt Lessius *l. 2. c. 22. dub. 4. Salas de censibus dub. 3. n. 3.* Laym. *l. 3. summæ sect. 5. tract. 4. c. 18. concl. 3.* Palao *de justit. disp. 6. pu. 11. n. 2. citans plures pro hac sententia.*

Prob. idipsum ratione : *Vi cap. decimæ 16. quæst. 1. cap. non est : cap. Apostolicæ : & cap. pastoralis : de decimis* imponuntur decimæ per-

sonales : item tributa regalia imponuntur personis *lege ultima §. Lucius Titius : ff. de contrab. emptione* : ergo etiam possunt emi census personales, prob. cons. quod lege imponitur, etiam conventione potest statui : ergo &c.

Prob. 2. Bartholus *in lege qui sit fugitivus §. apud labeonem : ff. de Æditio edicto* Tiraquell. *lib. 2. de utroque retractu §. ultimò n. 127.* Navarrus *l. 5. de usur. consi. 4. edit. 2.* Binsfeld, Laym. *de censibus n. 12.* defendunt, licet contractus dubij & incerti juris, & usuræ speciem aliquam præseferre videatur, eundem tamen propterea non statim injustum, aut usurarium dicendum, quando in aliqua provincia præsertim à viris doctis, & honestis est solitus celebrari : atqui census personalis est talis, cum per universam Galliam, Germaniam & Belgium celebretur &c. ergo &c.

Prob. 3. In censu reali ex rebus fructiferis potest emi jus percipiendi partem talium fructuum : ergo etiam in censu personali comparari jus ad percipiendam portionem ex fructibus, quos talis persona industria sua & laboribus facit prob. con. ejusmodi persona non minus est fructifera, ac cæteri fundi : ergo.

30 Objicies cum adv. in tali contractu non datur æqualitas inter pretium, & rem emptam prob. cumulus plurium pensionum multùm excedit pretium. R. n. ant. in prob. c. ant. n. con. ratio. est, quòd immediatè non emantur pensiones sed jus ad illas : hoc autem non æstimatur tanti, quanti sunt ipsæ pensiones, eò quòd plurima incommoda, & difficultates in eisdem obtinendis subeunda maneant.

Ob. 2. Martinus V. *in extravag.* 31
1. & Calixtus tertius in extravag. 1. de emptione & vend. inter communes approbarunt solos census reales : accedit, quod Pius V. in sua extravagant : de censibus statuerit, ut census super re immobili, & non aliter constitui possit : ergo &c. R. n. 2. prælaudati etenim pontifices solumodo statuerunt reddendam minimè sortem esse, si perierit res illa, super qua census constitutus fuerat, num autem in talibus circumstantijs census etiam inposterum persolvi debeant, in illis extravagantibus nequaquam definierunt. Accedit, quod Nicolaus V. uti etiam Gregorius XIII. in suis constitutionibus de censibus expresè asserant, obligari in censu personam posse, hujusque obligationem præcipuam esse, non obstante quòd aliqua bona, jure hypothecæ aut pignoris in securitatem assignata fuerint. Constitutionem Pij V. quod attinet, in hac nequaquam declarantur census personales tanquam illiciti ; sed tantùm, ne constituantur, præcipitur, ut omne videlicet usuræ periculum evitetur. cùm autem ista constitutio vel omnino in his partibus nunquam re-

recepta, vel si recepta, contraria consuetudine fuerit abrogata, hinc illa nostræ sententiæ obesse nequaquam videtur.

32 Ob. 3. Nulla persona potest ad solutionem personalium pensionum astringi: ergo &c. ℟. dist. ant. non potest ita astringi, ut emens censum aquirat jus aut dominium in ipsum corpus censuarij; con. ita ut obligetur ad solutionem ex suis bonis, quæ jam possidet vel sua industria ac labore possessura est, negatur.

33 Urgent. pereunte persona non perit census: ergo personæ annecti census nequit. ℟. dist. ant. pereunte persona non perit census, quo emptum fuit jus ex bonis industria censuarij primum aquirendis, neg. quo emptum fuit ex bonis omnibus censuarij quomodocunque aquisitis, subdist. non perit, si remaneant talia bona, conc. si nullum tale bonum remaneat; negatur.

34 Urgent: ponamus casum, quo talis persona vel morbo, vel quacunque alia ratione impediatur à labore, ita ut nullum lucrum facere possit: non potest dici, num aliquis census tunc possit exigi, vel non: ergo &c.

℟. Si solum jus percipiendi censum ex fructu laborum fuerit emptum, neque ullo alio pacto conventum, ut etiam pensio solvatur, licèt nullum lucrum ex laboribus. aut industria sua factus esset, nullum tunc census præstandum esse, qui tamen etiam initis circumstantijs exigi poterit, si tale aliud quoddam pactum fuerit initum.

35 Dein Lessius, Tanner: & Pirhing docent, per se loquendo, deberi censum realem super re aliqua constitutum, etsi res ista uno vel altero anno nullos fructus redderet, modo hic defectus compensetur, vel possit compensari multitudine fructuum, quos cæteris annis protulit, vel prolatura est: ergo idem de censu personali tenendum erit.

Advertit etiam Lessius, ut talis contractus censuali superadditus valeat, hanc aliam censuario superadditam obligationem justo pretio compensandam, & pretij quantitatem ex judicio viri prudentis, & probi desumendum esse, postquam eventus periculum, num hoc magnum, vel parvum expensum fuerit.

36 Ob. 4. Si admittatur census personalis, nulla amplius usura committetur: prob. quandocunque aliquid exigitur ultra sortem, semper poterit exigi ut census: ergo &c.

Confirmatur hac ratione non amplius concedetur alicui mutuum, quia semper aliqua pensio annua exigetur. ℟. dist. ant. Nulla usura committetur, si persona ratione sui laboris, & industriæ sit fructifera, & emptor intendat expresè emere censum ex fructibus talis personæ: conc.

si unum ex his desit : negat. ant. etiam Lessius *lib. 2. cap. 22. dub. 6. n. 44.* licitam fore hujusmodi emptionem. Si reipsa verè emptor intendat emere censum, quia intendit emere actionem personalem alterius, seu jus ad partem lucri ex illa provenientem. Dein simile argumentum formari potest contra justitiam census realis, seu constituti supra fructus ex alterius re immobili producendas.

Ad Confirmationem dico, per hoc non evertendam rationem mutui : cuilibet enim adhuc liberum manet mutuum, vel censum celebrare.

§. V.

Substantia Quæsiti tertij expenditur.

Utrum unico floreno licitè emam censum crucigeri in singulas hebdomades, vel denarij in singulos menses persolvendi?

POstquam ostendimus personalem censum justo pretio comparatum, non illicitum esse, restat examinandum, an jus accipiendi singulis hebdomadis crucigerum justo pretio comparetur, si unico floreno ematur.

37 Rationes pro sententia negativa possunt esse. Prima cum 52. hebdomades conficiant integrum annum, sequitur, quòd jus percipiendi annuatim 52. crucigeros ematur uno floreno ; atqui hoc pretium est minus communi. vulgari, atque ordinario pretio. Prob. minor de facto emitur jus percipiendi annuatim florenum 20. florenis : ergo &c.

38 Secunda. Quando cumulus pensionum excedit sortem, tunc injusta est emptio, quia non datur æqualitas inter mercem & pretium : atqui tales pensiones, si duobus solùm annis computentur, jam excedunt florenum, cùm conficiant florenum, & 44. crucigeros.

Tertia. Si uno floreno possum 39
emere jus percipiendi hebdomatim unum crucigerum, tunc 10. florenis possum comparare jus percipiendi hebdomatim 10. crucigeros, & consequenter annuatim 520. crucigeros, seu 8. florenos, item 100. fl. possum emere jus percipiendi annuatim 520. crucigeros, qui conficiunt plures quàm octoginta sex florenos : atqui hoc est & legitimo, & vulgari pretio contrarium : ergo &c.

Quæ-

40 Quarta. Vel unico floreno emo censum irredimibilem, ac perpetuum, hoc est perpetuum jus accipiendi hebdomadatũ crucigerum, vel emo censum redimibilem? si irredimibilem, tunc non est æqualitas inter pretium, & rem emptam; si redimibilem non videtur differre à mutuo.

41 Quinta. Neque impeditur injustitia hujus contractûs ex eo, quod vendens censum ultroneè, ac liberrimè consentiat, imò ipsusmet offerat in singulas hebdomades crucigerum, vel denarium in singulos menses: ista enim omnia facit ex necessitate, ac indigentia pecuniæ compulsus. 2. Pretia rerum non dependent à privato contrahentium consensu, sed à lege, vel communi consuetudine provinciæ.

42 Sexta. Ejusmodi contractus cum ancillis, famulis, aut de pauperatis hominibus alijs initi præbent causam plurimis furtis & injustitijs: eò quòd sine istis non habeant, unde singulis mensibus, aut hebdomadis promissum censum persolvant.

43 Septima. Perinde est emere pecuniam solvendam simul, ac emere illam per partes: ergo cùm major pecuniæ summa simul solvenda non possit emi minore; neque majori pecuniæ summa per partes solvenda, poterit minore emi, atqui hoc fieret suppositâ licentiâ hujus contractûs. Prob. min. ponamus casum, quod ego ad duos annos emam floreno jus ad recipiendum singulis hebdomadis unum crucigerum, conficient isti finitis duobus annis unum florenum cum quadraginta quatuor crucigeris: sed hæc summa est major floreno, quo fuerat empta: ergo &c.

Octava. Secluso damno emergente, vel lucro cessante non possum mutuare centum sub obligatione reddendi quindecim: in singulos annos per decennium. ergo neque emere. 44

Allatæ hactenus rationes conantur evincere, illicitum esse emere censum realem, vel personalem minore pretio ad determinatum tempus, quàm sit cumulus pensionum. Proponendæ sunt modo etiam rationes, quæ justam ejusmodi emptionem futuram asserunt. Supponunt autem illarum aliquæ, pensiones singulis hebdomadis, vel mensibus divisim solvendas esse, & hinc sic argumentantur.

Primò. Absolutè potest aliquis licitè emere censum, seu pensionem ad certum tempus constitutam pretio minore, quàm sint omnes pensiones speratæ simul sumptæ: ergo etiam poterunt ad certum tempus emi pensiones pretio aliquo absolutè quidem majore, non tamen multùm excedente pensiones omnes totius anni. Prob. ant. in tali casu non emuntur ipsæ pensiones, sed solum jus ad illas divisim accipiendas, sed 45

jus hoc potest minori pretio emi: prob. min. hoc jus accipiendi divisim pensiones est longè minùs æstimabile, quàm ipsæ pensiones collectim acceptæ, & simul præsentes. Prob. ant. in debito tot in tempora distributo reperitur continuum periculum interitûs, adsunt quam plurimæ difficultates, faciendæ expensæ in obtinendis pensionibus: ergo hoc jus minoris est æstimationis, quàm sint ipsæ pensiones actu præsentes. Prob. nunc etiam consequentia primi enthimematis: talis emptio foret justa: ergo poterunt ad certum tempus emi pensiones pretio aliquo absolutè quidem majore, non tamen multùm excedente pensiones omnes totius anni. Prob. ant. suppositâ veritate primi antecedentis in hoc argumento, pretium justum potest esse, licèt sit hoc minus, quàm omnes speratæ pensiones simul sumptæ: ergo etiam erit justum, si pretium sit aliquantulum majus pensionibus speratis simul acceptis.

Confirmatur. Potest emi census perpetuus, & tamen successu temporis aderunt tot aliquando pensiones, quæ multùm excedant pretium, quo comparatus fuerat census. Ergo etiam poterit taliter emi census temporalis: prob. cons. census temporalis non plus valet, quàm perpetuus: ergo si perpetuus potest emi, etiam poterit taliter emi temporalis.

Pro justitia ejusmodi emptionis allatæ in antecedente hujus argumenti adducuntur Conradus *q. 79. & 80.* Covarr. *cap. illo 7. n. 4.* Cajetan. *V. usura sub finem:* Navarrus *cap. 17. n. 230.* Lessius *de justitia lib. 2. cap. 22. dub. 6. n. 42.* Salas *de censibus dub. 4. n. 2. & 4.* Palao *de censibus pu. 12. n. 2.*

Hoc ipsum constat ex *lege ultima Lucius Titius ff. de contrah empt. & lege necessariò §. ultimo ff. de periculo & commodo rei venditæ, docet etiam* Bartol. *in leg. eatenus ferro §. qui maximos ff. de republicanis & vectigal. & in lege si ita §. ultimo ff. locati & conducti.*

Cùm igitur modo sufficienter probabilis fuerit reddita justitia Emptionis, quæ minore pretio ad determinatum tempus emat censum, quàm sit cumulus omnium pensionum illius temporis in particulari. Modò examinandum restat, an unico floreno hebdomodarius census unius crucigeri, vel menstruus unius denarij ad integrum annum comparari possint, etsi hæ pensiones simul collectæ multùm accedant ad florenum, qui fuerat illorum pretium valor itaque juris ad 52. crucigeros in singulas hebdomades divisim accipiendos vel maximè ex eo decrescit, quia sunt summopere inepti ad lucrum aliquod ex ijs faciendum, quod tamen facere ex integro floreno præsente facilè possum. 2. æquè illi inepti sunt ad succurrendum necessitatibus occur-

currentibus. 3. singuli crucigeri divisim accepti facillimè iterum amittuntur, distribuuntur in alios, & in fines utiles expenduntur, ita ut juxta communem experientiam ejusmodi divisim accepti crucigeri rarissimè & difficillimè eousque asserventur, usquedum integrum florenum conficiant, atque utiliter & in commodum notabile sui Domini expendi possint, ergo emere floreno istud jus, est se exponere ordinario, ac certissimo periculo amittendi talem florenum, & utilitatem ex illius possessione obtinibilem.

Hæc sola incommoda, & detrimenta, quæ emens subire cogitur, merito quemcunque ab emptione ejusmodi juris absterrere possunt: his ulterius accedunt difficultates, quæ in ijsdem obtinendis subeundæ; molestiæ in expetendis, atque expensæ apud judicem, ut renuentes satisfacere compellat, faciendæ; Imo maximum subinde & non vix commune, ac universale periculum ipsius amittendæ sortis incurritur, eò quòd tales modici census ut plurimùm à depauperatis viduis famulis, junioribus opificibus, atque ancillis domesticis vendantur, quæ sæpius inscijs Creditoribus clanculum se aliò conferunt, ita ut Creditores ubinam eos convenire possint, & debeant, nullatenus inveniant. si igitur pro magnitudine periculi, cui & sors & annuj census exponuntur, decrescit valor juris ad censum, ex allatis rationibus quamplurimùm ejusmodi juris valorem diminui necesse est.

Secundò. Justitiam hujus contractûs etiam illud suadere non improbabiliter videtur. quòd legitimum pretium statuens pro emptione juris ad 5. solvantur 100. lata sit in emolumentum atque commodum ipsus vendentis censuarij: ergo ille ultrò poterit cedere huic suo juri, & censum alteri super se aut super rebus suis constituendum minori pretio distrahere. 46

Tertiò. Plures emerunt jus ad decem, octo, septem, sex, centum florenis, hos tamen non audimus sibi alicui conscientiæ ducere, quòd à taxato & consueto pretio discedant: ergo &c. 47

Itaque cùm rerum pretium ex judicio prudentum, omnibus circumstantijs perpensis formato, statuendum sit, huic decidendam totam istam controversiam relinquimus: quòd si in quibusdam locis jam invaluerit etiam apud timoratos & doctos legitima consuetudo emendi tam exiguo pretio prædictum jus ad crucigerum in singulas hebdomades accipiendum, sine injuria tales contractus celebrari posse, nonnullis apparebit, eò quòd vulgari pretio res distrahere & sibi comparare, cuilibet concessum esse, communis sententia doceat.

49 Cæterum ad argumentum num. 45. pro licentia talis censûs allatum, respondeti potest: transf. vel concesso ant. dist. consequens, ergo potest etiam emi census pretio superante aliquantulum pensiones speratas simul acceptas, potest tali pretio emi ille ipse numero census, qui minore potest emi, sine injuria vendentis, conc, cons. potest alius quicumque census, emi etiam minore tali pretio: subdist. si statutum Principis, vel consuetudo legitima eundem approbaverit, conc. si hæc approbatio non accesserit: negatur. Jam sæpiùs alibi insinuavimus, justitiam pretij ex statuto Principis aut communi & invalescente consuetudine ementium esse desumendam, his accedit, quòd pretio centum florenorum possem emere annuam pensionem 86. florenorum: hoc autem videtur esse nimium: mala hinc erit illatio: centum florenos possum emere annuos quinque: ergo etiam, octoginta sex florenos: quod tamen sequeretur, si ex antecedente argumenti subjuncta consequentia flueret.

Argumento n. 46. allato videtur satisfieri, si dicatur, censuarium necessitate quadam compulsum plus consueto obtulisse, hinc instar solventis usuram nequaquam excessum donare censualistæ.

Quæ denique num. 47. fuerunt allata: ex eo diluuntur, quòd licitam ejusmodi emptionem fecerint consuetudines locorum: tum quòd excessus venditæ pensionis annuæ non ita enormiter superet ordinariam tali pretio vendi consuetam pensionem, prout hanc superat cruciger in singulas hebdomades persolvendus, si unico floreno ejusmodi pensio duntaxat empta fuerit.

CA-

CASUS XX.

De fructibus pignoris in sortem computandis.

EUstachius à Sebastiano ob mutuum huic concessum accipit in pignus rem quandam fructiferam.

Q. 1. Num in sortem computandi sint fructus pignoris, si hoc antea Eustachio nullatenus obligatum fuerit?

Q. 2. Quid tenendum, si pignus sit Feudale?

Q. 3. Si esset Emphyteuticum, usufructuarium, Usuarium, conductitium?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Num in sortem computandi sint fructus pignoris, si hoc antea Eustachio nullatenus obligatum fuerit?

1. *Variè accipitur nomen pignus.*
2. *Pignus pro contractu sumptum definitur.*
3. *Pignus latius acceptum complectitur hypothecam.*
4. *Res opignoratæ possunt fuisse jam antecedenter accipienti eas in pignus obligatæ, vel non.*
5. *Explicatur status quæstionis.*
6. *Ratione damni emergentis aut lucri cessantis aliquid fructuum retineri potest.*
7. *His cessantibus causis fructus percepti in sortem computandi sunt.*
8. *Creditor jus quidem reale in pignore habet illud tamen suis pecunijs annumerare non potest.*
9. *Non obstat exemplum mutuatarij.*
10. *Compensationem tamen expen-*

sarum atque laborum ex fructibus poterit facere.

11. Nec modicos fructus absque præsumpta licentia debitoris poterit percipere.

12. Etiamsi ipse debitor non coluisset agrum,

13. Potest tamen expensas, & laborem suum deducere.

14. Et quidem non solas necessarias, sed etiam utiles.

15. In contrarium nihil probat cap. Salubriter de Usuris.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Quid de fructibus pignoris Feudalis sit faciendum?

16. Status quæstionis exponitur.

17. Videntur ejusmodi fructus computandi in sortem, ut evitetur usura.

18. Licèt vasallus onere obsequij personalis excusetur.

19. Præsertim si fructus percepti multùm superent pensionem vel obsequium à vasallo præstandum.

20. Accedit, quòd dominium utile hic non consolidetur cum directo.

21. Aut Feudum sine onere quidem, non tamen sine præcedentibus meritis vasallo collatum.

22. Si Feudum ad Ecclesiam vel monasterium, ut ad Dominum directum, spectans, sine pretio aut præcedentibus meritis pro obsequio personali concessum, in pignus Domino directo cesserit, fructus illius non erunt in sortem computandi.

23. Idem de Feudo ad sæcularem spectante tenendum erit.

24. Ob consuetudinem in contractu Feudali introductam.

25. A vasallo tamen obsequium personale, aut pensio realis exigi non poterunt.

26. Prædictis etiam locus est, licèt fructus excedant æstimationem obsequij aut pensionis.

27. Non omnes tamen sibi retinere Dominus poterit, si Feudum industria Vasalli melioratum fuerit.

28. Aut in compensationem præcedentium meritorum collatum.

29. In Feudo franco fructus in sortem computandi sunt.

30. 31. 32. 33. Satisfit argumentis contrarijs antea adductis.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An idem liceat circa fructus pignoris Emphytevtici, usufructuarij, usuarij, conductitij?

34. Fructus boni Emphytevtici probabilius non sunt computandi in sortem.

35. Non obstat Obstat cap. ex insinuatione : de Feudis & cap. conquestus, 8. de usuris.

36. Fructus tamen ex pignore usufructuario, usuario, & conductitio in sortem computandi erunt.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Num in sortem computandi sint fructus pignoris antea omnino liberi?

1 PIgnus aliquando sumitur pro ipsa re, quæ Creditori pro securitate debiti traditur aut obligatur, in hoc sensu dicimus, pignus hoc esse idoneum, traditum, venditum, distractum, restitutum *juxta* §. *1. Instit. quibus alienare licet.* aliquando hoc nomen sumitur pro ipso pignorationis contractu, sive actu, quo rem alteri tradimus vel obligamus. *Lege 1. § fin. ff. de pactis & Lege 1. prin. & §. 1. ff. de pignorat. actio.*

Subinde etiam accipitur pro jure, quod in re sibi tradita vel obligata Creditor habet. *lege 1. prin. & §. 2. ibi pignori obligaverit ff. de pignoratitia actione.*

2 Prout nomine pignoris ipse contractus significatur, definitur istud, quòd sit contractus nominatus, bonæ fidei, quo Creditori res traditur, vel in ea jus ipsi constituitur ad debiti securitatem. *Lege 1. & Lege : si convenit 18. prine. ff. de pignorat. actione.* Ex qua definitione colligimus hujus contractus pignoratitij finem esse Creditoris securitatem, ut enim iste faciliùs consequatur suum debitum unà cum persona debitoris etiam ipsum pignus, seu res oppignorata Creditori

ditori est obligata, ita ut ex ista satisfacere sibi valeat, si debitum aliter consequi nequeat *juxta Legem plùs 25. ff. de R. J.*

3 Accipitur autem pignus & strictiùs & latius; si pro hypotheca etiam accipiatur, sumitur latiùs, & consistet in re quadam immobili. strictiùs autem sumitur, si res mobilis oppignorata fuerit. Item in hypotheca solus consensus, seu conventio intervenit, qua res plerumque immobilis sine actuali traditione alteri obligatur, ut habetur *in Lege: si rem 9. §. 2. ff. de pignor. actione.* In contractu oppignoratitio autem consensui accedit traditio.

Faciendum est aliquod discrimen inter ipsas res, quæ oppignorantur, potest enim hæc esse, vel feudalis Emphytevtica, usufructuaria, usuaria & conductitia vel omnino libera, & illi, cui in pignus datur nullo modo adhuc obligata.

4 Casu igitur, quo res aliqua immobilis & fruges proferre nata cuidam oppignoretur, dubium moveri potest, num fructus ex illa prognatos in suum commodum convertere possit Creditor, ita ut ex summa debita seu sorte ipse debitor illos nequaquam possit detrahere v. g. dedi Paulo mutuos 1000. florenos, in pignus iste concedit agrum, ex quo singulis annis percipio frumentum 50. florenis æstimatum, post decennalem possessionem collegij 500. fl. quæritur igitur an Paulus expungat totum debitum mille sibi mutuò datorum florenorum, modo 500. adhuc restituat, vel utrum reddendi illi adhuc sint mille floreni?

Circa hoc dubium conveniunt 6 Authores, casu, quo Creditori ex mutuo alteri dato eveniret aliquod damnum, & cessaret quoddam lucrum, vel adesset periculum amittendæ sortis, fructus à Creditore posse percipi saltem in illa quantitate, quæ judicio virorum prudentum compensaret damnum inde exortum: cùm autem hæc omnia abesse possint, quid in cæteris casibus liceat, erit examinandum, & quidem cùm, juxta dicta sint variæ species pignorum, de singulis aliqua delibabimus.

Dico 1. Pignoris fructus in sor- 7 tem computandos, sive ut partem solutionis debiti habendam, consequenter hujus quantitatem considerata quantitate fructuum à Creditore perceptorum diminuendam esse, aut etiam omnino extinguendam, si à fructibus perceptis adæquetur. Ita communis DD.

Probatúr Conclusio *ex cap. 1. & 2. cap. conquestus de usuris, cap. cùm contra cap. significante: de pignori. cap. ad nostram 1. de Jurejur. Lege 1. & 2. Cod. de pignorat. action. Lege 1. Cod. de distract. pignor.*

Probatur ratione; Fructus sunt pars rei oppignoratæ: ergo se-

quun-

quuntur dominium istius *Lege fructus 33. ff. de R. V.* sed hoc est penes debitorem *juxta Legem cùm & sortis 35. §. 1. ff.* & *Lege pignus 9. Cod. de pignorat. actione*: ergo etiam fructus penes hunc erunt.

Probatur 2. Talis intenderet aliquid accipere ultra sortem: sed ultra hanc in mutuo non licet aliquid accipere extra casus antea adductos: ergo &c.

Confirmatur omne pignus tantumodo datur propter securitatem, non autem ut Creditor ex illo lucrum percipiat *Lege si pignore 54. §. 1. ff. de furtis &c.*: ergo &c.

8 Dices: Creditor habet jus reale in pignore: ergo fructus sunt illius. R. distinguo antecedens: habet in eo jus reale, ut tamen in illius bonis nequaquam numerari possit, concedo, ut possit, nego antecedens, & consequentiam.

9 Dices 2. Mutuatarius potest percipere fructus ex re mutuo data perceptos: ergo etiam pignus possidens. R. nego paritatem: mutuò enim data res juxta Legem: *mutuum 2. §. 2. ff. de rebus Creditis* transit in dominium mutuatarij, & quælibet res fructificat Domino suo.

10 Dices 3. Juxta hæc principia retentio pignoris erit Creditori damnosa: probatur. debebit jacturam pati expensarum, laborum, in colendis v. g. agris & colligendis fructibus factorum, & horum loco nihil poterit ex fructibus retinere. R. eundem posse expensas ac pretium laborum subtrahere, hinc in sortem computandi eidem erunt illi duntaxat fructus, qui supererunt detractis æstimatione laboris, & necessarijs atque utilibus expensis in culturam factis, uti & damnum emergens & lucrum cessans.

Dices 4. Saltem cum *Soto lib.* 11
6. de Just. q. 1. art. 2. ad finem Saa admitti potest, licere Creditori percipere fructus modicos ex pignore, si Dominus illud colere neglexisset. probatur. tales fructus sunt annumerandi fructibus industrialibus. R. negando. prout etiam negant Navarrus *cap. 17.* Molina *disp. 320.* Rebellus *2. p. 1. de Just. lib. 8. q. 11. n. 2.* Lessius *lib. 2. cap. 20. dub. 16. n. 137.* Salas Palao. eadem enim est ratio pro modica parte, quæ pugnat pro magna, nisi præsumere prudenter Creditor possit, debitorem non fore in hoc invitum, & liberaliter illos donare.

Dices 5. Si Creditor agrum si- 12
bi oppignoratum non coluisset, nullum fructum attulisset Domino, & tamen ad restitutionem aliquorum fructuum non potuisset obligari Creditor: ergo neque obligari poterit, si coluit. R. antecedens ab authoribus juxta Palaum *de Just. cap. 4. pu. 19. n. 4.* negari, eo quod Creditor teneatur in custodiendo, colendóque

dó que pignore illam adhibere diligentiam, quam prudens ac vigilans custos adhiberet : ergo si ob hujus diligentiæ omissionem nullos fructus colligat, suæ culpæ id tribuere debet & hinc debitori Domino compensare fructus, quos ex culpa lata & levi colligere omisit, ita Vasquez Salas.

13 Dices 6. Hac ratione Creditor etiam maximum incommodum ex pignore fructifero perciperet, quia in commodum debitoris deberet colere bona illius, nullo ex hac sua industria percepto fructu. ℟. quòd ipse Creditor non solas expensas, sed etiam labores possit deducere. expensas quidem vi *cap. 1. & 2. de usuris : & cap. ad nostram 1. de Jurejurando,* laborem autem, quod etiam hìc nomine expensarum comprehendatur *juxta cap. ad nostram de reb. Eccles. non alien.* cum Creditor nequaquam sit obligatus inservire debitori gratìs.

14 Dices 7. Si expensæ deduci possent, vel possent omnes vel solùm necessariæ : neutrum potest dici. ℟. non solas expensas necessarias, sed etiam utiles deducendas esse, cùm ambæ in utilitatem Domini pignoris cedant. ita sentiunt Sylvest. *V. pignus. qu. 13.* Angel. Saa : Gregorius Lopez, Salas *de usuris. dub. 21. n. 3.* Palao *de Just. disp. 4. pu. 19. n. 6.*

15 Dices 8. Juxta Innocentium tertium *in cap. salubriter : de usuris* : excusatur gener ab usura non recipiendo in dotem fructus ex pignore dotali perceptos : ergo etiam à reliquis Creditoribus fructus pignoris non debent in sortem computari. ℟. concesso antecedente nego consequentiam. Ratio est, quòd fructus pignoris interim, dum dos non solvitur, fuerint concessi genero tanquam pars dotis ad onera matrimonij sustinenda, prout scimus à socero filiæ & genero sæpiùs concedi alimenta dum dos soluta fuerit. Hinc istorum fructus genero conceduntur non in securitatem ipsius dotis, sed quia matrimonij onera sustinere debet, & in hunc finem, ut illa sustineat. Conceduntur etiam ejusmodi pignoris fructus genero absolutè absque obligatione refundendi illos soluto matrimonio.

§. II.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Quid de fructibus pignoris feudalis sit faciendum?

16 IN priore §. vidimus fructus pignoris fructiferi in sortem à Creditore computandos esse; quia autem contingere potest, ut vasallus à Domino proprietatis mutuas pecunias accipiat, eique in pignus bonum feudale fructiferum concedat, controversum manet, an Dominus directus fructus interea ex hoc pignore feudali perceptos debeat computare in sortem, atque à summa debita detrahere, vel non?

Movetur autem quæstio de feudo propriè dicto, seu concesso vasallo sub onere cujusdam certi obsequij præstandi sine pensione aliàs in Emphytevsi persolvenda.

Secundò advertendum aliqua feuda gratis concedi sub onere personalis obsequij, alia verò datâ pecuniâ fuisse à vasallo coempta: item subinde feuda etiam à vasallis meliorata fuisse.

17 Quòd in sortem computandi sint talis feudalis pignoris fructus, videtur ex eo patere, si non computentur in sortem, tunc Dominus directus committit usuram. Probatur. accipit aliquid, scilicet ipsos fructus, ultra sortem, sed qui accipit aliquid ex mutuo præcisè ratione mutui ultra sortem committit usuram: ergo &c.

Secundò si nulla committeretur 18
usura, ratio foret, quia vasallus deobligatus esset à solvenda pensione vel ab obsequij personalis præstatione: sed ob hoc non excusatur Dominus directus ab usura, probatur minor. nihilominus accipit aliquid ultra sortem. probatur. vasallus debitor in hoc casu est obligatus, ut in se hanc obligationem suscipiat, & permittat fieri hanc commutationem: ergo &c.

Tertiò potest contingere, ut 19
pensio solvenda à vasallo sit longe minor quàm ipsi fructus pignoris feudalis, vel obsequium personale: ergo adhuc committetur usura: quia aliquid accipitur ultra sortem.

Quartò neque ideo Dominus 20
directus ejusmodi feudalis pignoris fructus potest percipere, quin illos in sortem computare debeat, quia in tali casu dominium utile iterum consolidatur cum dominio directo: hoc enim est falsum. probatur minor, si vasallus dominium utile in pignus feudale ampliùs non haberet, non posset esse pignus quoddam,

cùm hoc non sit sub dominio illius, cui oppignoratum est, quia nullus propriam suam rem in pignus habere potest.

21 Quintò, quando etiam nulla pensio est Domino directo persolvenda, vel nullum obsequium personale exhibendum; sæpiùs tamen ejusmodi feuda fuerunt pecunijs vel magnis obsequijs, Domino proprietatis antea exhibitis, comparata: ergo si fructibus tunc privatur vasallus, committetur usura,

22 Dico 1. Si feudum spectet ad Ecclesiam vel monasterium tanquam ad suum Dominum directum, insuper gratis sine pecunia & in nullam compensationem præstitorum antea à vasallo meritorum huic concessum, cum onere tamen pensionis vel obsequij personalis præstandi, fructus ex illo oppignorato precepti non erunt in sortem computandi. ita communis ac certa sententia. probatur conclusio: *cap. ex insinuatione 1. de feudis* ibi: *respondit Innocentius tertius, quòd Episcopus licitè possit detinere gageriam (id est* feudum in pignus datum) *fructibus in sortem non computatis: ita tamen ut interea temporis, quo Ecclesia fructus ex feudo in pignus accepto percipit, prædictus vasallus Ecclesiæ à servitio ratione feudi Ecclesiæ ipsique Episcopo præstando sit immunis.* idem habetur *in cap. conquestus 8. de usuris.*

23 Dico 2. Probabiliùs hæc omnia etiam procedunt, licèt feudum ad sæcularem ut suum Dominum directum pertineat, & huic in pignus concessum fuerit. Ita Covaruvias *lib. 3. varia. cap. 1. n. 4.* Molina *disp. 323. n. 2.* Canisius *de usuris cap. 6. n. 4.* Palao *de Just. disp. 4. pu. 22. n. 3.* Wiethner: Schmalzgrueber.

Probatur, juxta priorem conclusionem est hoc licitum in feudo Ecclesiastico: ergo multò magis in sæculari. Probatur si in isto non liceret, ratio foret, quia committeretur usura, si fructus non computarentur in sortem: hæc ratio nulla est. probatur minor. in feudo Ecclesiastico ista fiunt absque usura: ergo nec committetur in feudo sæculari.

Confirmatur, si esset simpliciter usurarium fructus non computare in sortem. neque clericis id liceret, cùm usura sit intrinsecè mala: ergo cum ishis liceat vi citati capituli etiam licebit sæcularibus.

Confirmatur 2. Citati capituli primi dispositio non potest esse constitutio continens aliquod singulare privilegium Ecclesijs concessum: ergo &c. Probatur antecedens: usura est jure naturali atque divino prohibita: ergo circa illius licentiam non potest à Pontifice privilegium aliquod concedi.

24 Dico 3. Quod fructus ex pignore feudali Dominus directus non

non debeat computare in sortem, ultimatò provenire ex consuetudine in hoc contractu feudali introducta, vi cujus Dominus directus ipse possit remissa pensione, vel obsequijs personalibus fructus in sortem non computandos recipere, quoties eidem feudum pro debito à vasallo oppignoratum fuerit. Ita Sotus *de Just. 6. quæst. 1. art. 2. ad ulti. quæ. 2. de usuris* §. *ad cap. conquestus* Covarruv. *3. variarum cap. 1. n. 4.* Valentia Toletus, Molina *disp. 323. in fine*, Lessius *lib. 2. cap. 20. dub. 16. n. 139.* Laym. *lib. 1. sum. sect. 5. tract. 4. cap. 16. n. 20.* Id ipsum colligitur ex dicto *cap. de feudis*: & *cap. 8. conquestus de usuris.*

Probatur 2. Ex primæva sui institutione ita instituuntur feuda, ut si pensio non solvatur vel obsequium personale non præstetur, dominium utile redeat ad Dominum, & cum proprietate consolidetur: ergo etiam potuerunt instituti & juxta citata capitula, & authores fuerunt ita instituta, ut oppignoratum Domino feudum etiam huic fructificet; vasallus autem à præstando hoc onere sit interea deobligatus.

25 Ex hactenus dictis colliges 1. fructus tales in sortem computandos esse, si Dominus directus à vasallo exigat vel recipiat pensiones & obsequia imposita. Ratio est, quod consuetudo ex declaratione *Innocentij tertij in cit. cap. 1. de feudis*, permittat tantùm perceptionem fructuum ex pignore feudali, si vasallus immunis à suo onere maneat: ergo si non maneat, computandi fructus in sortem erunt.

Colliges 2. Idem licitum Do- 26
mino directo esse, etiamsi fructus pensionem aliàs solvendam vel obsequium præstandum excedant, ita contra Covarruviam *relato Adriano & alijs 3. variar cap. 1. n. 4.* Petrum Navarrum *3. de Restit. cap. 2. par. 2. dub. 12.* Joann de Salas *de usur. dub. 31. circa finem n. 5. sentiunt* Panormit. *in cap. conquestus*: *cit. n. 2.* Villagura *quæst. 6.* Navarr.: *cap. 17. n. 218.* Angel. Sylvester, Conrad. Lessius *cap. 20. dub. 16. n. 139.* Garcias *de contract. part. 2. cap. 16.* Lopez. *2. instruct. negotiant. cap. 10.* Paluccius, Barbosa *in cap. 1. cit. n. 2.* Zœsius *de feudis n. 6.* Wiestner *hic n. 56.*

Ratio est Innocentius Papa generaliter, ac sine distinctione asserit hoc esse licitum, non faciendo ullam distinctionem inter fructus æquantes aut superantes pensionem vel obsequia præstanda: ergo &c.

Ratio est secundò ab initio statim etiam magni proventus ex feudo provenientes fuerunt liberaliter concessi vasallo sub conditione exigui obsequij vel pensionis: ergo hac conditione sublata seu non persoluta pensione, non

præstitis obsequijs possunt etiam magni fructus retineri.

27 Colliges 3. Si vasallus concessum sibi feudum curâ, atque industriâ suâ melioratum, ac fructuosius fuerit redditum, ac extiterit tempore primævæ concessionis, æquitati conforme futurum, vel maxime, Dominum directum non lucrari fructus integros feudi, sed eos duntaxat, qui tempore concessi primitus feudi fuerunt percepti, excessum verò reliquum ipsi vasallo relinqui. Ita sentiunt Canisius *in c. 1. de feudis.* Gonz. *ibidem versu idem dicendum:* Navarrus *cap. 17. n. 217.* Covarruv. *3. varia: cap. 1. n. 4.* Petrus Navarra *3. de Restit. cap. 2. part. 2. dub. 12.* Molina *disp. 323.* Salas *de usur. dub. 31. num. 1.* Palao *de Just. disp. 4. pu. 22. n. 4.* Zœsius *hic num. 7.* Pyrhing, Wiestner, Schmalzgrueber. Ratio est, quòd hæc sint propria feudatarij: ergo non debet, nec potest à Domino directo eisdem spoliari ob retentionem feudi.

28 Colliges 4. Si feudatarius persoluta pecunia, vel magnis obsequijs intervenientibus sibi comparavit feudum, Dominum directum nequaquam posse omnes talis oppignorati feudi fructus suos facere, sed in debiti sortem computandos esse, qui deducto pensionum à vasallo antea præstandarum valore erunt residui, aut correspondere judicantur obsequijs antea præstitis, vel persolutæ pecuniæ.

Ratio pro istis est eadem, quæ fuerat pro priore; jus enim hos fructus percipiendi ab ipso vasallo emptum, & comparatum fuit.

29 Quid autem licebit Domino directo, si feudum sit franeum, hoc est ab omni onere pensionis, aut obsequij præstandi liberum? Sylvester *verbo feudum n. 20.* Barbosa *in citat. capitulum 1. n. 2.* Gonzalez *ibidem n. 4. ỹ. tertius casus.* Wiestner *n. 59.* Schmalzgrueber *hic n. 167.* affirmant, fructus in sortem computandos esse, eò quòd à servitijs liberum sit, consequenter omissio pensionis, aut obsequij retentione fructuum compensari nequeat: ex altera verò parte in *citato capitulo 1. de feudis*: Pontifex solùm asserat, illos retineri posse, ut horum omissio compensetur.

30 Superest modò, ut quæ in contrarium antea adducta fuerunt, dissolvamus. Ad primam igitur rationem reponimus, nullam usuram committendam esse, quia ex vi contractus feudalis fructus pro se in hoc casu Dominus directus poterit retinere.

31 Ad secundam. Dicimus vasallum ad hanc obligationem in se susciendam obstrictum esse ex contractu feudali cum Domino directo inito.

32 Ad tertiam dicimus non obstare magnitudinem fructuum excedentium pensionum quantitatem, eò quòd

quòd hac non obstante in receptione feudi in hanc conditionem ultrò consenserit vasallus, volenti autem non fit injuria.

83 Ad quartam dico, concedendo in tali casu dominium utile nequaquam cum directo consolidatum fuisse, hinc aliam, quàm istam rationem pro facultate non computandi fructus in sortem attulimus.

Quinti denique argumenti solutio ex dictis *n. 28.* constat.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An idem liceat circa fructus pignoris Emphyteutici, usufructuarij, usuarij, conductitij.

34 Dico 1. Fructus ex pignore emphyteutico percepti probabiliùs in sortem non veniunt computandi. Ita Panormitan. *in cap. conquestus de usur. n. 2.* Angel. *usura 1. §. 11. & verbo: feudum §. 21.* Mercado *de usur. cap. 8.* Vega *verbo usura: casu 56.* Everard. *Legal. arg. loco 29. & 30. & communis sententia* teste Covarruvia *d. cap. 1. n. 4.* cui adhærent Lessius *dub. 16. n. 143.* Salas *dub. 31. num. 4.* Wiestner *de feudis num. 58.*

Probatur: Emphyteusis habet maximam convenientiam cum feudo, & unicè differt in eo, quòd feudatarius ad obsequium personale, Emphyteuta verò ad pensionem realem suo Domino persolvendam obligentur: ergo sicut in contractu feudali juxta introductam consuetudinem hæc conditio fuit apposita, ut Dominus directus feudalis rei in pignus sibi datæ fructus possit percipere, & pro se retinere, ita hoc ipsum circa Emphyteuticum pignus observandum, & Domino directo concessum videtur. Ratio autem hæc statuendi videtur fuisse, quod teste Lessio non videatur rationi consentaneum, ut res apud Dominum directum actu existens fructificet alteri.

Opponunt adversæ opinionis 35
Patroni, *citata duo capitula ex insinuatione 1. de feudis, & cap. conquestus 8. de usuris*, restringunt jus commune: ergo non sunt extendenda à feudo ad Emphytevsin tanquam odiosa. R. neg. ant. quia citata capitula nequaquam jus commune restringunt, sed potiùs declarant. Ratio hujus dari solet, quòd nullibi in jure communi legamus illicitum esse, gratuitæ concessioni, quæ alteri est facta, appone-

ponere hanc clausulam, ut fructus illius à concedente Domino percipiantur, si talis res data ad Dominum ut pignus revertatur. Ipse autem feudatarius ab obsequio personali; Emphytevta verò à pensione immunes interea præstandâ fiant.

36 Dico 2. Fructus ex pignore usufructuario, usuario, & conductitio percepti probabiliùs in sortem computandi erunt. Ita contra Panormitan. *in cap. conquestus; de usur. n. 2.* Angel. *usura 1. §. 11. & verbo feudum. §. 21.* Mercado *de usura: cap. 8.* Vega *verbo usura: casu 56. n. 6.* Sentiunt cum communi Covarruvias *3. vari. cap. 1. n. 4.* Molina *disp. 323. post init.* Salas *de usura. dub. 31. n. 4.* Palao *disp. 4. de Just. pu. 22. n. 6.*

Probatur. Talis Dominus directus neque potest hos fructus suos facere eo eo, quod in tali casu acquisiverit hujus pignoris dominium etiam utile, cùm hoc probari nequeat; & isto posito non ampliùs haberet rationem pignoris; nec ullius legis dispositione, nec ex tacita, vel expressa conventione, tempore celebrati contractûs facta. Cùm de his omnibus nihil constet: ergo &c. neque decisiones de feudo, & Emphytevsi factæ ad cæteros contractus valdè dissimiles sunt extendendæ.

CASUS XXI.

De Societate Lanionia.

DUo laniones, Bartholomæus, & Jacobus Societate sui opificij inita convenerunt inter se, ut unus illorum domi manens in macello, & mensa lanionia commodum utriusque promovere pro viribus laboraret: alter autem in circumjacentem viciniam excurrens coëmeret necessaria pecora. contigit autem, ut Bartholomæus in vicinos pagos excurrens suo semper equo uteretur, atque sæpiùs ad prædium Jacobo suo collegæ proprium diverteret, reperto ibidem pabulo suum equum nutriens.

Q. 1. Num à Jacobo domi manente aliquid refundi Bartholomæo debeat ratione equi in servitio & commodis Societatis occupati ?

Q. 2. Utrum expensæ aliàs à Bartholomæo domi remanente faciendæ ex sumptibus in equum foris impensis possint subtrahi.

Q. 3. Num Bartholomæus absumpti fœni pretium collegæ Jacobo persolvere teneatur ?

SYNOPSIS.

§. I.

Prænotanda.

1. *Expensæ in Societate aliæ fiunt circa merces.*
2. *Aliæ circa personam apponentem operam.*
3. *Aliæ causâ Societatis, aliæ occasione Societatis.*
4. *Aliæ sunt necessariæ, aliæ utiles, aut superfluæ.*
5. *De quantitate expensarum vel jam convenerunt inter se socij, vel non.*

§. II.

Resolvitur primum Quæsitum.

Quænam expensæ à Socijs sint compensandæ?

6. *Expensæ in pactum deductæ ex Societate sunt solvendæ.*
7. *Vel quas consuetudo approbat.*
8. *Item quæ factæ cum ipsis mercibus.*
9. *Aut ab ipso socio suam operam apponente ratione Societatis formaliter.*
10. *Aliud dicendum de sumptibus, occasione tantùm Societatis factis.*

§. III.

Resolvitur primum Quæsitum?

Utrum Bartholomæo pro usu sui proprij equi ab altero Socio sit aliquid refundendum?

11. In hujus decisione præcipuè considerandа venit conventio utriusque.

12. Utrum & qualiter equò indiguerit Bartholomæus.

13. Suppositâ etenim hac indigentia compensandus ex societate usus equi videtur.

14. Nisi ex conventione aliqua portio lucri eidem ab initio assignata fuerit.

15. Aut gratis secum equum abstulerit.

16. Eadem refusio ipsi deberi, si per accidens hæc extraordinaria opera eidem à socio fuerit imposita.

17. Omitti tamen hæc poterit, si equo nullatenus opus habuit.

18. An autem illo opus non habuerit, ex circumstantijs colligendum.

§. IV.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Utrum expensæ aliàs à Bartholomæo remanente faciendæ ex sumptibus in equum forè impensis possint subtrahi?

19. Quod expensæ aliàs domi factæ nequaquam detrahendæ sint, videtur lege cum duobus §. quidam sagariam *ff.* de socio *sed malè.*

20. Et lege si frater §. si quis ex socijs *ff.* pro socio; *non tamen sufficienter.*

21. Uti etiam lege secundum Julianum *ff.* pro socio: *sed insufficienter.*

22. Neque obstat, quod ibi nihil de expensis domi factis ponatur.

23. Consuetudine locorum in hoc puncto standum erit.

24. Qua non data detractioni locus erit.

§. IV.

§. V.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Num Bartholomæus absumpti fæni pretium Collegæ Jacobo persolvere teneatur?

25. Nullo jure Jacobus obligatur ad Pabulum Bartholomæi equo suppeditandum.

26. Hinc vel ad totum, vel ad partem pro diversitate circumstantiarum illius pretium Bartholomæo refundendum, si domi aliàs factæ expensæ debeant subtrahi.

27. Quòd si domi aliàs factæ expensæ non subtrahantur, medietas absumpti pabuli saltem à Jacobo solvenda erit.

28. Hinc occulta compensatione, si Bartholomæus solvere quidpiam recusaverit, Jacobus uti poterit.

29. Nisi usus equi fuerit necessarius, vel plurimum utilis, & sine pretio in commodum societatis subministratus.

§. I.

Prænotanda.

1 PRo solutione difficultatis advertenda primò venit diversitas expensarum, aliæ enim fiunt circa ipsas merces, quæ scilicet ad has vehendas, conducendas, transportandas, perficiendas faciendæ sunt in equos, currus, dolia, ad hos fines obtinendos necessaria.

2 Secundò aliæ expensæ sunt ipsius opponentis operas, & industriam, quas se sustendando in cibum & potum absumit, tum ipse, tum ejusdem famuli & equi.

3 Tertiò aliæ expensæ fiunt causâ societatis formaliter, ac directè: aliæ occasione duntaxat societatis, & materialiter. v. g. opus mihi est curribûs ad merces Norinbergâ transportandas Ratisbonam, expensæ in istos pecuniæ fuerunt factæ causâ societatis, directè ac formaliter. Quòd si proprio nomine sine consensu ac voluntate sociorum occasione hujus itineris emero aliquot dolia vini, in horum emptionem factæ expensæ occasione tantùm societatis & materialiter solùm acciderunt.

4 Quartò. Expensarum ulteriùs aliæ sunt necessariæ, aliæ utiles societati, aliæ superfluæ.

5 Quintò de quantitate expensarum vel poterunt jam inter se convenisse socij vel non.

§. II.

Resolvitur primum Quæsitum.

Quænam expensæ à Socijs sint compensandæ?

6 Dico 1. Expensæ, quæ expressè, ut à societate persolvantur, fuerunt in pactum deductæ, omnimodè ab illa etiam præstandæ erunt, Ita Layman *cap. 20. n. 5.* Palao *disp. 8. pu. 7. n. 7.* cum communi. Prob. *ex lege, si non fuerit ff. pro socio,* ubi tamen casus, qui apertam inæqualitatem continet, excipiendus erit.

7 Dico 2. Si circa solutionem expensarum nihil expressè in pactum fuerit deductum, illæ à societate persolvendæ erunt, quas consuetudo loci approbat. Ita Gregorius Lopez, Molina, Rebellus, Lessius, Layman Palao. Prob. concl. *ex lege quod si nolit §. quia assidua ff. de ædilitio edito.* Prob. 2. ex eo, quòd contractus ex consuetudine loci interpretationem accipiant, juxta *legem: si fundus ff. de evictionibus.*

8 Dico 3. Expensæ circa ipsas merces conducendas, asportandas &c. Necessariò factæ, quæ non sunt expensæ negotiantis sed in ipsis & cum ipsis mercibus factæ de bonis communibus societatis solvendæ erunt, nisi expressè contrarium in pactum fuerit deductum, aut loci consuetudine observatum. Ita communis omnium fundata in *lege si frater §. si quis ex socijs ff. pro socio.*

9 Dico 4. Ad expensas ab uno sociorum suam operam apponente, ratione societatis formaliter, ac directè necessariò factas, tenentur concurrere etiam cæteri socij, modò apponens operam socius nullius culpæ reus extiterit. Ita Molina *disp. 418.* Lessius *cap. 25. dub. 4.* Rebellus *lib. 15. q. 7. n. 4.* Palao: *pu. 7. n. 4.* probatur conclusio *ex lege si frater §. si quis ex socijs ff. de socio.* ibi: *§ quis ex socijs propter societatem profectus sit, veluti ad merces emendas, eos duntaxat sumptus societati imputabit. qui in eam pensi sint. viatica igitur, & meritoriorum, & stabulariorum, jumentorum carrulorum, vecturas, vel sui, vel sarcinarum suarum gratiâ, vel mercium rectè imputabit.* Hic tamen valdè providè Molina admonet, habendam esse rationem negotiorum, qualitatis personarum, ita ut expensas rationabiles, & competentes oporteat esse, unde irrationabiliter, & superfluè expensa ex suo marsupio negotians socius persolvere debebit.

10 Dico 5. Expensæ materialiter, indirectè atque ex occasione so-

cie-

cietatis duntaxat factæ non erunt è marsupio societatis compensandæ. Ita sentiunt Sylvest. *V. societas 1. n. 9.* Bartolus *in legem socij §. socius ff. pro socio.* Rebellus *q. 7. n. 4.* Leissius. *dub. 4. n. 37.* Molina *disp. 418.* Prob. concl. similes expensæ non fiunt formaliter ex societate sed ex voluntate negotiantis socij sine reliquorum consensu, ex his concludit Palao *n. 5. loci superius citati*, titulo societatis nequaquam faciendam compensationem bonorum ad societatem non pertinentium esse, quibus socius occasione duntaxat societatis ab inimicis spoliatus fuit, eò quòd socij nequaquam astringi debeant, ut compensent damnum socijs illatum, dum hoc præcipuè ex alio capite, quam ex societate provenit, prout contingit, si socius ex malitia adversarij licèt nulla culpa à deprædato per se fuerit commissa, spolietur.

§. III.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum Bartholomæo pro usu sui proprij equi ab altero Socio sit aliquid refundendum?

11 UT ex jactis hactenus fundamentis primum casûs nostri quæsitum resolvamus, ante omnia videndum, qualiter inter se isti duo laniones contraxerint: Num Bartholomæus perpetuò debuerit excurrere ad coëmendos boves &c. Jacobus autem manere constanter domi & distrahendis carnibus invigilare; vel utrum mutatis vicibus hac hebdomade, aut mense excurrerit Bartholomæus, altera hebdomade aut mense in circumjacentes agros egressus Jacobus fuerit?

12 Dein utrum equus ad coëmenda pecora fuerit absolutè necessarius aut absque eo non nisi cum difficultate quadam suum officium debitè obire Bartholomæus potuerit; vel denique illo usus duntaxat fuerit majoris commodi, ac recreationis gratiâ; Jacobus ex opposito quando illum ordo exeundi tangebat, pedes incesserit.

Dico 1. Si Bartholomæus æqualem partem sortis cum Jacobo contulerat, equo etiam necessariò opus habuerat, usum illius, quo ad dimidiam partem à Jacobo refundendum, nisi ipse Bartholomæus suum equum gratuitò ad similes excursiones obtulerit. Ratio est, quòd juxta concl. 3. & 4. expensæ in commodum atque utilitatem societatis necessariò fa- 13

étæ, sint compensandæ: sed usus equi ponitur, fuisse necessarius, utilis, & comodus societati: ergo &c.

14 Dico 2. Casu quo Bartholomæus se peculialiter ad hanc operam equo suo præstandam obligaverit socio, insuper vi hujus operæ aliqua determinata pars lucri in compensationem assignata fuerit, præter istam nihil aliud potuit expetere pro usu & locatione sui equi, conclusio patet, illa enim portio est assignata compensatio elocati equi.

15 Dico 3. Æquè parùm à Bartholomæo poterit exigi, si omnino gratis se ista præstiturum, socio promiserat.

16 Dico 4. Si Bartholomæus vi initi contractûs ad hanc operam se peculiariter non obligaverat, hæc autem postmodum eidem à Jacobo committatur nulla extraordinaria pro hoc labore mercede assignata, pro hac elocatione, atque sui equi usu quidpiam expetere à socio Jacobo poterit; item adhuc aliquid insuper aliud, quod totum competentis ac debitæ mercedis terminos nondum excedit, probatur talis extraordinarius labor & elocatio equi non fuerunt ab ipso subeundi ratione contractûs ab initio initi, sed fuit actus supererogatorius. ergo pro illo poterit aliquid singulare expetere, quia toto hoc tempore in commune bonum societatis extraordinariè fuerat occupatus.

Dico 5. Si nequaquam mul- 17
tùm indiguerit hoc equo in bonum societatis, sed majoris proprij commodi ac recreationis duntaxat gratiâ illo usus fuerit, nulla eidem compensatio à Jacobo ob hoc præstanda erit. Ita Lugo *de Just. disp. 30. n. 28.* Ratio est, quòd solumodo expensæ competentes, ac rationabiles, non autem superfluæ sint compensandæ.

Dico 6. Ut decidatur, an usus 18
equi fuerit necessarius aut superfluus, considerandæ erunt circumstantiæ, distantia scilicet locorum, quæ adeunda, multitudo & qualitas pecorum quæ adducenda, & praxis aliorum bonorum in illa provincia observari solita, nec non exemplum Pauli, casu, quo etiam hic in vicinos pagos mutatis viribus excurrerit.

§. IV.

§. IV.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An integræ expensæ, quas Socius extra Domicilium existens causâ societatis fecit, ex communibus bonis solvendæ sint, an verò detractis ijs, quæ domi manens insumeret?

JUdicabat lanio Jacobus suum socium Bartholomæum, dum ad coëmenda pecora in circumjacentes pagos excurrerat, ideo suo equo, qui eidem minùs necessarius esse videbatur, semper uti, quòd hac ratione sumptibus domi in sustentationem equi expendendis parceret, eò quòd victum in itinere tali absumptum communis societatis massa debebat, aut saltem solebat compensare. ex quo resultat difficulter resolubile dubium in titulo præsentis § propositum.

19 Quod enim omnes sumptus in itinere ratione, & causâ societatis expensi absque detractione expensarum, quæ domi aliàs fuissent factæ, à societate persolvendi veniant, defendunt Navarrus *cap. 17. n. 283.* Molina *disp. 418.* Lessius *cap. 15. dub. 4. n. 35.* Layman *lib. 3. summæ, sect. 5. tract. 4. c. 20. n. 5.* Saa *verbo societas n. 4.* Palao *disp. 8. p. 7. n. 2.* Pro fundamento suæ opinionis afferunt *legem: cùm duobus §. quidam sagarius ff. pro socio* Verùm ex hac lege nequaquam probari intentum perlegenti eandem clarè apparet; ibidem etenim duntaxat statuitur, ut ex societate omnes illæ res solvantur, quæ socius secum in negotio, & causâ societatis asportatàs, quando in latrones inciderat, deperdidit: ergo minimè ex hoc infertur, quòd expensæ aliàs domi faciendæ nequaquam detrahendæ veniant. Dices in citata lege saltem nihil dicitur, quòd expensæ interea domi faciendæ debeant detrahi: ergo non erunt detrahendæ. R. conc. ant. neg. cons. Ratio est, quòd ibidem quæstio solùm mota fuerit, an commune omnibus socijs debeat esse damnum, quod unus illorum à latronibus exspoliatus passus fuerat in pecunia, quam perdidit, in suis servis, qui vulnerati, in rebus proprijs, quæ eidem in via ereptæ fuerant. Et ad hoc responsum affirmativè: quia igitur nullum dubium de sumptibus in itinere factis erat motum, mi-

rari

rari neutiquam debemus, quòd de expensis domi faciendis nihil decisum fuerit.

20 Secundò suæ sententiæ facere judicant *legem : si fratres §. si quis ex socijs. ff. de socio* cujus tenorem jam superiùs num. 9. attulimus. Ad hanc tamen legem reponit de Lugo *disp. 30. sect. 3. n. 29.* sermonem ibidem esse de socio, qui ex nullo contractu ad operam conferendam teneatur; cùm ergo in præsenti nostro casu sermo, & quæstio moveatur de socio, qui vi contractûs societatis suam operam conferre debebat, ideò statutum de priore non erit extendendum ad præsentem casum. Omnibus enim patet, ejusmodi impropriè dicto, & per accidens ad unum duntaxat negotium conficiendum assumpto socio integras itineris expensas sine ulla detractione compensandas esse, eò quòd toto illo tempore in commune societatis bonum incumbat.

Dices : Legem istam : *si fratres* : gratis restringi, quòd solum loquatur de homine ad particulare negotium conducto, cùm titulus earum Legum expresè agat *pro socio*. R. à nobis minimè asseri, ibidem sermonem esse de homine, qui non erat membrum societatis; sed occasionaliter, atque per accidens duntaxat conductus ad operam societati conducibilem præstandam : concedimus enim, illum fuisse verum socium, ac membrum societatis; dicimus autem illum vi conventionis factæ non fuisse obligatum ad susceptionem hujus itineris in commodum societatis, atque hinc extraordinariam operam, & indebitam in se suscepisse, extraordinariâ quoque compensatione dignam.

Tertiò : pro se adducunt *legem* 21 *secundum Julianum ff. pro socio*, ita: *secundum Julianum tamen, & quod medicis pro se datum est, recipere potest, quod verum est.* Responderi potest, etiam in hac lege decidi duntaxat, quòd damnum vi morbi in negotio, & causa societatis formaliter contracti, ut sanitas denuo recuperaretur incursum, è societate sit compensandum.

Sed promovetur ulteriùs argu 22 mentum ex his L. L. assumptum. Adducti textus expresè statuunt, ut expensæ solvantur socio extra domicilium foras proficiscenti ad negotiationem : ergo domi aliàs faciendas volunt non detrahi. Prob. conf. si hoc non deciderent, legum harum decisiones forent superfluæ. Prob. expensæ causâ societatis, & in ipsas merces factæ etiam solvendæ sunt domi negotianti : ergo, si prædictæ leges nihil deciderunt de sumptibus, quos apponens operam in sui, & equi sui sustentationem facit, erunt superfluæ.

Confirmant : leges dicunt, expensas à societate refundendas esse, nulla mentione facta, quòd so-

solùm excessus ultra sumptus aliàs domi faciendos sit refundendus: ergo &c. Sed respondetur, concedendo, quod in *lege si frater* §. *si quis ex socijs ff. de socio*, asseratur, etiam impensas ab opponente industriam suppeditatas esse è societate refundendas; dicimus tamen cum Lugone, ibidem de socio ex contractu societatis non obligato, & per accidens ad unum solummodo negotium conficiendum assumpto sermonem haberi. ℣. 2. Etsi loquatur lex, *si frater cit.* de expensis in sustentationem apponentis operam factis, volunt tamen duntaxat illas compensandas, quas ultra debitum expendit: ultra debitum autem expendit illas solummodo, quæ detracta parte domi absumenda superfunt. Reliquas autem duas leges loqui duntaxat de damno causâ societatis incurso, quod reparandum ex societate sit. Ex his patet etiam responsio ad confirmationem.

23 Quartò: pro se allegant consuetudinem, quæ docet integra impendia à socijs præstanda, prout affirmat Layman. *lib. 3. de justitia tract. 4. cap. 20.* Reponimus in locis, in quibus hæc consuetudo viget, nulli detractioni futurum, etiam juxta nos aliquem locum.

24 Dico itaque probabiliorem præscindendo à consuetudine contraria nobis videri sententiam, quæ docet, expensas domi aliàs faciendas detrahi posse à sumptibus causâ societatis in itinere ab uno istorum factis. Hanc sententiam amplexi sunt Sylvester *v. societas 1. q. 12.* Angel. *n. 12.* Armilla *n. 10. major. 4. D. 15. q. 7.* Rebellus *lib. 15. q. 7. n. 2.* Lugo *de justitia disp. 30. sect. 3. n. 29.* contra Navarrum *in Man. cap. 17. n. 283.* Molinam *disp. 418. n. 2.* Lessium *de societate: dub. 4. n. 35.*

Prob. Bartholomæus, si domi mansisset, expensas in se, & equum suum faciendas ipsus deberet solvere: ergo etiam debebit ut absens in causa societatis. Prob. cons. societate contracta non debet hoc onus in socios reijcere, quia non sunt causâ societatis præstitæ: ergo &c.

Respondent adversi, si Bartholomæus domi mansisset, vel non aluisset equum tunc sibi non necessarium; vel aluisset in communibus pascuis; vel non tam caro pretio: vel etiam plus lucraretur eum elocando alijs: ergo domi manens nullas expensas in equum alendum feciisset. ℟. poni casum, quo Bartholomæus suum equum ob alias necessitates domesticas, & non præcisè intuitu societatis emerit, atque aluerit: 2. Quòd si domi manens nullos sumptus in equum feciisset, eò quòd in communibus pascuis illum aluisset, nihil erit detrahendum, cùm expensas solas domi faciendas concedamus posse detrahi: ubi ergo nullæ expensæ factæ fuissent, etiam nihil erit detrahendum. 3. Si

actu habuisset occasionem elocandi suum equum alijs pro pretio; tunc de hoc admonendi fuerant socij, ut de compensatione hujus lucri cessantis convenirent.

Prob. 2. Nullus socius v. g. Jacobus, domi distrahens carnes, & societatis utilitatem promovens potest propterea suam sustentationem ex communibus bonis societatis excerpere: ergo neque Bartholomæus expensas domi aliàs faciendas ex illa potest accipere: aliàs ipse Jacobus longe deterioris esset conditionis, quàm sit suus collega, sicut enim Bartholomæus suam operam præter sortem confert extra urbem circumcursando & coëmendo boves, vaccas &c. ita Jacobus præter collatam sortem etiam confert suam industriam, mactando, excoriando, & vendendo carnes: ergo vel uterque debet integrè ex bonis societatis sustentare, vel neuter.

Dices ex hoc sequi, eum, qui alteri ad certas dies suum equum locat, non posse à conductore exigere, ut sumptus in alendum equum faciat, eò quòd locator deberet illum domi alere, q. neg. seq. hic enim celebratur contractus locationis in nostro autem casu societatis, quæ exigit, ut lucrum æquale sit, quod non fieret juxta probata in sententia opposita.

Prob. 3. Illud duntaxat Bartholomæo refundendum est, quod expendit ultra debitum: sed illud solum expendit ultra debitum, quod detracta parte, quam domi remanens absumpsisset, expendit: ergo hoc solum erit refundendum. prob. min. si hoc non fiat, tunc lucrum è societate capit, & in eo, quod domi manens absumpsisset, fit ditior,

§. V.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Num Bartholomæus absumpti fæni pretium Collegæ Jacobo persolvere teneatur?

POsuimus in casu, Bartholomæum, cùm in coëmendis varijs pecoribus extra urbem in villis occupatus esset, solitum sæpiùs, si non constanter, divertere ad prædium Jacobo collegæ suo proprium ac detento ibidem ejus suum equum nutrire, quo autem jure justa fecerit modo examinabimus.

Dico 1. Jacobum nullo jure obligatum esse, ut ille solus Bar-

tho-

tholomæo pabulum ex suis rebus subministret. prob. neque obligatur ex speciali quadam conventione, cùm de pabulo suppetitando ponantur neutiquam convenisse neque ex regulis generalibus & communibus societatis, cùm istæ velint & lucra, & damna inter socios æqualiter dividenda esse.

26 Dico 2. Si ab expensis in emptionem pecorum factis detrahendi sint sumptus, quos ipse Bartholomæus domi manens feciſſet, ad totalem vel formaliter, vel æquivalenter faciendam restitutionem absumpti ex bonis Jacobi pabuli obstrictus Bartholomæus noster manet. prob. si verum est hoc suppositum, debuit Bartholomæus suo fœno alere equum, prout debuerat, si domi mansisset: ergo si alieno illum nutrivit, tenetur ad illius restitutionem.

Prob. 2. Qui rem alienam formaliter, aut æquivalenter apud se retinet, ille habet ex re accepta obligationem restituendi: Bartholomæus retinet apud se saltem in æquivalenti rem alienam: ergo datur obligatio restituendi. prob. min. Bartholomæus retinet adhuc illas portiones fœni, quas debuisset in sustentationem sui equi impendere, & quibus pepercit absumendo injustè res sui collegæ Jacobi: ergo &c. minimè etenim decens est aliquem cum alterius damno locupletari.

Dico 3. Si expensæ domi aliàs 27
à Bartholomæo faciendæ ex sumptibus causâ negotiationis factis non debuerunt detrahi, Bartholomæum obstrictum fuisse dimidiam partem pretij, quo pabulum Jacobinum absumptum constabat, persolvere suo collegæ, ita ut hac ex portione aliàs eidem obvenientis lucri à Jacobo potuerit detrahi, & pro se retineri. Ratio est, quòd in societate, lucrum, expensæ atque damnum debeant inter socios æqualiter dividi, habita ratione ad sortem, quam singuli contribuerunt, & operæ, quam impenderunt: sed hæc ponuntur fuisse æqualia: ergo &c.

Dico 4. Hinc apud Jacobum 28
occultæ compensationi locum futurum, si alia ratione illatum sibi à socio damnum reparare, & se indemnem reddere nequeat, certum enim est debitum, videntúrque cæteræ ad hanc necessariæ conditiones adesse.

Dico 5. Si tamen usus equi ad 29
negotiationem fuerit necessarius vel plurimum conducibilis: pro illo tamen à Bartholomæo nihil mercedis expetitum fuerit, æquitas rei videtur exposcere, ut pro absumpto pabulo nullum pretium Jacobus desideret. Ratio est, quod præter cessans lucrum, quod forsitan alijs elocando pro tali tempore suum equum potuisset Bartholomæus facere, hic insuper ex suis pabulum debuisset solvere ob

usum equi in majus commodum societatis impensum

Dices: si Jacobus pro suo absumpto pabulo nihil potest exigere, tunc non poterit detrahi pabulum, quod equus Bartholomæi domi manentis absumpsisset: ergo falsa sunt, quæ in §. 4. n. 24. decidimus, expensas scilicet domi faciendas debere aut saltem posse subtrahi. R., nos in hac conclus. 5. dicere, posse nullum pretium exigi pro absumpto Jacobi pabulo, si equus fuerit necessarius, plurimum conducibilis, & (quod bene notandum) si pro hoc equi usu nulla merces à socio Jacobo ipsi Bartholomæo fuerit persoluta; nec iste ad impendendum suum equum in bonum societatis ex facta conventione fuerit obligatus hæ autem circumstantiæ non dabuntur semper in qualibet societate.

CASUS XXII.

De Societate Praxatoria.

SEmpronius ex privilegio sibi, aliisque ratione certi officii, quod obibat, concesso, ad communem cassam domus praxatoriæ confert centum florenos, ratione quorum annuatim indeterminati quidam reditus (conficientes subinde etiam 40. florenos) ex distracta cerevisia ut lucrum comparati, eidem pendendi erant. cum autem prafato Sempronio parata pecunia deesset, syngraphum seu obligationem aliquam loco pecuniarum offert, qua promittit, se post unum vel alterum annum promissos hos centum florenos certò soluturum esse. Interea tamen pro quota unius anni accipit quadraginta florenos, quod scilicet alij accipiunt, qui centum florenos in parata pecunia deposuerunt.

Q. 1. An quadraginta floreni primo anno à Sempronio percepti, ut debitum censuale accipi ac retineri possint?

Q. 2.

Q. 2. Num ut debitum ex Societate cum alijs praxatoriæ domûs consortibus initâ proveniens eosdem accipere valeat?

Q. 3. An ex nullo alio titulo?

SYNOPSIS.

1. *Jus Sempronij ad hanc summam necessariò fundatur in quodam contractu.*
2. *Qui tamen non potuit esse gratuitus.*
3. *Neque contractus mutui.*
4. *Venditionis, aut emptionis.*
5. *Aut locationis, conductionis, Emphyteuseos Feudi.*

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum?

An quadraginta floreni primo anno à Sempronio percepti tanquam census accipi possint?

6. *Definitur contractus censualis.*
7. *Ratio, ob quam contractus iste posset dici censualis.*
8. *Injustus tamen, si talis esset, ostenditur.*
9. *Si ex pacto tantumodo illum injustum esse supponamus, pensio poterit quidem accipi, defectus tamen justi pretij supplendus erit.*
10. *Similes annui census injustè emuntur credito.*

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An quadraginta floreni taliter precepti tanquam fructus Societatis cum reliquis membris initæ accipi ac retineri possit?

11. *Definitur contractus Societatis.*
12. *Et conditiones ad ejusdem valorem necessarij explicantur.*
13. *Non potuit ex hoc titulo aliquid à Sempronio jure accipi.*
14. 15. 16. *Satisfit objectionibus.*

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An ex nullo alio titulo retinere hanc partem lucri Sempronius possit?

17. Potuit ex titulo donationis, si eundem Societas absque metu & coactione in membrum suum receperat.

1 COnsideranti naturam hujus casûs statim apparebit omne, ac totum illud jus, quod Sempronius ad retinendos quadraginta florenos habere posset, in quodam contractu fundatum esse, quod oblatâ hâc syngraphâ inverat, indagandum itaque ante omnia erit, cujusnam speciei contractum in hoc casu celebraverit.

2 Perpensîs autem singulorum contractuum essentiis, contractus, quem celebrâsse in hoc casu videri potest, videtur non posse esse ullus alius, nisi censûs, aut Societatis: gratuitum enim nequaquam celebravit, eò quòd ex utraque parte vi hujus contractus exorta fuerit obligatio solvendi ex parte scilicet Sempronij suo tempore 100. florenos: ex parte Societatis praxatoriæ certam partem lucri ea divendita cerevisia comparati.

3 Quòd si contractus onerosos in medium producamus, æquè facilè videbimus, eundem non fuisse mutuum, quod est datio rei pondere, numero, ac mensura constantis, facta ex animo, ut statim fiat accipientis cum obligatione tamen, ut alia ejusdem naturæ, ac qualitatis reddatur.

4 Sed neque emptio, aut venditio dici potest: ad istas enim vi definitionis requiritur pactio pretij dandi pro merce: vel pactio mercis pro pretio dandæ: ubi ergo nulla merx aquiritur, ibi neque dabitur emptio, aut venditio, atqui hîc non intercedit aliqua merx, quæ est quid à pecunia annuatim persolvenda, & jure ad hanc distinctum.

5 Æquè clarè ex definitionibus locationis, conductionis, Emphyteuseos, Feudi &c. colligitur, controversum hunc contractum nulli ex istis annumerandum esse. Supereſt igitur, ut censum vel contractum Societatis celebraverit. Sit igitur.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An quadraginta floreni primo anno à Sempronio percepti ut debitum censuale accipi ac retineri possint?

6 CEnsus acceptus pro effectu formalis contractûs à Tamburino definitur, quòd sit annua pensio, quæ ex re alterius frugifera accipitur: à Bonacina verò *disp. 3. q. 4. puncto unico n. 1.* jus percipiendi certam pensionem ex re alterius frugifera. Quòd si ipse formalis contractus censûs consideretur ab eodem Bonacina dicitur contractus onerosus, quo quis alteri vendit jus percipiendi annuam pensionem super rebus suis, aut super persona.

7 Ex his non immeritò cuidam videri posset, contractum à Sempronio celebratum fuisse censualem, eò quòd centum suis florenis creditò emerit jus percipiendi singulis annis certam pensionem ex re frugifera, scilicet praxatoria domo.

8 Verùm si dicamus illum contractum censualem fuisse, sequitur eundem fuisse injustum, & consequenter nullum, si non in totum, saltem ex ea parte, qua pensio solvenda pretium excedit juxta Palaum *de just. disp. 6. pu. 22. §. 3. n. 2.* Quòd autem aliquis defectus adsit facilè probamus. justum pretium censetur illud esse, quod lex, vel communis hominum æstimatio, seu judicium prudentum, & proborum virorum habita ratione omnium circumstantiarum præfixit & statuit juxta *legem: pretia rerum ff. ad legem falcidiam* Covarruv. *lib. 3. varia. cap. 9. n. 5.* atqui neque lex, neque communis hominum æstimatio statuerunt, ut annua pensio 40. vel 30. vel 20. florenorum emeretur solis centum florenis: ergo &c. minor constat; est enim inauditum centum florenis jus ad pensionem annuam 20. 30. aut 40. florenorum ex lege vel communi consuetudine provinciæ, aut urbis, in qua erat contractum fuisse comparatum: ergo &c.

9 Quòd si hunc censum ex ea duntaxat parte, qua pensio solvenda pretium excedit, irritum fuisse, tuearis, exigere quidem Sempronius potuit integram pensionem, non computandam in sortem, eò quòd vi contractûs jus habeat ad pensionem, non secus ac emens fundum pretio inferiore ad percipiendos ex isto fructus facultatem possidet defectum tamen pretij censuarijs seu praxatoriam exercentibus restituere,

re,

re debebit, uti etiam detrimentum, quod ex eo non restituto censuarius passus fuerit. Prout defendunt Joan. Medina *de Restit. q. 15. dub. 4. §. sed pone.* Lessius *lib. 2. de just. cap. 22. dub. ultimo.*

10 Ejusdem contractûs injustitia ulterius hac ratione probatur: omnes pensiones redditæ, & à Sempronio acceptæ ante solutionem 100. florenorum fuerunt creditò emptæ, & fide data de pretio: sed injustum est fide data, & creditò emere tales census: ergo. Minorem defendunt Navarr. *comment. de usuris.* Eman. Rodriquez, Antonius Gomez, Rebellus *2. p. lib. 10. q. 5. n. 25.* Salas *tract. de censibus dub. 8. n. 3.*

Eadem minor probatur etiam ratione; si iniquum non est pensiones solvere pro pecunia postmodum recipienda, mutuatio pecuniæ reditus pareret: prob. possem dicere, ego tibi post annum vel plures, dabo mutuos centum florenos: interea autem tu mihi annuatim solvas pensiones 10. florenorum: Secundò omnis pensio incipit primùm currere à tempore celebrati contractûs: ergo pro pecunia eo tempore soluta possunt primùm census exigi. Prob. ant. ex recepta praxi contractus censualis non solet celebrari, nisi pecuniâ solutâ, ita, ut à tempore traditæ sortis census persolvi incipiant: ergo omnis pensio incipit primum currere à tempore celebrati contractûs &c. Tertiò dilatio persolvendæ sortis gravat in præsenti casu ipsum venditorem, seu societatem praxatoriam: ergo si transmittamus eundem valere, saltem emptor Sempronius obligatur, ut ex imposita pensione tantùm diminuat, quanti illud gravamen æstimabitur. Prob. ant. si ab initio fuisset sors statim persoluta, potuissent membra societatis praxatoriæ istâ comparare majorem copiam frumenti ad cerevisiam coquendam necessarij, vel aliam fructuosiùs exercendam suam societatem: ergo gravatur societas. Consequentia primi Enthimematis pariter constat: si enim censuarius venditor gravaret Emptorem, ne pensio statim curreret, deberet ille hoc gravamen compensare diminutione sortis: ergo viciſſim, si emptor dilatione persolutæ sortis venditorem gravat, etiam iste hoc gravamen ex diminutione pensionis debebit compensare.

Quartò: hac ratione posset jus accipiendi pensionem annuam comparari omnino gratis, & sine omnibus impensis Sempronij, sed sumptibus ipsius censuarij, pensionibus scilicet à societate praxatoria ante solutionem sortis percepti: atqui hoc videtur injustum. Prob. Maj. ponamus, quòd annuatim solvantur 20. floreni, & relictâ solâ syngraphâ numeratio sortis differatur ad quinquennium; in hoc casu centum florenos postea persolutos recepit Sempronius ab

ab hac societate praxatoria sine omnibus omnino expensis suis: esgo &c. ex quo sequitur, quòd solvens post lapsum duorum annorum jus istud non emat 100. florenis, sed 60. tantùm quadraginta enim accepit ab ipso censuario, seu societate praxatoria.

Quintò: *Bulla Pij V. de censibus* expressè exigit, ut pecunia numeretur, ita ut juxta authores citatos apud Palaum *de censibus pu. 16. n. 8.* in foro interno, & externo ejusdem numeratio sit de essentia contractûs hujus: ergo ubi illa est recepta, sine numeratione sortis non subsistet talis contractus.

Ejusmodi ergo contractus censualis dilata solutione sortis celebratus, & quidem non exigente, sed potiùs invito, & gravato censuario ob fraudis, & usuræ præsumptionem habendus in foro externo, ut nullus & suo valore destitutus. Neque prudenter aliquis judicare poterit bonam fidem ex parte Sempronij literati, & in jure versati censualistæ omni fraude remota intercessisse.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An quadraginta floreni primo anno ante persolutam sortem percepti, ut debitum è societate cum alijs praxatoriæ domus consortibus inita accipi, ac retineri à Sempronio possint?

11 SOcietas prout in quadam materia particulari est inita, definitur à Bonacina, quòd sit conventio duorum, vel plurium conferentium suam pecuniam, vel industriam, vel laborem, vel aliam rem pretio æstimabilem ad lucrum commune. Tamburinus *autem in expedita sua quadruplicis Juris expositione lib. 9. de contract. tract. 8. cap. 1.* dicit, eam esse contractum, seu conventionem duorum, vel plurium habilium, suam pecuniam, operam, industriam, vel laborem pro aliqua negotiatione conferentium ad commune lucrum, itémque ad commune damnum, si fortè illud occurrat.

Conformiter huic definitioni, 12 nec non regulis generalibus ad justitiam, & valorem hujus contractûs juxta consensum Authorum octo conditiones sunt necessariæ. 1. In eo est posita, ut omnes socij aliquid conferant. 2. Negotiatio ipsa debet esse honesta. 3.

Servanda est æqualitas in omnibus, in conferendo scilicet ab utroque socio. 4. Insuper necessarium est, ut collata pecunia stet periculo Domini, seu illius, qui eam contulit. 5. Ipsum lucrum pro quantitate partium collatarum dividendum erit. 6. Cum lucro dividenda pariter erunt damna. 7. Expensæ factæ debent pariter esse communes, seu æquè certè compensandæ. Denique non erunt ulla inhonesta, aut injusta pacta apponenda. His præmissis.

13 Dico Sempronium neutiquam posse ad finem anni justè acciperè quadraginta illos circiter florenos, si præcisè schedam quandam contulerat, obligans se illâ ad solvendos suo tempore centum florenos. Prob. quicunque societatem ineunt, ita ut ex hoc lucrum aquisitum recipere jure possint, debent aliquo modo ad illam concurrere, sive pecuniam, sive operam, industriam, instrumenta, vel materiam contribuendo: atqui Sempronius nihil horum contribuit primo anno ad hanc societatem, ergo non inijt societatem, ut reportatum ab hac lucrum participare possit; major patet ex conditionibus superius ennumeratis, probatúrque ulterius hoc medio. Qui nullo ex allatis modo concurrit, nullum habet titulum ad lucrum ex societate participandum, sed talis non potest aliquid ex illa accipere: ergo &c.

Confirmatur hæc major ulteriùs. Si unus ad societatem contulit centum florenos, alius verò duntaxat decem, ita ut neque aliud quidpiam, operam scilicet, materiam, vel instrumenta contulerit, ipsum lumen naturæ dictat, injustitiam committendam esse, si conferens centum non plus lucri referret, quàm conferens decem: ergo eodem lumine naturæ pariter clarum erit, injustitiam committi, si nihil omnino conferens ad societatem, ex hac reportet aliquid lucri, imò tantum, quantum reportat, qui actu centum florenos ad societatem contulerat. Subsumo. atqui Sempronius pro primo anno nihil omnino contulit: ergo &c.

Prob. ant. subsumpti, tantummodo tradidit syngraphum, qua se obligaverat ad solvendum suo tempore centenos florenos: ergo nihil pro illo anno contulit, ex quo lucrum recipere posset. Prob. ant. ipsa sola syngrapha est aliquid penitus sterile, infructuosum, atque inhabile ad lucrum pro illo anno in societate faciendum: ergo si syngraphum solam contulit, nihil, ex quo lucrum reportari posset, contulit: ast, prob. non serviebat ad emendam materiam coquendæ cerevisiæ necessariam: neque erat utilis ad solvenda salaria ministris in coquenda cerevisia occupatis: vel ad reparanda vasa ex longiore usu de-

detrita, aut ad ullum aliud conduxerat: ergo &c.

Conf. 2. Qui contulit centum florenos, ille se privavit occasione faciendi ex illis aliud lucrum: qui autem contulit solam syngraphan potuit suis centum florenis facere, & forsitan etiam fecit aliud quoddam lucrum: ergo si æqualem portionem lucri ex societate reportant ambo, divisio hujus non est facta pro quantitate collatarum partium: prob. conf. ambo acceperunt æqualem portionem lucri ex societate, & tamen ad hanc contulerunt inæqualiter: nam unus contulit centum florenos, & actualem abdicationem juris, facultatisque aliquid lucrandi ex contributis centum florenis, alter autem neque centum florenos contulit, neque abdicationem juris, & facultatis aliquid ex illis lucrandi, uti patet: sed hæc sunt vel maximè inæqualia, cùm lucrum cessans sit pretio æstimabile, hoc autem contulerit suo modo unus, non itidem alter.

Conf. 3. Contractus leoninus dicitur, quando unus tantùm sentit lucrum, & non damnum: reliqui verò etiam damnum: sed hoc fieret: prob. Sempronius sentiret lucrum & non damnum, eò quòd interea suis centum florenis potuerit aliam negotiationem instituere: insuper portionem æqualem reliquis acciperet, cæteri autem licèt in accipienda portione fuerint æquales, damnum tamen quoddam ex eo fuerunt passi, quod suis centum florenis interea ad lucrum faciendum non potuerint uti: ergo &c.

Dices 1. Socij praxatorij po- 14
tuerunt centum florenis credito emere frumentum coquendæ cerevisiæ applicandum, & venditorem remittere finito anno ad Sempronium, ut ab hoc præfatum centum florenorum pretium recipiat: ergo jam contulit aliquid Sempronius ad societatem. R. si hæc omnia cum consensu sociorum & Sempronij, uti etiam venditoris contigerunt, fuisse syngraphan fructiferam: necdum tamen Sempronio competiturum esse jus ad æqualem cum cæteris centum florenorum contributoribus portionem lucri, eò quòd isti, uti probavimus, se aliquo privaverint, potestate scilicet utendi illo anno suis pecunijs ad aliud lucrum, non autem ipse Sempronius.

Cæterum, cùm hæc non contigerint, necdum ostensum est, aliquod ex scheda hac lucrum societati accrevisse. Dein vel deerant societati sufficientes pecuniæ ad illud frumentum comparandum, vel non? Si non deerant, nunquam consenserit in hoc societas tanquam sibi damnosum ob diminutionem lucri in plures partes dividendi sine ullo prorsus commodo. Si deerant sufficientes pecuniæ, & venditor credito societati dare voluit fru-

mentum, iterum non erat opus syngraphâ Sempronij, potuit enim ad illud debitum elapso anno solvendum se obligare societas, quam utique sibi præ Sempronio obligatam mavult frumenti venditor, & tunc non ita diminutæ ob excluſum Sempronium fuissent singulæ portiones dividendi lucri, consequenter adhuc superflua, & societati damnosa videtur fuisse Sempronij syngrapha.

15 Dices 2. Literæ censuales sunt frugiferæ, ac pretio comparantur: ergo &c. ℟. disparitatem esse, quòd illæ tribuant jus percipiendi annuatim certas, ac determinatas pensiones censuum ex alterius frugifera re percipiendos: ex altera parte probavimus, Sempronij syngraphàm requisitam ad obtinendum lucrum utilitatem nequaquam societati adducere.

16 Dices 3. Etiam Sempronij syngrapha tribuit societati jus expetendi post annum à Sempronio centum florenos: ergo &c.

℟. transeat. neg. cons. ut enim portionem ex hoc anno reportatis à societate lucris expoſcere valeat, debuit Sempronius pro hoc anno quidpiam contulisse ad societatem, hoc autem non factum, licèt postea exigatur, & solvatur prædicta summa à Sempronio, non enim apparet, quomodo societas minus quid in suo annuo lucro haberet; si Sempronius schedam suam eidem non tradidisset, Sicut igitur ille, qui statim dat centum florenos, ex hoc non potest exigere aliquam portionem ex lucro prioris anni. Ita neque talis solutio 100. florenos post annum facienda potest partem ex lucro currentis exigere. Accedit, quòd societas pecunijs Sempronij nequaquam indigeat, malitque illas ab ipso retineri, ne portiones lucri ob pluralitatem sociorum sint diminuendi. Accedit, quòd etiam societas praxatoria accipiens schedam se obliget Sempronio, quòd velit pro centum florenis ab illo post annum persolvendis viciſſim eidem annuatim persolvere certam portionem lucri: ergo obligatio Sempronij ad solvendam suam pecuniam abunde compensatur hac reciproca societatis obligatione.

Ex hucusque allatis manet sufficienter probatum, Sempronium nullam cum reliquis membris societatem pro hoc anno contraxisse, carere consequenter omni jure ac titulo accipiendi propterea partem lucri ex divendita per annum cerevisia obtenti.

§. III.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An ex nullo alio titulo retinere hanc partem lucri Sempronius possit?

17 REspondeò: si societas nullo ex metu compulsa in hoc pactum cum Sempronio ultrò consenserat, posse illam portionem ab hoc retineri ex titulo donationis. Ratio est, quòd absente metu præsumere possit, cætera societatis membra eam portionem Sempronio donare, eo ipso, quòd ultrò illam persolvant, licèt sciant, nullum ex hac papyracea obligatione lucrum in societatem pro illo anno redundare, ut scilicet hoc favore sibi affectum Sempronium efficiant, quem sciverunt sibi, & nocere & prodesse in suo officio posse. Dixi tamen si nullo metu compulsi consortes in hoc consenserint: metus enim tollit voluntarium, vel saltem minuit.

CASUS XXIII.

De alienatis ab uno ædibus pro indiviso cum alia possessis.

MArtino, & Annæ germanis liberis ex hæreditate paterna obvenerat inter alia, & quidem pro indiviso defuncti parentis domus, post aliquot tempus Maritus hæredis Annæ, quia nolebat diutiùs in communione harum ædium persistere cum defuncti Martini uxore ac relicta filia, suum ad prædictas ædes jus venditione aut permutatione invitâ & reclamante uxore defuncti Martini in alium transferre statuit.

Q. 1. Utrum invito altero condomino Maritus Annæ potuerit validè alienare suum in has ædes cum alia commune jus.

Q. 2. An jus retractûs gentilitium locum habeat in venditione?

Q. 3. An matri viduæ competat jus retractûs in ædes, extraneo venditas ex titulo communionis?

Q. 4. An hoc jus etiam procedat in permutatione?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum maritus Annæ potuerit validè alienare &c.

1. *Quid sit aliquam rem pro indiviso à pluribus haberi.*
2. *Modus, quo duo pro indiviso obtinent tale jus, est varius.*
3. *Quæ* Lege 34. §. 2. Cod. de donat. *de eadem re duobus donata habeantur, innuitur.*
4. *Num unus horum non amplius volens manere in communione cum altero suum jus possit tertio vendere, vel cogere, ut sibi vendat, vel à se emat?*
5. *Quid de hoc decernant* Lex 34. §. 2. Cod. de donat. & Lex ultima Cod. de commun. divid.
6. *Ejusmodi communis duobus rei venditio probabilius non valet invito consorte facta.*
7. *Satisfit rationi contrariæ.*

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An jus retractûs gentilitium locum habeat in venditione?

8. *Nomen hoc* retractus *derivatur à verbo retraho.*
9. *Quid sit retractus, explicatur.*
10. *Est triplex.*
11. *Alius retractus est gentilitius, seu consanguinitatis, alius communionis seu societatis.*
12. *Vi Juris communis sola bona im-*

immobilia, & successione hæreditaria acquisita retractui sunt subjecta.

13. Jus retractûs in has ædes nequaquam competit uxori defuncti hæredis Martini.

14. Benè autem relictis liberis etiam Fœminis.

15. Ut tamen hoc jus suæ Matri cedere nequeant.

16. Licet illam hæredem instituissent, vel alium extraneum.

17. Nec potuit Mater pro suis filiabus retrahere, absque speciali harum mandato aut subsecuta ratihabitione.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An Matri viduæ jus retractûs in ædes extraneo venditas competat?

18. Natura retractûs communionis, seu Societatis.

19. Et quandonam ei locus sit explicatur.

20. Matri, solùm ut Dominæ ædium in hoc casu retractus competit.

21. Si Domina non fuerat in indivisum, filiæ, atque ex hujus solùm mandato Matri competebat.

22. Nemo quidem potest alteri retrahere proprio nomine, alieno tamen, & in commodum alterius.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

An hoc ipsum Jus retractûs etiam locum habeat in permutationibus?

23. 24. 25. 26. 27. Afferuntur rationes sententiæ affirmativæ faventes.

28. Et statuitur totam hanc litem decidendam ex consuetudine in privatis quibuslibet locis vigente.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum invito altero condomino Maritus Annæ potuerit validè alienare suum in has ædes cum alia commune jus?

1 NOta 1. ædes vel quamcunque aliam rem pro indiviso haberi, quando tota ad omnes pertinet, ita ut pars una non magis ad unum, quàm ad alterum spectet.

2 Nota 2. Modum, quo talis res duobus vel pluribus pro indiviso obvenerat, posse fuisse varium: scilicet donatione, emptione aut hæreditate.

3 Nota 3. *Lege 34. §. 2. Cod. de donat.* dici. Si duobus eadem res donata sit v. g. fundus, ita ut unus habeat plus, puta duas partes, alter tantùm unam & inter eos incidat contentio, ut non ampliùs placeat in communione manere, fas esse illi, qui habet duas partes, totum sibi vendicare, oblato pretio pro parte illa minore, quam sibi vendicat. Er mög den anderen außlösen: quod si facere nolit, divisionem esse faciendam, quæ si fieri absque rei periculo non possit, in arbitrio esse illius, qui minus habet, redimere oblato pretio majorem partem.

4 Nota. 4. Controversiam modò in eo esse positam. Si eadem res indivisa, seu tota & totaliter quoad omnes partes ad duos pertineat pro indiviso, ita ut nulla determinata pars spectet ad hunc, & nulla alia ad alterum, sed quæ ad hunc partes spectant, etiam spectant ad alterum, an inquam in hoc casu, si unus illorum non ampliùs vellet in communione hujus boni manere, possit altero invito vel non requisito suum jus ad tale commune bonum alij extraneo vendere? Item si suo condomino pretium pro suo jure obtulerit, hic autem istud accipere recusaverit, recusans obligari possit ad sibi vendicandum totum jus persoluto justo & jus alterius adæquante pretio.

Licentiam hujus alienationis videtur evincere adducta *Lex 34. §. 2. Cod. de don. item lex ultima Cod. comm. divid. ait nam in communi vel Societate nemo compellitur invitus detineri.* Verùm quod Legem 34. citatam concernit, dat hæc illi tantummodo licentiam partem suam vendendi alteri consorti ejusdem rei quoad aliam partem: nullibi tamen ibidem dicitur,

tur, quod etiam in extraneum illud jus alienare valeat.

Secundò Lex illa loquitur de re, cujus aliqua vel aliquot partes spectant ad unum, alia verò pars ejusdem rei spectat ad alterum. In præsenti autem casu idem totum quoad omnes partes pro indiviso spectat ad singulos, quod utique est aliquid à priore diversum.

Tertiò allata *Lex 34.* loquitur duntaxat de re donata, non autem universaliter de rebus alio quodam modo obtentis, hæreditate, emptione &c. scio quidem nonnullos apud Brunneman *in cit. Legem 34. n. 23.* quibus favere videtur *Struvius exorci. 24. Th. 7.* dispositionem citatæ de donatione legis extendere ad quascunque res alijs titulis obtentas, verum & isti duntaxat asserunt, quod plures socij, si in commune non ampliùs velint vivere, & res incommodè dividatur, alter ad suam partem vendendam, & alter ad emendam teneantur, nihil autem decernunt circa id, an licitè & validè externo & non socio vendatur invito consorte. Hinc.

6 Dico. probabiliùs non subsistere talis rei alienationem invito consorte in extraneum factam. ita Sichard. *in Legem 34. §. 2. de donat. n. 7.* Ratio est, dispositio *citatæ Legis 34.* non loquitur de alienatione facta in extraneum. 2. Est specialis concernens solas res donatione aquisitas: ergo ad aquisita ex alio titulo non est extendenda, probatur consequentia. considerato jure communi, qui habent rem communem, licèt pro disparibus portionibus, non habent illud jus offerendi, sed quilibet retinet suam partem, ita ut alter sine consensu alterius in re communi nihil possit facere, per vulgatam regulam, qua dicitur; in re communi potiorem esse conditionem prohibentis, id est, plus operari in re communi prohibitionem unius ex socijs, quàm alterius jussionem & mandatum in re comuni aliquid attentantis. *L. sabinus ff. comm. divid. & Lege penult. 5. comm. divid & in reg. 28 ff. communi divid.* dicitur. *in re communi neminem Dominorum jure facere quicquam invito altero posse.* Ita sentit Sichardus loco citato, cui suffragatur Melchior Friderich *de vendit. p. 2. art. 1. n. 114.*

Dices: vi *Legis ultimæ Cod. comm. divid. in communione vel societate nemo compellitur invitus detineri:* ergo potest suum jus alteri etiam externo concedere. R. transmisso antecedente. nego consequentiam. potest enim se liberare hac communione, si comparti emendum suum jus offerat, vel ab hac jus, quod ei competit, emat. 7

Dices: poteritne altera pars invita ad emendum vel vendendum suum jus obligari? Item

potest esse, ut unus ex duobus talibus socijs bene videat, quod alter suus consors careat medijs ad suum jus à se emendum & hinc offerendo eidem facultatem à se emendi vel accipiendi pretium pro suo jure pauperiorem invitum deturbabit ex sua possessione ac jure. Ex. in tali casu videri rem ad arbitrum vel ad judicem deferendam esse, ut isti consideratis utriusque partis rationibus, quod æquum justúmve est, decidant.

Dices 2. Communio est Mater discordiarum *vi Legis 77. §. 20. & Lege 2.* insuper Reipublicæ interest, ne inter subditos discordiæ seminentur: ergo utilitas publica exigit, ut talis venditio non sit invalida, vel illicita.

Ex tali communione negligens administratio inducitur. probatur vi *Legis 2. in princ. Cod. quando & quibus quarta pars &c.* Habetur: naturale vitium esse negligi quod communiter possidetur.

Lex 14. §. 2. ff. commun. divid. asserit non posse prohiberi inter vivos, ne omnino fiat divisio communionis.

Item vi *Legis 20. ff. pro socio* nulla societas in æternum coiri potest.

Ad has rationes responderi potest, illas probare, quòd nullus obligetur ad hoc, ut perpetuò eandem rem pro indiviso cum alio suo socio habeat, minimè autem evincunt, quòd alteri extraneo vendere possit invito socio communionis: modò igitur talis possit vendere suo socio jam obtinetur finis harum legum.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum?

An jus retractûs gentilitium locum habeat in venditione?

8 NOt 1. Nomen hoc retractus derivari à verbo retraho seu retrahendo ac revocando, in quantum scilicet aliquibus competit jus alienata bona à legitimis eorum jam Dominis & possessoribus revocandi ac retrahendi.

9 Not. 2. Retractum taliter acceptum definiri comodè, dicendo illum esse jus vi legis, statuti aut consuetudinis alicui competens ad rem ab alio alienatam, refuso ipsius Domino & possessori pretio sibi vendicandam, in idem recidit. si dicas cum alijs, quòd sit redemptio rei venditæ eodem oblato pretio, jure sibi à Lege vel consuetudine vel vi pacti concesso. Germanis dicitur. Rückkauff: Näher-Gelsung. Einstand-Recht / Abtrib.

Not.

10 Not. 3. Ex hoc conceptu colligi jus retractûs esse triplex ratione originis, ex qua consurgit; legale scilicet, si ex legibus profluat, statutarium, si vi statuti specialis cujusdam loci obtentum, ac denique consuetudinarium si legitima consuetudine fuerit introductum.

11 Not. 4. Aliam divisionem retractûs fieri in retractum communionis, seu societatis, & in retractum gentilitium, seu consanguinitatis, ille convenit ijs, qui in eadem re jus & dominium indivisum habent: iste consanguineis & sanguine junctis. vi illius, dum unus illorum, qui indivisum cum altero dominium in certam rem habet, suam partem extraneo vendidit, alter oblato eodem pretio eam retrahere possit: vi hujus, id est gentilitij, seu consanguinitatis, proximi consanguinei rem extra familiam ab aliquo consanguineorum alienatam ex titulo consanguinitatis pretio oblato intra tempora constituta legitimè retrahere & ad se revocare possunt. Jus istud vocatur gentilitium seu consanguinitatis, legitimum & lineare.

12 Not. 5. Ut res ex jure gentilitio retrahi possint communi & ordinario jure debere illa esse immobilia, & successione hæreditaria acquisita: Ratio est, quòd consanguineis hoc jus concessum à Legibus statuto, aut consuetudine, ut Majorum memoriæ conservatio & affectio continuarentur, ad quem finem bona mobilia, quæ facilè pereunt, non ita apta & habilia videntur. His præmissis.

Dico 1. Relictæ viduæ tanquam 13
uxori defuncti hæredis filij nequaquam competere jus retractûs gentilitium in has ædes. Probatur. Juxta Gail. *l. 2. observat. 19.* Mynsinger. *cent. 3. observat. 51. n. 5.* Leuren. *l. 3. tit. 17. q. 323. 31.* hoc jus competit omnibus, & solis consanguineis: atqui uxor non annumeratur consanguineis respectu consanguineorum sui mariti: ergo &c. 2. Jus retractûs est introductum, ne bona exeant è familia defuncti: sed uxor non est è familia, seu genere defuncti mariti: ergo &c.

Probatur 3. Juxta Gregorium Lopez *leg. 56. tit. 5. part. 5.* Glossa, Azebedo *Lege 7. tit. 11. lib. 5. num. 45.* uxor nequaquam retrahere potest rem patrimonialem sui viri ab hoc venditam, eò quòd non sit illius consanguinea, licèt intimè conjuncta & insuper res talis vendita ad patrimonium uxoris non pertineat: ergo neque à defuncto patre relictam liberis domum uxorio nomine poterit retrahere.

Probatur 4. Jus retractûs est odiosa materia: ergo ultra proprietatem verborum, queis designantur personæ, quibus competit, non est extendendum: atqui uxori non competit titulus con-

sanguineæ respectu viri, aut cæterorum sui viri consanguineorum.

14 Dico 2. Ipsis tamen liberis, licèt fœminæ sint, hoc gentilitium jus in has ædes venditas competere. Ita Tiraquell. *de retract. l. 1. §. 5.* Glossa *9. n. 28.* in quantum asserit, & pluribus ostendit retractum esse materiam odiosam, & in materia odiosa masculinum regulariter comprehendere fœmininum. Palao *de Just. disp. 5. pu. 29. §. 3. n. 1.* Probatur. Ratio ob quam jus retractûs fuerat introductum, erat, ut res patrimoniales apud consanguineos, & familiam conservarentur: atqui etiam hæc ratio procedit apud fœminas.

Eadem conclusio constat *ex cap. constitutus 8. de in integrum restitutione item ex constitut. Friderici Imperatoris. V. si quis. juncta Lege. 5. ff. de V. S. Lege unica Cod. de imponent. lucrat. descriptione Lege ultima Cod. quorum bonorum. Leg. 5. Cod. de legit. hæred. Leg. 4. Cod. unde Cogn.*

Dices: retractus quidem concessus fuit, *ne res exeat è familia:* atqui probari nequit, etiam fœminas contineri sub appellatione familiæ ac generis: ergo &c Respondeo, quòd etiam fœminæ contineantur, si materia subjecta non repugnet, haberi *ex Lege ultima Cod. de V. S. Leg. 4. & 30. Cod. de fideicommissis.*

Dico 3. Relictæ filiæ nequa- 15
quam hoc sibi competens jus retractûs suæ dominæ matri cedere potuerunt; ita ut hæc nomine proprio jus gentilitium retractûs postmodum habuerit. Ita Engl *de vendit. n. 24.* P. Friderich *n. 991.* Schmier *de pactis & contract. c. 2. n. 282.* Prob. Jus gentilitium retractûs est in favorem personæ concessum: sed hic favor personæ non competit alijs non consanguineis vendenti: ergo &c.

Dico 4. Licèt filia ista defun- 16
cta suam dominam Matrem hæredem omnium suorum bonorum, & jurium instituisset, vel alium extraneum, neutrum tamen istorum habiturum fuisse hoc jus. ita cit. pro superiore conclusione, Prob. talis institutio hæredis nequaquam istum efficit consanguineum venditoris: ergo cùm solus consanguineus habeat jus hoc, non habebunt tales hæredes non consanguinei. Prob. 2. Vi *Legis cùm hæredes: ff. de acquirenda possessione. Legis 1. & seq. Cod. de hæreditar. action.* hæredi solùm transmittentur, quæ hæreditaria sunt: atqui hoc jus non est hæreditarium, cùm solis consanguineis competat: ergo &c.

Dico 5. Ea ipsa Mater non po- 17
tuit pro suis filiabus tanquam sibi conjunctis ratione hujus suæ conjunctionis præcisè retrahere, si speciale mandatum non habuerit, vel ratihabitio filiarum postmodum non accesserit. Probatur pri-

prima pars. Ad hoc ut aliquis nomine alterius retrahat, requiritur ſpeciale mandatum: at in iis, quæ ſpeciale mandatum requirunt, vi conjunctionis nihil operantur conjuncti ſine ſpeciali mandato, aut ratihabitione ſuperveniente: ergo &c. Major cum communi defenditur à Matien. *Leg. 8.* Gloſſa *14. n. 28.* Azebedo *n. 18.* Palao *de Juſt. diſp. 5. per. 29. §. 3. n. 21.* Probatur itaque etiam minor *ex Lege Patrim. juncta Lege illud ff. de minoribus.* Sufficere autem etiam ratihabitionem poſtmodum ſupervenientem probamus *ex Lege 3. §. ſi procurator. ff. de acquirenda hæredit. hic enim habetur: ſi hoc ei ſpecialiter mandavi, vel ratum habui. Idem cap. fin. de jurejur. in 6.* tradit etiam Gloſſa *in Lege Paulus aliàs per procuratorem ff. de acquirenda hæreditate.*

Ut autem hæc ſuperveniens ratihabitio effectum ſuum ſortiatur, concedenda illa erit intra tempus ad inſtituendam actionem retractûs conſanguineis conceſſam. Ita habetur *in Lege fin. ff. rem ratam habere.* Ratio eſt, qui intentat retractum ſine mandato nihil præſtat, & tota actio retractûs ratihabitioni ut ſuo unico fundamento innititur: ergo ut valeat talis actio, debet ratihabitio fuiſſe data, antequam tempus retractûs actioni inſtituendæ conceſſum finitum fuerit. Quantum autem tempus in Germania, vel Bavaria conſtitutum juri retractûs fuerit, habetur apud P. Schmalzgrueber *tit. de emptione n. 231.*

§. III.

Reſolvitur tertium Quæſitum.

An Matri viduæ competat jus retractûs in ædes extraneo venditas ex titulo communionis?

18 ULtra retractum gentilitium datur etiam retractus communionis ſeu ſocietatis, cui locus eſt, quando plures pro indiviſo ſunt Domini alicujus fundi, aut ſervitutis. Unus autem illorum ſuam partem, aut jus extraneo vendit. Tunc enim cæteri ſocij poteſtatem habent oblato eodem emptori pretio rem venditam retrahendi.

Ut autem hoc jus alicui competat, debet iſte cum vendente in eadem re indiviſum jus, & dominium habere. Conſequenter ut viduæ Matri jus ex titulo communionis ad retrahendam hanc domum habeat, pro indiviſo illius dominium habuiſſe debuit. 19

Dico itaque. Si relicta Domina vidua ex hæreditate, vel donatione à filiabus facta, aut qua- 20

cunque ex alia ratione erat in indivisum Domina cum venditore harum ædium potuisse istam retrahere dato eodem pretio emptori, quo ædes hic sibi comparaverat. Ita Matien Azebedo cum Palao *disp. 5. de Just. pu. 29. §. 10. n. 6. habetur in Lege eos ff. finium regundorum, & videtur posse colligi ex Lege: si quis duas §. si quis partem ff. communia prædiorum.* hìc enim dicitur, non posse servitutem imponi parti fundi, quam ego alteri tradidi, si fundum totum pro indiviso cum altero possideam: posse autem servitutem ejusmodi parti à me imponi, si fundus in duas partes sit divisus: ergo videtur etiam, non posse vendi domus indivisim cum alia Domina possessa, si hæc non consenserit in istam venditionem; & hinc eidem licitum esse retractum. Ulteriùs quod cohæres ratione communionis rem hæreditariam communem repetere hoc modo valeat, si reliquus cohæres eam vendat alicui hæreditatis exorti. Habetur ex *Lege Sancimus 2 §. 24. Cod. de donat. Leg. 12. de evict. Lege 38. de donat. inter virum & uxorem.* Licèt autem modò citatæ leges de communione inter hæredes solùm loquantur illarum tamen dispositionem Zœsius ad Pandectaram *lib. 18. tit. 3. de retract. num. 36.* & Struvius *syntag. Jur. Exer. 24. th. 54.* alijque extendunt ad quosvis, qui cum altero communem, & indivisam possessionem, aut dominium habent. His consentit Palao *de Just. commut. disp. 5. pu. 25. §. 10. n. 1.* in casu, quando tales in eadem re indivisum jus habent, quando habere dicuntur, tametsi ex pacto jam cuilibet certa pars sit determinata, dummodo adhuc realis divisio necdum fuerit facta.

Dico 2. Si Dominæ viduæ dominium hoc in indivisum non competebat, sed filiæ, tunc hæc, vel Domina parens, ex mandato speciali suæ filiæ poterat retractum facere. Constat conclusio ex dictis 11

Dices: Juxta commune principium: nemo potest alteri retrahere: ergo &c. 12 *N.* distinguo antecedens nemo alteri in proprium suum commodum, & nomine proprio potest retrahere. Concedo, in alterius commodum & nomine alieno negatur: habetur hoc ultimum *in Reg. qui pro alium & Reg. potest quis de Reg. Juris in 6.*

§. IV.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

An hoc ipsum jus retractûs Dominæ Matri, aut filiæ illius competat in permutatione harum ædium cum alienis facta?

23 QUòd in tali permutatione non fuerit locus retractui gentilitio, aut societatis, aut communionis, tenent *Leur: lib. 3. fori Eccles. tit. 17. q. 327. n. 6.* Palao *disp. 5. puncto. 29. §. 6. n. 9.* Matien *Le. 7.* Glossa *10. per totam* Azebedo *n. 90.* fundat hoc suum assertum prælaudatus Palao *in Le. 2. tit. 11. lib. 5. novæ collect.* decidente in permutatione locum contractui non esse. His Authoribus non immeritò objici poterit, Leges à Palao citatas vigere tantum in Hispania, pro qua sola sunt latæ: ergo in germania nullam illarum rationem aut reflexionem faciendam.

24 2. Ratio, ob quam in venditione datur consanguineis jus retractûs, est, ut bona paterna vel familiæ apud familiam remaneant: atqui hæc ratio etiam habet locum in alienatione ope permutationis.

25 3. Si locus retractui non sit in permutatione, tunc jus & licentia retractûs facilè potest eludi, quia poterit permutationem instituere.

4. Cum terminus hic *venditio* 26
sumatur subinde latiùs pro quocunque contractu, *ut patet ex §. item pretium 2. Inst. h. t. Lege statu liberi 29. ff. de statu liberi: Lege sicut 8. §. 11. ff. quibus modis pign. Lege sciendum 19. §. 5. ff. de ædilit: edicto & genes. c. 25.* Ideo potest dici, quòd hoc nomen venditio latiùs accipiatur, quando in eadem dicitur esse locus retractui.

5. Sicuti nemo invitus in com- 27
munione vel societate detineri compellitur. vi *Legis ultimæ Cod. comm. dividundo.* Ita ex opposito per consequentiam etiam nemo compelli poterit, ut invitus ineat communionem ac societatem, præsertim cùm novus socius plurimas & majores, quàm primus molestias creare suo consorti possit v. g. si domum velit inhabitare instructus multo famulitio. Si exerceat professionem multis periculis incendij subjectam, oppidò incommodam alijs eandem domum incolentibus.

Ut igitur quid in hac re con- 28
troversa sentiamus, explicemus:

dici-

dicimus jus retractûs tam gentilitij quàm communionis ex nullo Jure communi, sed ex municipali ac consuetudinario dependere: hoc cùm pro varietate locorum etiam ipsum sit varium, universale quidpiam & in communi pro omnibus provincijs poterit difficulter decerni. Ex jure communi nihil in hac re statui, ex eo probari potest, quòd per *Legem dudum 18. §. de contrab. empt:* Jus retractûs revocatum, nec per constitutionem Friderici Imperatoris restauratum sit, eo quòd ista inter Leges Romanas contendente Carpz. *p. 2. const. 31. def. 1.* Berlich. *p. 2. con. 39. n. 15.* recepta hactenus necdum fuerit. Cùm igitur quotidiana consuetudine in Germaniâ practicetur æstimandum est, generali totius Germaniæ, ac omnium ferè locorum consuetudine jus retractûs receptum fuisse.

Illud addimus, Palaum. Lauren. *cum alijs* communiter ut certum affirmare parti innocenti etiam in permutatione jus retractûs competere, si constet ac probari possit, dolosè ac in fraudem consortis permutationem potiùs quàm venditionem rei communis institutam fuisse. Unde circumstantiæ, in quibus hæc permutatio facta est, erunt examinandæ, ut decidatur, an jus retractûs uxori ac filiæ defuncti Martini competat.

CASUS XXIV.

De Lusu Religiosorum.

QUidam Religiosus ex ordine A. tempore Vacationum autumnalium divertens ad celeberrimum quoddam alterius cujusdam ordinis Monasterium ab hujus R. R. Patribus ad ludum chartarum invitatus fuerat, renuit ab initio diutiùs Religiosus hospes, eò quòd optimè noviſſet, se semper ob suam in ludendo infelicitatem ad magnam iram commoveri. instant tamen acriùs Religiosi domestici, & vix non hospitem invitum ad ludum chartarum compellunt, continuandum ad certas horas, queis finitis cuilibet

bet licitum foret, si voluerit, à ludo desistere, luditur itaque & contra omnem spem, & exspectationem Religiosus hospes sexaginta florenos lucratur. Cùm designatæ pro lusu chartarum horæ, & adhuc una vel altera effluxissent hospes victor ludendo fessus abrumpere lusum meditatur; cùm ecce reliqui Religiosi commoveri irâ útque ludum continuet, ardentiùs exposcere, nec velle permittere, ut lusum victor abrumpat, victor hospes, cùm nec ulterius ludere, nec Religiosos, á quibus lautissimè tractabatur, offendere, aut contristari vellet, sexaginta quos lucratus fuerat, florenos, in mediam mensam projicit, útque singuli suam, quam perdiderant partem ex illa seligant, hortatur, quod & diligentissimè à devictis impletum fuit, occasione hujus casûs,

Q. 1. Qualisnam præsumpta licentia Religiosis ad aliquid accipiendum vel expendendum sufficiat?

Q. 2. An Religiosus habens licentiam ad aliqua in usus, qui ei placuerint expendenda, admittat peccatum proprietatis, si illa in usus inhonestos expendat?

Q. 3. Quid de hoc particulari casu sit tenendum?

SYNOPSIS.

§. 1.

Resolvitur primum Quæsitum?

Qualisnam licentia præsumpta sufficiat?

1. *Emittentes votum paupertatis perpetuæ in religione approbata omni jure, dominio, vel saltem libera dispositione bonorum fortunæ se abdicant.*
2. *Hujus voti violatio est sacrilegium.*
3. *Et contingit, si acceptio, retentio, vel alienatio sine consensu superioris fiant.*
4. *Etiam obtento consensu superioris violari paupertatis votum potest.*
5. *Licentia consentientis superioris potest esse diversa.*

6. Variæ species licentiæ præsumptæ explicantur.
7. Ut aliquid à Religioso licitè accipiatur, sufficit licentia tacita.
8. Si Superior adiri nequeat, urgeatque occasio, sufficit, quòd consensus superioris præsumi possit.
9. Monendus tamen de hoc postmodum Superior erit.
10. Nec sufficit, subditum scire, Superiorem si rogaretur, consensurum.
11. Sufficit autem, quòd Prælatus sit ita invitus quoad modum, quin ratione hujus etiam quoad substantiam sit invitus.
12. Aliàs peccabitur graviter.
13. In quo sensu licentia præsumpta detur actu.
14. Consensus primùm futurus sufficit ad effectum, qui solùm debet non esse involuntarius.
15. Votum paupertatis Religiosam verò pauperi assimilat.
16. In quibusdam circumstantijs etiam postea non erit licentia petenda.
17. Non quævis taciturnitas Prælati videtur esse sufficiens.
18. Quandonam taciturnitas Prælati videntis, ac tacentis sit habenda pro approbatione.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An Religiosus habens licentiam ad aliqua, in usus, qui sibi placuerint expendenda, admittat peccatum proprietatis, aut injustitiæ, expendendo illa ad usus turpes, aut prohibitos?

19. Decisio hujus difficultatis ex quo petenda Auctores, qui negant superiorem posse dare subditis facultatem expendendi sua in usus illicitos.
21. Afferuntur illorum rationes.
22. Dans generalem licentiam, hac etiam illicitos usus potest comprehendere.
23. Prout fit in dispensatione circa impedimentum consanguinitatis, aut circa jejunium.
24. Solus concedens particularem ad usus illicitos licentiam, istis cooperari videtur.
25. Non autem dans generalem, qui sine limitatione subordinato superiori concedi potest.
26. Qui semel habita superior non videtur invitus quoad substantiam.
27. Nec obstat, quòd Prælatus sit solùm Administrator bonorum Regularium.

21. Tur-

28. Turpitudo subinde in ipso contractu, subinde in solius contrahentis mente reperitur.
29. Quæ in solius contrahentis animo se tenet, sub generali licentia comprehenditur.
30. Hæc etiam probabiliùs se extendit ad actus in se turpes.
31. Licentia ad actus turpes in generali concessione sine peccato potest subditis concedi.
32. Ratio affertur, cur Pontifex dans facultatem Episcopo testandi judicetur excipere causas profanas; non autem superior Religiosus usus inhonestos ac turpes.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Quid de hoc particulari casu sit tenendum?

33. Religiosus noster si absque omni licentia sui superioris luserat, violavit votum paupertatis.
34. Et consequenter aquisitum taliter lucrum tenebatur restituere.
35. Nec potest talis ab initio invalidus contractus postmodum à Prælato ratificari.
36. Nec ipsi Religiosi domestici ab externo sine licentia ludente obtentum lucrum fecissent suum.
37. Possunt Prælati Religiosi subditis suis dare licentiam ad honestum lusum.
38. Si victor in ludo Religiosus universalem licentiam habuit sua expendendi, valebat lusus.
39. Erat tamen iste nullus, si lusus in illo ordine erat prohibitus; & Religiosus ad honestos duntaxat usus habebat licentiam.
40. Supposito valore lusûs lucrum transijt in dominium Monasterij.
41. Ut validè ludatur, debent colludores illam, quam singulis jactibus deponunt, quantitatem habere.
42. Lucrum aquisitum uno jactu potuit exponi etiam altero, quamdiu idem ludus duraverat.
43. Et probabiliùs etiam altero die cum ijsdem Religiosis ludendo.
44. Nec potuit per se lucrum à victore devictis in ludo Religiosis restitui.
45. Benè autem per accidens.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Qualisnam præsumpta licentia Religiosis ad aliquid accipiendum, vel expendendum sufficiat?

1 CErtum est primò, quòd emittentes in Religione approbata votum paupertatis perpetuæ se abdicent omnium rerum temporalium externarum dominio, possessione, omnique jure reali, vel saltem liberâ, sive à superioris consensu independente, ejusmodi rerum dispositione, & usu.

2 Certum est secundò, violationem hujus voto promissæ paupertatis peccatum sacrilegij esse, cùm reverentiæ Deo debitæ repugnet, exhibere se illi infidelem, non exequendo, quod promissum eidem fuerat.

3 Certum est tertiò, ut hoc paupertatis votum violetur, necessarium esse, ut acceptio, & retentio, vel alienatio absque superioris consensu fiat: tunc enim fit nomine proprio, quando non fit dependenter à licentia concessa à superiore. Juxta *cap. non dicatis: 12. q. 1.* ibi: *quicunque autem in tantum progressus fuerit malum, ut occultè quodlibet munus accipiat*: & *cap. cùm ad monasterium: de statu Monachorum* ibi: *non præsumat illud accipere.* Cùm autem ea, quæ sine licentia superioris accipiuntur, possint esse vel bona conventûs, vel externorum: hinc juxta Suarezium *t. de Religione lib. 2. c. 11. n. 39.* utens sine licentia superioris, ipsius conventûs rebus & bonis tum contra justitiam, tum contra Religionem peccabit, cùm re alterius invito rationabiliter Domino illius, utatur.

4 Certum est quartò, non obstante licentia superioris consentientis in acceptionem rei peccari posse contra votum paupertatis, si nimirum ejusmodi res non deceant statum paupertatis, quem Religiosi profitentur.

5 Cùm igitur ad licitum & voto puapertatis non contrariam rerum externarum usum licentia superioris sit necessaria, ideo qualis hæc debeat esse, examinandum superest. Dividetur illa communiter in expressam, & præsumptam: expressa datur, cùm superior verbis, aut signo his æquivalente communicat suo subdito licentiam: & hoc modo definita involvit etiam tacitam, in quantum hæc in quadam expressa, tanquam pars in toto, vel ali-

aliquid cum expressè concessa connexum, eique accessorium connectitur. præsumpta verò dicitur, quæ fundatur in consuetudine, quam superiores sciunt & non impediunt, cùm tamen possint, tunc enim tacitè videntur consentire. prout docent Sanchez *lib. 7. in Decalogum cap. 19. n. 7.* Suarez *tom. 3. de Religione lib. 8. cap. 11. n. 6. & 7.* Lugo *de Just. Disp. 3. sect. 7. n. 123.* Alia adhuc in consuetudine neutiquam fundata, præsumpta, seu interpretativa licentia datur, quæ neque in se, neque in alia expressè concessâ, data fuit, sed solummodo danda judicatur, si actu peteretur: in quantum subditus probabiliter judicat, superiorem nequaquam ægrè laturum esse, quòd subditus aliquam rem acceperit vel dederit etiam ipso inconsulto.

6 De hac igitur ultima specie præsumptæ licentiæ modò quæstio instituitur, in quibusnam circumstantijs illa sit sufficiens, ut peccatum proprietatis evitetur, licèt inscio Prælato aliquid accipiatur, vel detur alijs? Communiter asseritur, sufficere, quòd subditus sciat, quòd Prælatus, si adiretur, licentiam concessurus esset, licèt interea eidem modus displiceat aliquid accipiendi, aut dandi sine licentiæ petitione. Rationem hujus sui asserti afferunt, quòd in similibus casibus superior nequaquam quo ad substantiam, bene autem quo ad modum sit invitus, potest autem duplex in hac materia occurrere casus: primò potest contingere, ut propter absentiam vel periculum moræ superior adiri nequeat; ex altera verò parte urgeat occasio rationabiliter aliquid expendendi, vel accipiendi: secundò posset quidem superior facillimè adiri, hoc tamen omittit subditus persuasus, superiorem consensurum, vel non ægrè laturum esse, si etiam non requisito illius consensu rem talem accipiat vel expendat: item subditus potest sibi persuadere, superiorem super hoc requisitum, statim in acceptionem hujus rei consensurum esse, & propterea ille omittit eum adire, eò quòd præsumat, superiorem etiam non requisitum, quo ad substantiam non fore invitum, sed tantùm quo ad modum, hoc est, consentire in acceptionem rei, invitum tamen esse, ac ægrè ferre, quòd subditus eundem non convenerit, his suppositis.

Dico 1. Posse à subdito aliquid accipi vel expendi, modò habeat licentiam tacitam. Ita communis Doctorum. prob. *vi legis cum quid mutuum 2. ff. de rebus Creditis* taciti & expressi idem judicium, eadémque vis est. Prob. 2. tacitè concessum in expresso continetur virtute, ac ei annexum & accessorium est. Cùm autem tacita licentia adesse judicetur, dum superiore conscio, & cùm facilè 7

posset, non prohibente; vel etiam vi consuetudinis sciente & non contradicente superiore receptæ aliquid accipitur, sciendum, ut hæc veræ cuijusdam licentiæ tacitæ rationem habeat, necessarium esse, ut superior conscius non tantum taceat & non contradicat ex verecundia vel metu quærelarum, aut similium incommodorum; si enim ita se res habet, nequaquam consentire superior, sed tanquam minus malum solumodo tolerare præsumendus erit, hinc talis superioris consensus non erit voluntarius, & consequenter insufficiens.

8 Dico 2. Si propter absentiam, vel occupationem superioris, aut moræ periculum expressus consensus haberi non possit; ex altera verò parte accipiendi occasio urgeat, sufficiet præsumpta, hoc est, quòd prudenter præsumat, superiorem si adiri posset, in hanc acceptionem consensurum. Ita judicant Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 8. cap. 14. n. 3.* Palao *tract. 16. disp. 3. p. 23. n. 6.* Wiestner *de statu Monach. n. 35.* prob. qui aliquid accipit vel distrahit, quod rationabiliter credit superiorem, si conveniri hìc & nunc posset, esse approbaturum, non censetur hoc invito, & sine hujus licentia facere: ergo &c. ant. habetur in lege *inter omnes 46. §. 7. ff. de furtis.* In hoc enim non habetur reus furti, qui rem alienam cum Domini ratio-

nabiliter præsumpto consensu accipit.

Dico 3. Quod si taliter accepta necdum sint consumpta, sed 9
adhuc retineantur, ut contra votum paupertatis non peccetur, requiri, ut postea illorum acceptio superiori manifestetur, ita Sanchez *lib. 7. cap. 18. n. 1.* Lugo, Wiestner *loco cit. n. 36.* cum alijs probatur: solùm potuit præsumi, quòd Prælatus consentiat, ut sine suo consensu expresso accipiatur pro tunc, quando conveniri non poterat: non autem ut illo inconsulto etiam retineantur, quando remotis impedimentis adiri poterit.

Dico 4. Ad licentiam præsump- 10
tam nequaquam sufficere, quòd subditus sciat Prælatum, si adiretur, licentiam sibi concessurum esse. Ita Sanchez *lib. 7. in Decal. cap. 19. n. 13.* Lugo *de Just. disp. 3. sect. 7. n. 124.* cum alijs prob. hoc concesso tanquam licito omnis Religiosa disciplina dissolveretur, ipsum paupertatis votum esset observantia de solo titulo: ergo &c. Prob. ant. valde pauca in Religiosis evenient, quorum licentiam non sint obtenturi, si hanc à Prælato petiverint: ergo si hæc licentia conditionata sufficeret, everteretur disciplina Religiosa, cùm nunquam petenda esset licentia. Confirmatur, vel Religiosus crederet, quòd rogatus superior concessurus fuisset licentiam? vel non crederet? si non

non credit, stultè peteret, quòd non sperat concedendum: si credit, non deberet illum accedere; ergo nunquam petenda esset aliqua licentia.

Conf. 2. Illa licentia de superiore non est præsumenda, quàm ipse superior nequaquam potest concedere: sed non potest concedere, ut res acceptetur absque petita licentia, modò credatur, quòd superior esset hanc concessurus, si conveniretur: ergo &c. min. constat, quia hæc licentia destrueret totam Religiosam disciplinam, quam superior in conscientia sub gravi tenetur conservare.

Conf. 3. Si subditus sciat, superiorem velle, ut non violet certum præceptum, nisi in illo cum ipso fuerit dispensatum, non poterit ille sine gravi peccato tale præceptum transgredi, licèt sciat, superiorem, si ab hoc peteretur dispensatio, hanc eidem daturum esse: ergo idem de voto paupertatis tenendum; scilicet peccaturum graviter, qui scit Prælatum obligare graviter, ut nihil accipiatur sine licentia; ille tamen sine obtenta, & petita quidquam accipiat, ex eo, quia superior concessurus esset, si peteretur licentia.

11 Dico 5. Si Prælatus quo ad modum sit quidem invitus, non tamen ita, ut ratione hujusmodi etiam hic & nunc quoad substantiam invitus sit; cum tali præsumpta licentia operans nullum mortale contra paupertatis votum committet, ita Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 11. n. 6. & 7.* Lugo *n. 125. loco cit.* Prob. potest contingere, ut modus Prælato absolutè quidem, non tamen ita graviter displiceat, ut ratione hujus inconvenientis modi, totum suum jus retinere velit circa substantiam rei acceptæ vel distractæ: sed in tali casu non committitur peccatum grave: prob. min. in tali casu ipsa substantia acceptionis, vel alienationis non est contra voluntatem Prælati, sed solus modus: ergo &c. Prob. conf. quòd Prælatus sit solùm quoad modum invitus non apparet esse sufficiens ad mortale: ergo &c.

Conf. ut contra paupertatem non peccetur, non est necessaria voluntas positiva superioris licentiam concedentis, sed sufficit, quòd iste non habeat formalem, aut virtualem voluntatem prohibendi graviter talem usum, ac retinendi jus suum: ergo &c.

Conf. 2. Ut non committatur furtum, sufficit, quòd aliqua res contra voluntatem Domini non usurpetur: ergo etiam ad vitandum peccatum grave contra paupertatem sufficit, quòd res non acceptetur contra voluntatem superioris: atqui non ita usurpatur in dicto casu: ergo &c.

Prout autem talis nullum mortalè committit, ita ab hoc non immunis erit, qui aliquid accipit, 12

vel

vel retinet tunc, quando ratione modi Prælatus etiam quoad substantiam ita est invitus, ut totum suum jus in rei substantiam retinere velit, ipsámque rei acceptationem, quantum in se est prohibere; ratio est, quia tunc Prælatus etiam quoad substantiam est invitus, quod totum provenit ex displicentia, quam circa modum concedit.

Ut ergo licentia præsumpta acceptionem, vel distractionem alicujus rei à mortali excuset, necesse est, ut non solùm Prælatus daret licentiam rogatus, sed insuper requiritur, ut nunc non habeat voluntatem omnino repugnantem, & graviter obligantem, quoties licentia non fuerit petita; etsi autem ille modus procedendi eidem displiceat, hunc tamen nequaquam debet semper ita aversari, ut propter illum ipsam substantiam velit reddere graviter illicitam.

43 Ob. contra hanc ultimam conclusionem licentia, ut non peccetur contra paupertatem, debet verè dari, quando aliquid à Religioso accipitur: sed præsumpta tantùm, modo à nobis explicato, non verè datur: ergo illa non sufficit: prob. min. licentia quæ solùm præsumitur, non datur; si enim actu daretur, non esset præsumpta, nec tantùm crederetur dari: ergo &c.

Conf. consensus solummodo futurus & qui creditur tantùm futurus, non tribuit facultatem de præsenti: sed descripta licentia præsumpta est tantùm ejusmodi consensus futurus: ergo &c. Prob. Maj. ad hoc ut habeam licentiam sufficientem ad absolvendum à peccatis, non sufficit, quòd proprius pœnitentis, parochus mihi concessurus foret licentiam, si hanc ab illo peterem: ergo &c.

R. conf. Maj. neg. min. in hujus probatione dist. ant. licentia, quæ præsumitur non datur secundum suum esse reale conc. non datur secundum esse præsumptum neg. ant. & dist. conf. ergo non datur secundum esse reale conc. Secundum esse præsumptivum, negatur conf. quia tantum creditur quòd Prælatus consensurus esset, si peteretur licentia in re autem non consensit ideo in esse reali non datur verus quidam consensus, ac licentia: quia autem sub nomine licentiæ præsumptæ intelligitur hæc ipsa prudens persuasio, uti etiam habitualis constitutio Prælati non ægrè ferentis, quòd ipse hîc & nunc non conveniatur, ideo secundum suum esse præsumptivum datur licentia.

In confirmatione dist. Maj. consensus solummodo futurus non 44
tribuit facultatem ad effectum, qui debet esse positivè voluntarius: conc. ad effectum, qui solùm debet non esse involuntarius, neg. Maj & conc. min. dist. conf.

conf. ergo præsumptus solummodo consensus non dat licentiam ad effectum, qui debet esse positivè voluntarius danti licentiam conc. conf. ad effectum qui debet tantum non esse involuntarius neg. conf. ut valeat absolutio confessionalis respectu personæ per se non subjectæ absolventi, necessarium est, ut parochus positivè consenserit, & illa sit positivè voluntaria ipsi parocho, ut autem acceptatio non sit contra paupertatem, sufficit, quòd non sit involuntaria superiori, non autem est talis, si ex voluntate vel expressa, vel præsumpta superioris fiat, uti in paupere ostendimus.

15 Dices: necessitas licentiæ in Religioso non oritur duntaxat ex justitia sed etiam ex voto, quo se obligavit ad non utendum aliqua re, nisi dependenter à consensu superioris; ergo non idem consensus in Religioso sufficiet, qui sufficit in alio quodam paupere; consequenter superior debet actu consentire; ut non sit contra votum.

Pro Responsione notandum, ob votum paupertatis Religiosum verè cuidam pauperi assimilari, & talem effici: quid quid ergo consentiente Domino licet pauperi, etiam Religioso, æquè parùm proprium quid habenti conceditur dependenter à consensu sui superioris atqui ut pauper re aliena utatur absque peccato, sufficit eidem licentia expressa vel præsumpta ipsius Domini: ergo etiam in Religioso sufficiet licentia expressa vel præsumpta superioris, & vicissim sicuti pauper peccat utens quadam re sine expressa vel præsumpta licentia Domini, à qua illa dependet; ita etiam Religiosus contra paupertatem delinquit, si absque ejusmodi expressa vel præsumpta licentia superioris sui re quadam utatur; sufficiet igitur ut effectus, seu acceptatio, aut retentio non sit involuntaria superiori; non autem requiritur, ut sit positivè huic voluntaria, Ex his patet sufficiens responsio ad objectionem modò propositam. itaque.

Ob. 2. Ponamus quòd aliquis 16
ex præsumpta tali licentia quidpiam acceperit: vel debet illud postea Prælato manifestare, vel non? Neutrum potest dici: ergo &c. R. si eadem adhuc ratio non petendi licentiam subsistat, nec postea manifestandam rem superiori esse idem tenendum, si res jam sit consumpta, vel alienata, eo quod ad præteritum licentia præsens deservire nequeat prout volunt Suarez Sanchez & Lugo. quod si autem res adhuc perseveret, & necdum sit consumpta, nec eadem prior ratio amplius subsistat, prout contingit, quando tota ratio præsumendæ licentiæ fuerat, quod commodè superior adiri tunc nequiverat, erit res superiori intiman-

da; quia tunc adhuc retinetur à subdito, & præsumi non potest, quòd Prælatus, si certior fieret, rem taliter acceptam retineri sine petita licentia, quoad modum tantùm, & non etiam quoad substantiam sit invitus, cùm licentia solummodo prudenter præsumpta fuerit pro tempore, quo subditus superiorem non poterat adire.

17 Ob. 3. Non potest dici, utrùm præsumi licentia prudenter possit, quando superior videns subditum aliquid accipere vel expendere tacet, & non contradicit: ergo non sufficit præsumpta licentia. R. neg. ant. nam considerandum erit, num hæc taciturnitas sit pura quædam permissio illius, vel utrùm sit insuper quædam approbatio, & tacita licentia ad Religiosum à culpa liberandum sufficiens. in hoc posteriore casu non erit proprietarius Religiosus, prout tamen est in priore, cùm etiam ipsius Dei plurima peccata permittentis taciturnitas à culpa nequaquam excusat.

Urgent: cùm taciturnitas sub 1) inde sit approbatio, & quidam consensus: subinde autem non sit, unde poterit cognosci, quod hic & nunc sit, vel non sit? R. quando superior præ verecundia aut timore non contradicit, fore puram permissionem, quæ nequaquam excusat accipientem à peccato. Si autem his cessantibus commodè prohibere potuit, & tamen non prohibuit, habenda taciturnitas pro approbatione. Ita de furtis habetur in *lege penultima ff. de furtis & in cap. Error & in cap. consentire dist. 83.*

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An Religiosus habens licentiam ad aliqua in usus, qui sibi placuerint, expendenda, admittat peccatum proprietatis aut injustitiæ, expendendo illa ad usus turpes aut prohibitos?

19 POnitur in casu, quòd ordo, cui adscriptus Religiosus hospes fuerat, severè prohibuerit suis subditis omnem chartarum lusum. Huic prohibitioni, cùm lusus fuerit contrarius, non leve dubium exoritur, an, si hic Religiosus facultatem habuerit certas pecunias in usum proprium, qui eidem placuerit expendendi, ita etiam

etiam ad hunc modum ſe extenderit. Pendet autem deciſio hujus difficultatis ex duplici fundamento, utrùm ſcilicet ſuperior poſſit validè concedere licentiam ad quædam in uſus illicitos expendenda: item ſi hoc abſolutè poſſit, quando præſumendus ſit, aut præſumi poſſit, quod eandem dederit?

20 Quod primam difficultatem attinet, abſolutè talem poteſtatem ſuperioribus denegant, & hinc nunquam ejuſmodi licentiam præſumendam eſſe in uſus illicitos, docent Molina Jeſuita *tom. 1. de Juſtitia diſp. 140. col. 9. verſu ſi aliquid teſtamento*: Manuel. *qq. reg. tom. 2. q. 125. art. 2.* idem videntur ſentire Navarra *lib. 3. de Reſtit. cap. 1.* Sayrus *clavi Regia lib. 9. cap. 16. n. 22.* idem Molina *tom. 2. de Juſt. diſp. 276.* Sanchez *in Decal. lib. 7. cap. 19. n. 30.*

21 Rationes illorum ſunt prima: non eſt judicandum, quòd Prælatus concedens Religioſo tales pecunias ad uſum, qui ei placuerit, etiam incluſerit uſum expendendi per luſum chartarum omnibus ſeverè prohibitum: ergo peccavit Religioſus contra votum paupertatis. Prob. ant. ſi in particulari hæc licentia à ſuperiore fuiſſet petita, non fuiſſet illa obtenta: ergo nec credendum eſt, quòd etiam non requiſitus conſentiat.

Conſ. in generali conceſſione non cenſentur ea conceſſa, quæ denegarentur, ſi in particulari fuiſſent præpoſita, ut habetur in regula: *in generali 81. de Regulis Juris in 6.*

Secunda: illa licentia non eſt præſumenda, quàm ſuperior ſaltem ſine culpa non poſſet concedere, atqui non poſſet iſtam concedere: Prob. min. lex prohibitoria luſûs eſt lata à ſuperiore altiore, in cujus lege inferior non poteſt diſpenſare ſine juſta, & legitima cauſa: ergo cùm hic nulla talis cauſa adſit, conſenſiſſe judicare non poterit.

Tertia, quæ Monachus ex licentia ſui ſuperioris habet, non ita habet, ut de ijs omnino ad libitum poſſit diſponere, ſed ut juſtum adminiſtratorem decet: ſed hic non ſolet luſu bona Monaſterij expendere: ergo &c.

Quarta, quando non ſolùm quoad modum, ſed etiam quoad ſubſtantiam ſuperior eſt invitus, illius conſenſus non poteſt præſumi: ſed hæc dantur in hoc caſu: ergo &c. Prob. min. ſuperior efficaciter prohibet talem luſum, ſeu diſtractionem pecuniæ in vel per uſus illicitos & turpes. Hucuſque patroni ſententiæ affirmativæ.

Ex oppoſito multi authores abſolutè negant, non eſſe poſſibilem caſum, in quo Religioſus in uſus prohibitos expendens non peccet contra paupertatem vitio proprietatis; quia defendunt quòd Prælati Religionum ſuis ſubditis

absolutè concedere possint, validè saltem licentiam ad sumptus superfluos, vanos, & inhonestos, hoc enim testante Lugone *de Just. disp. 3. sect. 7. n. 137.* defendunt, aut supponunt Antonius, Sylvester, Turrecremata, Lessius, Taberna, Azor, Graffius, & alij plures Theologi, & Juristæ citati apud Sanchez *in Decalogum lib. 7. cap. 19. n. 20.* sententiam istam probabilem quoque agnoscit Diana *de dubijs Regul. Resolut. 98.*

82 Ratio illorum est: superior potest dare licentiam generalem, quæ comprehendat non solos actus licitos, sed etiam illicitos, ita ut, licèt hi ultimi non fiant absolutè liciti, non tamen sint contra votum paupertatis, seu vitium proprietatis: ergo &c. Prob. ant. Pontifex quando dispensat cum duobus consanguineis in ordine ad matrimonium, non tantùm ad actum matrimonij, sed etiam ad copulam extra matrimonium dispensat, ita ut tales dispensati, si ante matrimonium carnaliter se cognoscant, non committant incestum: item si cum obligato ad jejunium in hoc dispensatum fuit, etiam dispensatum fuit in comestione carnis, ita ut contra præceptum jejunij nequaquam peccetur, licèt ejusmodi carnis comestio tanquam noxia sanitati à medicis prohibita dispensato fuerit. Ergo potest Prælatus sua concessione generali etiam concedere licentiam ad actus aliter inhonestos, ita, ut hi non ampliùs sint contra illam legem, vel votum, in quo dispensatio, vel generalis licentia data fuerat: ergo hoc ipsum potest fieri in voto paupertatis; ita ut subditus talis ex licentia generali expendens in usus illicitos non peccaturus sit contra paupertatem vitio proprietatis, prob. hoc ultimum, ille solus est proprietarius, qui aliquid possidet, non tamen in communi, sed sibi soli independenter à superiore, vel communitate possidet: atqui hoc non fit in tali casu: prob. min. obtenta tali licentia expenduntur pecuniæ, etiam per usus illicitos nomine superioris, & dependenter ab hujus voluntate: ergo &c.

Conf. 1. Si Prælatus subdito concessit, ut à suis consanguineis accipiat esculenta, hæc generalis licentia censetur etiam se extendere ad acceptionem esculentorum, quæ die esuriali contra præceptum jejunij accipiuntur, & absumuntur, ita ut talis non sit proprietarius.

Conf. 2. Non obtinet praxis concedentium generalem facultatem suis subditis, ut tales casus illicitos in particulari excipiant: hinc habens licentiam comedendi carnes die esuriali, judicat sibi etiam concessum, comedere carnes furtivas, & sanitati noxias.

Ratio secunda est: nemo dicit, invalidas emptiones, aut venditiones esse, quibus subditus ex licentia Prælati sibi comparat, valde

de pretiosas imagines, vel alia multùm pretiosa, & pauperes Religiosos dedecentia, ita ut venditores teneantur reddere acceptum pretium, & Religiosus res comparatas restituere venditoribus: ergo. Item emptio cibi sanitati noxij non est invalida ob intemperantiam eidem adjunctam, quando horum emptio ex licentia generali facta fuit.

Tertia: *Tridentinum sess. 25. cap. 2.* de regularibus solùm præcipit, ut supellex Religiosorum conveniens sit statui paupertatis, quam profitentur: non autem annullat licentiam ad comparationem similium rerum concessam.

Quarta, si talis licentia foret invalida, dominium illorum, quæ dependenter ab illa in usus, & fines illicitos comparata fuerunt, non transiret ad Religiosos comparantes, sed maneret apud sæculares, & his illa restituenda forent: atqui hoc nemo concedit: ergo &c.

Ratio illorum quinta est negativa, quando nullibi facultas dandi talem licentiam fuit ablata Prælatis, possunt hanc dare: sed non potest probari, quòd universaliter hæc potestas sit eisdem ablata: ergo &c.

23 Respondendum modò est argumentis n. 21. adductis, volentium ejusmodi licentiam fore invalidam. Ad primum itaque R. generalem concessionem probabilius se ad hos quoque usus extendere prout fieri probatum in dispensatione Pontificis in impedimento consanguinitatis, & præcepto jejunij, & ex sequelis pro sententia oppositа adductis.

Ad regulam Juris 81. in 6. loco confirmationis allatam, quæ tradit in concessione generali non censeri ea concessa, quæ denegarentur, si in particulari fuissent proposita: ad hanc inquam, regulam respondeo, eidem opponendo regulam 80. immediatè antecedentem, quæ ita sonat: *in toto partem non est dubium contineri.* Ergo in generali concessione indiscriminatim continentur species sub tali toto, ut partes comprehensæ, quia semper generalibus specialia insunt sicut pars toti *Lege semper ff. de Reg. Juris.* R. 2. si Religioso prohibitum esset, absque licentia sui superioris exire è Monasterio: postmodum autem exeundi potestas eidem generaliter concessa fuisset; licet hac licentia abuteretur Religiosus adeundo domum prohibitam; nemo diceret, quod tali egressu peccârit contra licentiam egrediendi: ergo idem tenendum erit de licentia non expendendi pecunias absque concessa ad id facultate ipsius superioris, si hic illam semel generalibus in terminis concesserit.

Ad secundam, R. cum distin- 24
ctione Majoris: illa licentia non est præsumenda, quàm nec generaliter, nec specialiter superior

concedere potest : conc. quam non potest specialiter dare, bene autem generaliter : neg. Maj. & dist. min. superior non potest concedere licentiam expendendi tales pecunias ad usus illicitos concessione quadam generali, negatur min. concessione quadam particulari & speciali, neg. min. concedens licentiam generalem ad quemlibet usum non videtur obligatus esse, ut ab illa universali facultate excipiat usum turpem atque illicitum & restringat ad solos actus honestos & illicitos : qui autem determinatè & specialiter ad usum illicitum aut turpem concedit licentiam, eidem censetur cooperari : ergo illicitè concederet. minimè autem judicatur cooperari concedens generalem facultatem, eò quòd generalem, eúmque duntaxat indifferentem concursum ad usum illicitum contribuat, relinquendo facultatem integram ipsius conscientiæ & obligationi. hæc omnia elucent clariùs in dante alteri facultatem absolvendi à peccatis : item in christo concedente generalem facultatem consecrandi, non restringentibus valorem suæ licentiæ ad solos actus licitos, quin illicitos dicantur per hoc intendere.

25 Ex hoc ipso fundamento solvitur etiam tertio loco proposita objectio, volens, subditis concessam fuisse duntaxat licentiam justè administrandi. superior etenim integram facultatem alicui ministro, aut inferiori superiori potest concedere, quin limitationem quandam adijciat.

Ratio quarto loco pro contra- 26
ria sententia allata solvitur, dum ostensum, supposita generali facultate superiorem non esse invitum, quoad substantiam.

Oppones : Prælatus non est 27
Dominus sed solum administrator : ergo juxta solam facultatem à jure sibi traditam potest res administrare : ergo ad actus à jure prohibitos non potest dare ullam facultatem validam. N. conc. ant. dist. cons. ergo non potest ad actus à jure prohibitos dare facultatem validam, si talis facultas caderet in fraudem, vel grave detrimentum ipsius conventûs, conc. si hoc absit, negatur. atqui regulariter conventus non patitur tale detrimentum, licet subditus sibi concessum peculium, quod aliàs liberè potuerat absumere, in hos vel illos usus illicitos expendat.

Examinatô primô, ex quo dif- 28
ficultas proposita decidenda venit, fundamentô, pergimus ad alterum, num scilicet Prælatus concedens subdito licentiam generalem expendendi aliqua, censendus semper sit excludere eius turpes & inhonestos? Pro hujus dubij resolutione habenda est ratio diversi modi, quo turpitudo vel inhonestas in ejusmodi actibus illicitis reperitur. Subindè etenim turpido in ipsa dona-

tio-

tióne, vel contractu, reperitur, ut si Religiosus alteri det pecunias, ut tertium occidat: subinde autem nulla turpitudo in ipso contractu apparet, latet autem illa in mente Religiosi & ex hujus parte se tenet, ut si Religiosus quid pium emeret, ut illo postea ad fines malos uti possit v. g. donare meretrici. His præmissis.

29 Dico 1. In generali licentia expendendi certam pecuniam, inclusam quoque esse licentiam specialem expendendi in usus illicitos, & turpes, si turpitudo non ex ipsius contractus, sed ex sola contrahentis parte, vel mente se teneat. Huic sententiæ subscribunt Bannes. *in quæst. de licentia Prælati, quæst. 62. art. 5. dub. 5. versu: adverteadum erit.* Ludov. Lopez *lib. 2. de contract. cap. 40.* Rebellus *in præsenti parte 2. lib. 2. q. 4. sect. 2. n. 6.* Salas *tract. de ludo dub. 21. n. 4.* Lugo *de Just. disp. 3. sect. 7. n. 142.* Prob. concl. superior inclusit in sua licentia omnem distractionem, & contractum, qui in se consideratus nec inhonestus, nec illicitus futurus erit: atqui talis contractus nec est illicitus, nec inhonestus in se: ergo illum inclusit. Prob. min. in ipso contractu nulla apparet turpitudo, potuisset etenim Religiosus res taliter emptas, etiam in usus licitos & honestos impendere: ergo &c.

Conf. omnis turpitudo duntaxat apparet in usu emptæ rei, non autem in hujus emptione: ergo &c.

Conf. 2. Si non adfuisset licentia, contractus ejusmodi fuisset nullus, consequenter venditor ad restitutionem accepti pretij cogendus esset: atqui hoc est contrarium quotidianæ praxi: ergo &c.

Dico 2. Probabiliter concessa 30
generaliter expendendi quædam licentia extendi potest ad contractus etiam in se turpes atque illicitos. Ita citati pro superiore concluf. Authores probabilem etiam agnoscunt Sayrus *in clavi Regia lib. 11. c. 12. n. 15.* & Diana *tom. 2. tract. 2. de dubijs Regularum resolut. 98.* Prob. generalis dispensatio, & licentia in alijs materijs dicta nequaquam judicatur limitata ad solos usus, vel actus aliunde non turpes aut illicitos: ergo etiam licentia in alienandis ejusmodi rebus, aut accipiendis non ita limitatur, sed in istis quoque auffert turpitudinem, quam sine tali licentia haberent. Antecedens constat ex superiùs dictis, consequentia probatur negativè.

Ob. 1. Illa licentia non potest 31
præsumi data fuisse à Prælato, quàm iste absque gravi peccato non potest concedere: sed licentiam expendendi ad usus in se inhonestos non potest Prælatus concedere absque gravi peccato: ergo non est præsumendus concessisse, R. dist. min. talis licentia

non

non potest à Prælato concedi in speciali, & determinatè, conc. in generali, & indeterminatè, negatur min. &c. Ratio distinctionis est, quòd in licentia speciali Prælatus cooperaretur peccato subditi, non autem in generali, vi cujus cedit juri suo in universum, quo fit, ut ex ea parte nullus usus malitiam injustitiæ, aut proprietatis in se contineat. Totam hanc rem præclarè explicat Cardinalis de Lugo, instantia è contractu mutui, & dato mutuanti pignore, petita; si mihi mutuator Cajus dedisset mutuum, ego autem in pignus eidem scyphum aureum, postea autem me rogâsset Cajus, ut datum scyphum ad suos usus adhibere posset: generalem eidem licentiam ad omnes usus possem concedere, illique hos permittere, cedendo universim meo jure, ita ut hoc nequaquam læderet quocunque illius scyphi usu, eò quòd nullus me invito fiat: nec censerer ex hoc cooperari alterius peccato, quod in malos usus impendendo committeret. Ergo idem de superiore tenendum erit.

32 Ob. 2. Pontifex concedens Episcopo licentiam testandi, nequaquam præsumitur eam concedere nisi ad opera pia, casu, quo non explicet contrarium: ergo licentia generalis non est extendenda ad usus illicitos & turpes. ant. tenet communis Doctorum, quos affert & sequitur Sanchez *lib. 2. consil. cap. 2. dub. 51. n. 6.*

Conf. illam licentiam concedit Prælatus, quæ ab ipso fuit petita: sed non fuit petita licentia ad turpia: ergo hanc nec intendebat concedere superior. N. conc. ant. neg. conf. ut disparitas inter utrumque casum appareat, sciendum: nonnunquam positionem cujusdam actûs ex duplici impedimento esse illicitam, insuper superiorem posse subinde dispensare in utroque impedimento, subinde tantùm in unico: quòd si utrumque dispensando possit quidem tollere, interea tamen unius impedimenti ablatio non sit necessaria ad auferendum alterum, auferendo per dispensationem unum, non censetur etiam hoc ipso abstulisse alterum; eò quòd dispensatio, ut quid odiosum, sit restringenda: quando autem superior unicum duntaxat, non autem alterum impedimentum sua dispensatione aufferre potest, concessa ab ipso facultas neutiquam erit limitanda, eò ipso, quòd in illius potestate non sit, alterum quoque impedimentum, sed solam oppositionem cum unica lege simpliciter & absolutè tollere veniendo jam ad factam objectionem; Episcopi nec possunt testari, nec ad alias, nisi ad causas pias de Ecclesiasticis bonis disponere: ut ergo ad causas profanas mediante testamento dispositio licita, & valida prodeat, tam

tam impedimentum prohibens dispositionem ad causas pias, quàm alterum absolutè prohibens confectionem testamenti, à Pontifice potente dispensare in utroque, tollendum erit. Patet igitur ex dictis, Pontificem dispensantem in confectione testamenti, non esse censendum dispensâsse etiam in ordine ad causas profanas, cùm dispensatio in hoc posteriore non sit necessaria ad facultatem condendi testamentum, & nullam expressam mentionem de hoc fecisse, ponatur Pontifex. Prælatus Religiosus ex opposito ponitur non habere facultatem tollendi inhonestatem contractûs, vel actûs quo pecunia accipitur, vel distrahitur: ergo circa hoc nihil disponit, sed tantùm facit, ut non opponatur voto paupertatis, & alienatio non fiat sine consensu suo aut totius communitatis, eo prorsus modo, quo debitor concedit depositario simpliciter facultatem utendi depósito, quin hujus usu eidem injuriam inferat.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Quid de hoc particulari casu sit tenendum?

33 Dico 1. Si noster Religiosus absque expressa vel tacita superioris sui licentia luserat, peccâsse illum contra votum paupertatis. prob. omnis actus dominij sine licentia superioris exercitus est contra votum paupertatis: sed hic actus erat actus dominij exercitus, uti ponimus, sine licentia superioris: ergo &c. prob. min. omnis deponens rem quampiam in ludo habet animum transferendi dominium rei expositæ in alterum, sub hac conditione, si alter victor evaserit, sed talis expositio est actus dominij: ergo &c.

34 Dico 2. In hoc ipso supposito, quòd scilicet absque omni licentia Religiosus noster luserit, debuerat ille omne lucrum probabiliùs suis colluforibus victis restituere, constat conclusio ex §. 4. alterius de contractu lusorio casûs; est etenim de ratione ludi justi, ut in eo uterque ludens æqualis conditionis sit in periculo amittendi, ac lucrandi: atqui in tali casu non fuisset: ergo &c.

35 Dices contra hanc conclusionem: contractus à nostro Religioso absque sui Prælati consensu celebratus potest sustineri à Prælato, quatenus in ejus utilitatem cedit: ergo potuit esse validus, & hinc lucrum non erit restituendum. R. ex hoc nil probari con-

tra nos. Ratio est ; ut talis lusus posset à Prælato postmodum ratificari , deberet ille usque ad istius approbationem manere suspensus : atqui hoc non fit : ergo. Maj. Prob. à pari , quando emptio , aut vendito , vel alius quidam contractus postea primùm ratificatur , manet ille antea semper suspensus : ergo hoc ipsum de lusu postea primùm ratificando erit tenendum. min. verò prob. si lucrum , aut valor præhabiti contractûs manet suspensus usque ad approbationem Prælati , tunc vel Prælatus certior factus eundem solummodo approbat , & de cætero ad nihil aliud se obligat ? Vel ad quidpiam se postea obligat , ut scilicet etiam ille velit subire periculum perdendi rem à suo Religioso antea depositam ? Hoc ultimum ponitur non facere : ergo solùm approbaret contractum , & lucrum jam certò habitum : sed hoc non sufficit : prob. min. ludus est contractus onerosus ex utraque parte : atqui non esset in hoc casu ; cùm Prælatus lucrum sine omni periculo aliquid perdendi faceret , & præhabitum lusum , casu , quo in illo suus Religiosus fuisset victus, neutiquam ratum haberet.

36 Dico 3. Si cæteri Religiosi , cum licentia sui superioris ludentes , cum hoc alterius ordinis Religioso victores in ludo evasissent , retinere nequaquam potuissent lucrum ex ludo cum alterius ordinis Religioso absque debita licentia instituto , conclusio iterum constat ex antea dictis , & defenditur à D. Thoma *2. 2. q. 32. art. 7. ad 2.* Et cæteris omnibus. Prob. unicus titulus , ex quo tale lucrum retinere victores possent , foret ipsa justitia , aut valor contractûs lusorij : atqui hæc justitia non dabatur : Prob. min. hoc ipso , quòd talis Religiosus non habuerit dominium rei in ludo expositæ, neque facultatem eandem alienandi , injustus , & nullus erat contractus lusoritus , cùm iste exigat , & supponat in ludentibus facultatem alienandi rem depositam.

Dico 4. Superiores Religiosorum posse absolutè suis subditis 37
dare licentiam ad honestum lusum. Ita docet Major , Ledesma , Alcazer , Navarr. Valentia, Thomas Sanchez cum alijs &c. Prob. si non possent hanc facultatem dare, ratio foret , quia etiam ipsi Prælati sunt tantùm administratores , non autem Domini rerum ad monasterium spectantium : ex altera verò parte administratores non possunt dare facultatem alienandi : hæc ratio nulla est : prob. min. superiores Religiosi non sunt duntaxat administratores cujusdam privati dominij, quod ad unicam duntaxat personam spectet , de quibus administratoribus constat , quòd alienare nequeant : sed sunt absoluti bonorum monasterialium administratores , instructi facultate

alie-

alienandi, & expendendi bona Religionis in usus honestos, & utiles: ergo prædicta ratio nulla est, consequenter Prælati poterunt dare facultatem ad lusum honestum.

38 Dico 5. Etiamsi huic extero Religioso prohibitum fuisset à regulis suæ Religionis chartis ludere, si tamen universalem licentiam habuerat, suum depositum, è quo pecunias in ludo depositas acceperat, expendendi, atque alienandi, contractum lusorium fuisse validum, & reportatum ex eo lucrum à victore potuisse retineri. Prob. concl. in tali casu contractus lusorius erat validus: ergo victor hoc lucrum fecerat suum. Prob. ant. ratio, ex qua poterat esse invalidus hic lusus, potest esse hæc sola, & unica, quia externus Religiosus non habebat facultatem alienandi rem in ludo depositam: atqui habuit hanc facultatem, si universalem licentiam habuerat alienandi suum depositum: ergo &c. Minor constat ex §. 2. ac resolutione secundi quæsiti, ubi concludebamus, generalem licentiam alienandi certas res etiam sub se comprehendere usus illicitos, non in hoc sensu, quasi ob talem licentiam alienandi ejusmodi in se illicitus usus evaderet licitus, & honestus: sed in isto, quòd talis alienatio non sit peccatum contra votum paupertatis, & actus quidam proprietatis: validáque sit alienatio, nec non dominium taliter alienatæ rei verè in alterum fuerit translatum.

Dico 6. Si noster Religiosus so- 39
lam licentiam habuit, ut suum peculium exponeret ad usus honestos, ex altera autem parte, in ipsius ordine severè prohibitus fuerat lusus chartarum, tum ab illo peccatum contra votum paupertatis fuisse, & ipsum lusum invalidum, consequenter lucrum exinde reportatum cæteris victis in ludo Religiosis restituendum. Ratio primi est: quia lusus chartarum severè in Religione prohibitus, non est res, & actio quædam honesta: ergo si licentiam duntaxat habuit peculium suum expendendi ad usus honestos, illa se non extendebat ad hunc casum. Ratio alterius partis constat ex dictis; si enim defuit licentia alienandi has pecunias, tunc non erat validus ille contractus, consequenter dominium lucri non erat translatum in victorem Religiosum exterum.

Dico 7. Cùm supposità gene- 40
rali licentiâ deponendi pecunias in ludo, hic fuerit validus, lucrum inde factum transijt in dominium monasterij, cui exterus ille Religiosi erat incorporatus. Prob. quidquid monachus aquirit, monasterio aquirit. Conf. cùm Religiosi Professi in particulari careant omni dominio, hinc non possunt alicujus rei evadere Domini, sed res talis ad monasterium devolvitur.

41 Dices : ut lusus fuerit validus, noster exterus Religiosus debuit perdere tantam summam, quantam lucratus fuerat, ut nimirum daretur æqualitas inter ludentes : sed hoc non potuit : ergo &c. prob. min. probabilissimè non habuerit in suo peculio sexaginta florenos, quos tamen ponitur lucratus fuisse : ergo adhuc non potest defendi, quòd illud lucrum retineri potuerit, & monasterio accesserit. R. dist. Maj. debuit potuisse perdere tantam summam, quantam exposuit singulis jactibus : conc. debuit potuisse perdere tantum uno jactu, quantum lucratus est omnibus successivis jactibus durante eodem ludo continuatis, neg. Maj. & sub eadem distinctione conc. & negata min. neg. cons. ponamus, quòd habuerit tres aureos, potuit primo jactu tres hos deponere, dein lucrari alios tres, postea hos sex omnes deponere, & lucrari alios sex, & sic deinceps.

42 Dices 2. Si primum lucrum aquisitum fuerat monasterio, & non ipsi Religioso, non potuit iste aquisitum lucrum trium aureorum denuo exponere in ludo : ergo saltem non potuit retinere lucrum in secundo jactu expositum. R. dist. ant. non potuit, si non meritò præsumpta licentia sui Monasterij adfuisset, conc. si hæc adfuerit, neg. Juxta Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 19. n. 84.* & Cardinalem *de* Lugo *de just. disp. 3. sect. 7. n. 145.* talis Religiosus, ex licentia saltem tacita sui Prælati ludens, potest & debet præsumere, superiorem velle, ut durante eodem ludo etiam exponat, quæ in illo lucratus fuerat ; cùm hoc æquitas ludi postulet ; non enim censetur lucrum simpliciter acquisitum, usquedum totus ludus fuerit finitus : ergo, quod finito ludo restat lucrum, illud duntaxat est aquisitum monasterio.

43 Dices 3. Saltem talis Religiosus non posset altero die denuo in ludo exponere lucrum, quod pridie ab illis Religiosis in ludo aquisiverat. R. dist. non posset hoc in Rigore juris, conc. non posset hoc ex quadam æquitate & ex communi licentia ludendi neg. videtur enim urbanitati, & humanitati congruum, ut redeunte adversario ad ludum die sequenti, & lucrante tot aureos, quot lucrans pridie Religiosus in suo deposito habuerat, non statim à ludo cessetur, sed pridie acquisitum lucrum totum denuo exponatur in ludo ; equum etenim est, ut monasterium, quod lucrum sensit, patiatur & damnum, ita sentiunt Rebellus *part. 2. lib. 12. q. 4.* Lugo *n. 145.*

44 Dico 8. Per se pessimè faciet exterum hunc Religiosum, quòd finito jam lusu pecunias acquisitas denuo cæteris victis in lusu Religiosis reddiderit. Ratio est, quia

quia juxta dicta ille non erat Dominus hujus lucri, sed Monasterium, quod utique non potuit præsumi consentire in donationem sexaginta florenorum alijs faciendam. Quòd autem monasterium illud lucrum jam obtinuerit, ex eo patet, quia ludus jam fuerat plenissimè finitus.

Nec obest, quòd domestici Religiosi voluerint diutiùs ludere, atque ad continuationem ludi renitentem Religiosum victorem cogere; ponitur enim in casu, quòd victor condixerit ad lusum ad certas horas continuandum, petierit etiam libertatem ab hoc postmodum desistendi, & hanc etiam à domesticis Religiosis impetraverit, & constitutum lusui continuando tempus impleverit: ergo non amplius obligabatur ad continuandum lusum: cùm ergo omnino abruptus fuerit lusus, plenissimè in dominium ipsius monasterij omne lucrum transiverat.

Dixi autem Religiosum victorem *per se* caruisse facultate donandi, si enim considerantur circumstantiæ, in quibus donatio erat facta, potuit prudenter præsumere concessam sibi hìc & nunc licentiam esse restituendi devictis suas ludo amissas pecunias; vidimus etenim in positione casûs, domesticos Religiosos omni modo ursisse victorem, ut continuaret ludum, & hinc maxima commotionis cujusdam signa edidisse, ægerrimè ferentes jacturam tantæ summæ: cùm ergo si ipse Prælatus vincentis Religiosi adfuisset, absque dubio suo Religioso imperâsset restitutionem, hanc ipsam prudentissimè facere etiam Religiosus in absentia sui Prælati poterat. 45

CASUS XXV.

De ludente alienis pecunijs.

ANdreas Clericus in Majoribus constitutus, cum Cajetano è vacationibus autumnalibus reduce ad aleas ludens, ab hoc sine omni fraude ac dolo triginta florenos lucratur. Postea autem intelligit, quod illæ pecuniæ à Patre Cajetani submissæ fuerint, ut ejsdem Patrifamilias, cujus convictu præterito anno utebatur Cajetanus, residuum adhuc debitum persolveretur. Occasione hujus Casûs.

Q. 1. Num lusus alearum sit Clericis ac Religiosis illicitus?

Q. 2. An lucrum prohibito ex ludo acquisitum restitui debeat?

Q. 3. Quid sentiendum de ludo, in quo res aliena fuit deposita?

Q. 4. An lucrum retinere possint, qui in ludo rem alienam, & non suam deposuêre.

Q. 5. Quid nostro Clerico Andreæ sit respondendum?

SYNOPSIS.

1. *Natura, & diversitas ludorum exponitur.*
2. *Leges civiles prohibentes lusum alearum non obligant sub mortali.*
3. *Ex intentione lucrandi ludens per se non peccat graviter.*
4. *Ad justitiam ludi certæ sunt conditiones necessariæ.*
5. *A nimio lusu avertendi sunt pœnitentes à confessarijs.*

§. I.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Num lusus alearum, hoc est, nitens magis fortunâ, quàm industriâ sit Clericis, & Religiosis illicitus?

6. *Adducuntur rationes, illicitum hunc lusum Religiosis, ac Clericis probantes.*
7. *Vi Juris communis per se non peccabunt aleis ludentes Clerici.*
8. *Nisi scandalum populi accesserit.*
9. *Ordinarius potest suis Clericis gravem obligationem circa hoc imponere.*
10. *Ludentes in monasterio exempto Clerici non incurrunt excommunicationem ab ordinario in sibi subjectos Clericos latam.*
11. *Cùm ejusmodi monasteria non solùm in ordine ad Religiosos sint exempta.*
12. *Hinc nec pœnas per sententiam in ludentem Clericum latas ibidem incurrent.*
13. *Aliud dicendum de Religiosis, queis superiores alearum lusum inhibuerunt.*

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An lucrum prohibito ludo aquisitum à victore sit restituendum?

14. *Tres diversæ sunt in hoc puncto Authorum opiniones.*
15. *Ante sententiam condemnatoriam Judicis nulla datur obligatio.*
16. *Non obstante turpitudine ludi prohibiti.*
17. *Verba* legis alearum: Cod. de Relig. quomodo sint intelligenda.
18. *Nec obstat* lex non dubium: C. de L.L.
19. *Qualiter leges Hispaniæ prohibeant eleemosynas ex taliter aquisitis.*
20. *Quid si Victor impediat Judicem, ne se ad reddendum lucrum condemnet?*
21. *Si Judex victorem ad restitutionem non condemnet, erit iste immunis.*

22.

22. Qualis etiam erit, si victus ex pudore non adeat Judicem.
23. An victor Judici negans lucrum ad aliquid teneatur?
24. Justè requisitus à victo Judex, si reum non condemnet, tenetur victo compensare lucrum ex suo.
25. Victus, qui creditò lusit, rem perditam lucranti tenetur solvere.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Quid sentiendum de ludo, in quo res aliena fuit deposita?

26. Ut justus sit lusus, in ludentibus requiritur inimpeditum dominium disponendi de rebus in ludo expositis.
27. Rem alienam ipso usu consumptibilem, bona fide in ludo obtentam, & absumptam, non tenemur comparenti postea Domino restituere.
28. Quid si pecunia aliena in ludo deposita fuerit?
29. Deceptor tenetur victori de extractione rei bona fide per ludum obtentæ.
30. Res aliena à bonæ fidei victore obtenta, suo postea comparenti Domino debebit restitui.
31. Hanc tamen victo reddere poterit, si aliter valorem illius ab illo recuperare nequeat, posito, quòd emens rem alienam bona fide possit illam ex simili causa seri reddere.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

An lucrum ex ludo aquisitum retinere possint, qui aliquid perdere non potuerunt, eò quòd rem alienam in illo deposuerint?

32. Ratio Patris Laymani tenentis in hoc negativam.
33. Contraria circa hoc opinio Patris Lessij explicatur.
34. Lugo censet validum talem lusum fore, licèt uterque fuerit malæ fidei.
35. Num alter colluſor censendus sit coac-

consentire in hujus contractûs inæqualitatem?

36. Ob ejusmodi inæqualem contractum lusorium depositor rei alienæ, tenetur victori, fraudis ignaro de evictione.

37. Alienæ rei depositor, si victor evaserit, lucrum innocenti victo restituere tenetur.

38. Ad quid decipiens victor obligandus, si victus colluſor omnium fuerit conscius.

§. V.

Resolvitur quintum Quæsitum:

Quid nostro Clerico Andreæ sit respondendum?

39. Difficulter à mortali absolvi noster Andreas poterit.

40. Non tenetur tamen ad restitutionem præcisè, quòd ut Clericus luserit.

41. Sed quia contractus fuit nullus.

42. Et scivit, quòd Cajetanus sit adhuc minorennis.

43. Aliud dicendum esset, si hoc inculpabiliter nescivisset.

1 LUdus est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod uterque deposuit. Dividitur in ludum alearum, & in ludum virtutis: sub priore venit omnis ludus, qui magis fortunâ, quàm industria utitur, talis ludus est, qui tesseris, taxillis, chartis &c. Peragitur. ludus virtutis est, in quo pro virtute, seu industria certatur, uti fit in cursu, saltu, lucta, cæterisque virtutis seu industriæ exercitamentis.

2 Etiamsi autem *lege 1. ff. de Aleæ lusu & alea. & Authentica: Alearum usus: Cod. de Relig. & sumpt. fun.* alearum & cæteri, qui magis fortunâ, quàm industriâ utuntur, ludi interdicantur, ejusmodi tamen lusores nullum pecatum mortale per se juxta communem incurrunt: tum quòd harum legum latores, eò quòd sint civiles, ad culpam mortalem arctare noluerint: tum quòd illæ leges de materia justitiæ non tractantes instar cæterarum, quæ alias virtutes intendunt, ut plurimum ad veniale solùm obligent. Accedit, quòd prædictæ leges quoad effectum & mortalis peccati vinculum nequaquam usu receptæ sint, ejusmodi enim ludentes à confessarijs absque ullo scrupulo absolvuntur, nisi in quantitate materiæ excedentes damnum magnum suæ rei domesticæ intulerint.

3 Maneat itaque, Non illicitum, sed permissum utriusque hujus speciei ludum esse, servatis certis circumstantijs, prout cum Salas *tract. de ludo dub. 1.* Sanchez *lib. 1. consil. cap. 8. dub. 24. n. 2.* fatentur omnes. Quamvis tum per excessum, tum per defectum in lusu delictum committi possit. Neque ex intentione lucrandi bona proximi, mortalis evadit ludus, cùm hæc solummodo per contractum oneroſum appropriare sibi ludentes desiderent, quod tam parùm videtur esse malum, quàm parùm iniquum apparet desiderium, quo volumus, ut alter res quasdam suas nobis mediante donatione relinquat, & licèt nonnulli Authores cum Navarro *in manuali cap. 19. vel 20.* Asserant, veniale peccatum committi ab eo, qui ob alium finem, quam ob recreationem, propter quam lusus est institutus, v. g. ob lucrum, ludit, assertum tamen istud reijcit de Lugo *n. 4. disp. 31. sect. 1. de Just.* eò quod minimè peccaminosum appareat, ordinare aliquid ad alium, quàm propter quem inventa est, finem, casu, quo hic etiam sit licitus: hinc cùm moderatum lucrum non sit illicitum, ob hoc cum alijs ludere prædicto Cardinali ne quidem venialiter culpabile videtur. Neque culpam prodigalitatis ex intentione lucrandi ludens incurrit, licèt pecuniam fortunæ exponat; eò quòd pecuniam periculo quidem cuidam exponat, non tamen sine causa; cùm hac expositione spem majoris cujusdam lucri quasi emat. Denique licèt ille actus dicatur otiosus esse, qui ad nullum honestum finem est utilis, ex hoc tamen non bene infertur, ludum animo lucrandi institutum fore otiosum, cùm hic sit ad majus faciendum lucrum, sine periculo æqualis, minoris, aut majoris jacturæ hic & nunc non obtinibile, ordinatus, præterea cùm desiderium lucri, si hoc non sit nimium, non semper avaritiam contineat, inferimus, etiam ob honestum lucrum ludentem nullius avaritiæ accusari posse.

Etiamsi autem ludus licitus possit esse, ut tamen sit justus, variis ille conditionibus debebit esse instructus: quarum prima est, ut exponens rem aliquam ludo, hujus dominium vel administrationem liberam habeat. Altera est, ut ludens ad ludendum non sit coactus, vel dolo ad ludum inductus. Tertiò requiritur, ut remotis fraudibus ludatur ingenuè. Quarta conditio ad justitiam ludi requisita est æqualitas, ita ut uterque periculum subeat, & spem lucrandi habeat.

Monent tamen multi Authores non inprudenter confessarios, ut quantùm possunt, plùs æquo deditos ejusmodi lusibus & quidem animo multùm lucrandi ab his avertere omni ratione curent, quòd

quòd communiter à veniali excusari nequeant, & sæpissimè in mortale prolabantur: tum quòd animus multa lucrandi sit actus inordinatus, contrarius fini (qui est animi recreatio) per lusum intento: tum quia homo industriâ suæ rationis pecuniam comparare, & conservare obligatus, hac omissâ fortuito eventui suas res committit, præbetur insuper conjugibus, liberis, & famulis, occasio parvi pendendi ejusmodi bona, cùm videant suos heros uno in lusu magnam pecuniæ summam perdedere. Videntur etiam ejusmodi aleatores amicitiæ leges violare, dum amicos, queis benefacere deberent, ludendo suis rebus expoliant.

Denique experientia docet, paucissimos ludis similibus ditescere, cùm plerumque ad inopiam vergant, multa mala, & vitia insuper addiscentes.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Num lusus alearum, hoc est, nitentes magis fortunâ, quàm industriâ Regularibus sit illicitus?

VIdimus hactenus, lusum alearum sæcularibus personis, nequaquam sub mortali, aut veniali per se prohibitum esse: superest, ut etiam de Clericis, ac Religiosis, quorum status solet esse perfectior, agamus. Audiamus itaque rationes, ob quas communiter his personis illicitum alearum usum esse asserunt.

6 Pro hac sententia facit *cap. Episcopus: 35. dist. & cap. inter dilectos de excessibus Prælatorum:* in his præcipitur, ut Clericus ob lusum alearum ab officio, vel beneficio deponatur: atqui depositio denotat notabilem culpam: ergo notabilis in Clericis culpa est lusus alearum. Minor constat ex *cap. non offeramus 24. q. 1.* item *in cap. Clerici: de vita & honestate Clericorum:* de eisdem dicitur: *ad aleas & taxillos non ludant: nec hujusmodi ludis intersint.*

Secunda ratio, illicitum talem lusum ostendens, desumitur ex Tridentino *sess. 22. cap. 1. de Reformat.* ubi statutum est, ut ijsdem pœnis, vel etiam majoribus arbitrio ordinarij imponendis etiam imposterum afficiantur lusores Clerici, quæ aliàs à summis Pontificibus, nec non sacris consilijs de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinâque retinenda, ac de aleis &c. lusibus &c. fugien-

dis providè statuta, & decreta fuerunt.

Tertia: quia reditus è bonis Ecclesiasticis provenientes, atque ad causas pias ex mente fundatorum applicandos, in profanos & malos usus expendunt.

Quarta: talibus lusibus Clerici valde magnum scandalum sæcularibus virtutis studiosis præbent: ergo &c. Prob. ant. quo majorem virtutem aliquis profitetur, eò majus scandalum alijs etiam virtutis studiosis præbet: ergo cùm Clerici, & Religiosi profiteantur statum perfectiorem, etiam ludendo majus præbent scandalum.

Quinta petitur ex *Authent. §. interdicimus: Cod. de Episco. & Clericis*, ubi Episcopis & Presbyteris interdicitur ad tabulas ludere, aut alijs ludentibus participes esse. His omnibus non obstantibus.

7 Dico primò: si lusus alearum nullo singulari statuto ab Ordinario subjectis sibi Clericis prohibitus fuerit, nequaquam quolibet alearum lusu peccabunt per se graviter. Ita communior Authorum cum Molina *disp. 521*, Prob. concl. vi textuum, de lusu alearum ut prohibito loquentium, solummodo verificatur, quòd Clerici valde alearum lusui dediti peccent: ergo non verificatur, quòd quolibet lusu alearum peccent. Prob. ant. dicitur in textu: *aleæ deserviens*, sed aleæ deserviens est valde lusui huic deditus: ergo solùm valde huic lusui deditus peccat.

Confirmatur primò: Glossa *in dictum capitul. Episcopus*: & Sylvester verbo *ludus §. 6. quæstione quarta* innuunt, præpositionem istam *De* in verbo *deservientes* augere rem, ita ut deservire idem sit, ac valde servire: id ipsum habetur *in lege 1. princip. ff. depositi*: ergo qui non multùm sunt lusibus istis dediti, vi juris communis non peccabunt graviter.

Confirmatur secundò: ennumerati Canones hisce temporibus non sunt ampliùs recepti in toto suo rigore: hinc communiter Doctores asserunt, vi illorum de facto non jam obligari nisi Clericos in sacris ordinibus existentes, aut beneficio Ecclesiastico provisos. Ergo non est asserendum, quòd quolibet lusu absque aliorum scandalo inito graviter peccent.

Dico tamen secundò: Clerici § vel Religiosi cum populi scandalo ludentes, transgrediendo leges has Canonicas peccabunt graviter. Ita Tabiena *Restitutio. §. 19. in fine*: Armilla *verbo ludus §. 4.* Sotus *lib. 4. de Just. & jure q. 5. art. 2. in Resp. ad 1.* Navarr. *in Man. cap. 18. n. 9. §. tertio quod lege etiam*. Ludovicus de Bela *in suis respons. casuum. casu 61.* Probatur conclusio ex rationibus antea adductis: cùm enim jura citata non loquantur (vel saltem non sint in hoc rigore receptæ) de quolibet lusu absque scandalo alijs dato; intelli-

telligendæ illæ ſunt de multùm, & cum ſcandalo aliorum ludo deditis Clericis, aut Religioſis.

9 Notatum tamen hìc volumus, concluſiones has duas procedere ſpectato ſolo jure communi; non enim abnuimus, Ordinarium ex rationabilibus cauſis ſub gravi, uti & ſub pœna excommunicationis poſſe ſubjectis ſibi Clericis ejuſmodi luſus prohibere. Unde nova movetur quæſtio, num Clerici incurrant cenſuram, ſi aleis ſub pœna excommunicationis eiſdem ab Ordinario ſuo per ſtatutum aliquod prohibitis in monaſterijs Regularium exemptis ludant? ad quod dubium.

10 Dico tertiò, eoſdem talem excommunicationem nequaquam incurrere. Ita docent Sylveſter *in ſumma verb. excomm. 2. num. 12.* Layman. *lib. 1. tract. 4. cap. 11. n. 5.* Peyrinus *tom. 1. Privil. min.* Buſenbaum *lib. 1. tract. 2. cap. 2. dub. 2.* Bordonus Andreas à Matre Dei & alij. Prob. concl. *in cap. fin. de conſtit. in 6. lege fin. ff. de jurisdictione omnium Judicum*, habetur, quod jus dicenti extra territorium non pareatur impunè: ergo ſtatutum Ordinarij non ligat ſubditos delinquentes extra Diœceſin: atqui exiſtentes in monaſterijs exemptis Regularium ſunt extra Diœceſin, ergo in iſtis Ordinario non paretur impunè. Prob. min. licèt exempta Regularium monaſteria ſint in Diœceſi Epiſcopi materialiter, ſunt tamen extra iſtam formaliter; cùm enim à juriſdictione Epiſcopi ſint exempta, quoad juriſdictionem Epiſcopalem ſe habent, ac ſi extra Diœceſin eſſent: ergo &c. Prob. ant. locus exemptus, & locus extra Diœceſin vi Gloſſæ *in Clement. 1. de foro compet.* æquiparantur: ergo &c.

11 Neque Dicas, ejuſmodi monaſteria Regularium non eſſe per ſe, ac ratione ſui exempta, ſed ſolùm ratione perſonarum, hoc eſt, duntaxat in ordine ad Religioſos: ergo ludentes in illis clerici etiam incurrent excommunicationem. Contra enim eſt, quòd in *Trident. ſeſſ. 14. cap. 2. de reformat.* habeatur. *Nemo Epiſcoporum, qui titulares vocantur, etiamſi in loco nullius Diœceſeos, etiam exempto, aut aliquo Monaſterio cujusvis ordinis reſederint, aut moram traxerint, &c. alterius ſubditum ad ordines promoveat:* ergo monaſterium non ſolùm ratione perſonarum, ſed etiam ratione ſui eſt exemptum; aliàs enim falſum eſſet, quòd Epiſcopi titulares in monaſterio reſidentes, in loco nullius diœceſeos moram traherent, quod tamen in citato textu videtur aſſertum fuiſſe. Hoc ipſum nobiscum ſentiunt Rodriquez: Bonac. Squillante, Bordon, Sayrus *de cenſur. lib. 1. cap. 6. n. 39.* Henriquez *lib. 13. cap. 26. n. 2.* Em. Saa *verbo Excommu. n. 12.* Avila, Præpoſitus, Lezana cum alijs. ſicuti autem ſtatuto

generali Ordinarij, suis subditis alearum lusum prohibentis, nequaquam ligantur clerici sub jurisdictione illius existentes, quando in monasterio exempto aleis ludunt, ita nec pœnas per sententiam ab Episcopo impositas incurrent in istis circumstantijs, juxta Avilam de *censur. part. 2. c. 3. dist. 2. conclus. 1. citantem pro se* Covarru. Panormit. *cap. ut animarum de constit. in 6.* Quia textûs ratio æqualiter militat de excommunicatione lata per sententiam specialem. Avilæ accedunt Sylvester Coninck, Alterius, Bonacina *de cens. disp. 1. q. 1. p. 11.* Bardonus, Diana *part. 3. tract. 5. resol. 74.*

13 Dico quartò: si certis quibusdam Religiosis lusus alearum sit graviter prohibitus, nequaquam impunè aleis ludent in monasterijs aliorum Religiosorum, licèt istis sit permissus ejusmodi alearum lusus. Ratio est, quòd præceptum superioris immediatè afficiat Religiosos, horúmque quasi ossibus inhæreat, consequenter ipsos quocunque se contulerint, sequatur: statutum ex opposito immediatè latum est pro territorio: ergo extra hoc existentes non obligat.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An lucrum, ludo prohibito aquisitum, restitui à victore debeat?

14 IN hoc puncto in tres diversas classes abeunt Doctores: aliqui cum Paludano *4. dist. 15. q. 3. art. 5.* Tuentur, restitutioni obnoxium esse omne lucrum ex quocunque ludo, exercendis viribus non inserviente, aquisitum Divus Thomas *2. 2. q. 32. art. 7. ad 2.* Richardus, D. Antonius, Arm. Sylvester, Tabien: Stephanus Costa, Hostiensis, Rain cum Hugone & Placentia defendunt, ludis per legem vetitis aquisita debere statim restituti. Denique tertiò nonnulli asserunt, ante Judicis sententiam ex ludo vetito quidem, requisitis tamen cum conditionibus inito, obtentum lucrum ante Judicis condemnationem non esse restituendum cum hac tertia opinione.

15 Dico nullam esse obligationem restituendi aquisita ex tali vetito ludo, ante sententiam condemnatoriam judicis. ita præter plures citatos à Patre Sanchez *consil. moral. lib. 1. cap. 8. dub. 1. n. 3.* sentiunt Molina *Disp. 513.* Bannes; Soto

Soto, Medina, Salas, Lessius *cap. 26. dub. 3.* Lugo *de Just. Disp. 31. sect. 4. n. 60.* prob. concl. talis restituendi obligatio neque ex jure naturali, neque ex jure positivo deduci potest: ergo non dabitur ante sententiam Judicis.

Prob. primum membrum. talis contractus est de se validus: ergo jure naturali non est irritatus

Confirmatur: quilibet ludens posset absque ludo suam rem suo collusori donare: ergo etiam poterit hac viâ ludendi sua bona alienare.

Confirmatur secundò: in hoc casu lucrans habet justum titulum, hanc rem ut suam retinendi: ergo &c. prob. ant. datur titulus intervenientis pacti, & obligationis, quæ ex condicto utriusque ludentis exoritur: sed hic est sufficiens titulus prob. Maj. quilibet ludentium non quidem vult absolutè perdere, vult tamen conditionaliter, ipsius scilicet spe lucri: ergo cùm vi *Institut. de rerum divisione §. per traditionem* nihil tam naturale sit, quàm ut aquisitio fiat secundùm voluntatem Domini, dabitur hîc titulus sufficiens.

Sed neque jure positivo: prob. jus positivum aliquos lusus non irritat, sed tantùm præcipit restitutionem in judicio post sententiam: ergo à jure positivo non irritantur, & hinc ex illis reportatum lucrum non est restituendum. prob. ant. *lex alearum: Cod. de aleatoribus:* ita sonat. *nulli liceat in publicis vel privatis domibus, vel locis ludere, neque in genere, neque in specie: etsi contra factum fuerit nulla sequatur condemnatio* (scilicet victi ad solvendum) *sed solùm reddatur, & competentibus actionibus repetatur ab his, qui dederint &c.* Quod si autem de ludo, quem particulares communitates, aut superiores suis subditis prohibuerunt: instituatur quæstio, harum prohibitionum tenor erit inspiciendus, & videndum, num solùm prohibiti, vel etiam omnino invalidati ejusmodi contractûs fuerint.

Opponitur contra dicta primò, ludis otiosis lucrari est oppidò turpe: ergo taliter æquisitum lucrum erit restituendum. R. transmisso ant. neg. cons. ob rationes nostræ conclusionis. 16

Opponitur secundò cit. *lex Alearum Cod. de Relig.* dicit *si contra factum fuerit, nulla sequatur condemnatio. sed si solverit, solutum reddatur.* Ergo restitutio talis lucri non erit primùm facienda post sententiam judicis. R. dist. ultima verba legis: solutum reddatur mediantibus alijs actionibus competentibus, concedo: antecedenter ad tales competentes actiones, nego, ita hæc verba esse explicanda ostendunt sequentia: nomine etenim actionum 17

num veniunt lites alteri intentatæ.

18 Opponitur tertiò : *lex non dubium* : Cod. de L. L. apertè supponit, omnem contractum lege prohibitum esse ipso facto irritum : ergo taliter obtentum lucrum retineri nou poterit. R. dist. supponit, ipso facto fore irritum seu per sententiam irritandum, conc. in alio sensu neg. cùm omnes distinguant leges prohibentes ab irritantibus contractum, necessariò non omnis contractus prohibitus erit eò ipso nullus. Reponimus ergo datam legem non ita strictè receptam fuisse, vel praxi contraria abolitam ; cùm plurimi actus sint lege positiva prohibiti, quin aquisitum per illos sit restitutioni obnoxium : sic multi docent lucrum meretricium, aut ex mercaturâ in loco sacro vel die festo factâ relatum, ab istis personis retineri posse.

19 Opponitur quartò : si taliter aquisitum lucrum non foret restituendum, posset etiam de ludo aquisitis fieri Eleemosyna : atqui vi legum Hispanicarum non potest de illis fieri Eleemosyna : ergo &c. R. conc. Maj. dist. min. non potest ex ijs fieri Eleemosyna in præjudicium victi petentis per Judicem sibi talia restitui : conc. absente hoc præjudicio, negatur min. & cons. ne victor conventus à victo, & per sententiam ad restitutionem condemnatus se excuset, quòd jam dederit pauperibus, hinc talis prohibitio fuit à L. L. facta.

Opponet aliquis ulteriùs quintò : si primùm post, & non ante sententiam Judicis datur obligatio restituendi tale lucrum ; varij casus poterunt afferri, in quibus determinari non poterit, utrum lucrum sit restituendum, vel non. Nam primò potest esse, ut victor impediat, ne Judex illum obliget ad restitutionem : in hoc casu non potest dici, num lucrum retineri à victore possit, vel non : ergo &c. R. explorandum, num per vim, aut fraudem sententiam impediverit, vel alio modo : in priore supposito dabitur obligatio, non itidem in posteriore, eò quòd licitè victor se defendere possit à Judicis sententia inducente primùm obligationem restitutionis. 20

Secundò : potest contingere, ut victus actione sibi competente petat restitutionem lucri ex illicito ludo sibi ablati ; Judex autem nullam sententiam condemnatoriam ferat : in tali casu non potest decidi, utrum victor ad aliquam restitutionem sit obligatus, vel non : R. in hoc casu victorem nulla obligatione restitutionis teneri, eò quòd perdenti victo solummodo competat aliquod jus repetendi amissum, postquam sententia condemnatoria fuerit lata, ergo hac non posita eidem nihil erit restituendum, 21

Ter-

22 Tertiò : ponamus victum habere quidem jus coram Judice expetendi ludo prohibito amissum, interea tamen pudore absterritum non audere convenire Judicem; in hoc casu iterum determinari non poterit, utrum occulta compensatione uti perdenti adversùs lucrantem liceat : R. in tali casu illicitam fore compensationem occultam : ratio est, ob valorem præteriti contractus etiam valida fuit translatio dominij rei deperditæ à victo in victorem : ergo præcisè in illis circumstantijs poterit repetere amissum, in quibus eidem jus repetendi concedunt leges : sed istæ duntaxat hoc concedunt, quando coram Judice res fuerit repetita, & condemnatio fuerit subsecuta : ergo extra istas circumstantias omni jure repetendi amissa carebit.

23 Quartò : ponamus victorem ad instantiam victi interrogari à Judice, an & quantum in ludo prohibito lucratus fuerit, eundem autem negare, se aliquod lucrum retulisse; non poterit dici, num teneatur ad restitutionem lucri ipse victor, vel non : ergo. R. Decisionem hujus quæsiti pendere ex eo, utrum lex imponens restitutionem sit merè pœnalis, vel civilis ? & beneficium istud concessum fuerit victo in ejus bonum & subsidium ? si hoc posterius, non poterit victor interrogatus justè negare, eò quòd non agatur de ulla punitione, sed de restitutione à lege ipsi victo concessa, quòd si tuearis legem hanc esse pœnalem, priusquam uno teste omni exceptione majori semiplenè probatum fuerit lucrum, victor ut examinatus criminaliter negare hoc poterit tanquam rem omnino occultam.

Nequaquam autem purè pœnalem hanc legem esse, deducunt aliqui ex eo, quòd hoc lucrum non deberet ipsi victo restitui, cùm hic æquè sit reus, subinde etiam magis, quàm victor. Dein victor, si bona fide lusisset, non posset ad restitutionem condemnari : ubi enim nulla præcessit culpa, non potest infligi pœna, denique licèt semiplenè probatum fuisset delictum, si tamen istud nihilominus à victore negatum fuisset, ex hoc tamen ad nullam pœnam teneretur, consequenter neque ad restitutionem, quæ habet rationem pœnæ.

Quintò : ponamus, quòd Judex à victo conventus injustè repetitionem supplicanti negaret, non potest dici, quid in hoc casu ipsi victo sit faciendum. R. cùm Judex hac ratione injuriam inferat supplicanti victo, & hunc à recuperatione deperditæ rei injustè impediat, victus non quidem à victore, sed à Judice compensationem sibi poterit facere. 24

Oppones sextò : si victus rem ludo perditam, etiam victori traditam potest denuo repetere, tunc, si credito lusisset, & victus alteri 25

succubuisset, non teneretur victori rem ludo perditam extradere: prob. quod traditum possum repetere, id antea possum non tradere: nam *lege invitus: 198. §. cui damus ff. de Regulis Juris:* cui jure conceditur actio ad repetendum, & agendum, datur etiam exceptio ad non solvendum: ergo &c. R. neg. ant. si de jure naturæ, & secluso omni jure positivo loquamur. Ratio est, quòd contractus ab illis celebratus justus, consequenter obligatorius fuerit. jus positivum, quod attinet, videndum, utrum leges solummodo prohibeant tales lusus, aut etiam invalident. Dein utrum restitutio lucri repetenti facienda, habeat rationem pœnæ vel non? si loco pœnæ sit imposita, non debebit victus solvere ludo deperdita victori, eò quòd pœna per sententiam ipsius Judicis sit primùm imponenda, nec antea debita.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Quid sentiendum de ludo, in quo res aliena deposita fuit?

26 Dico 1. Ut lusus justus & licitus evadat, & lucrum retineri possit, est necessarium, ut ludens liberè de re, quam ludendo exponit, possit disponere, seu ut habeat actuale & non impeditum illius rei, vel pecuniæ dominium aut liberam administrationem. Ita communis: ratio est; omnis ludens sub conditione quadam intendit, dominium rei in ludo expositæ in alium transferre, vel à collusore depositæ rei dominium acquirere: ergo cùm nemo rei dominium in alium transferre possit, nisi hoc inimpeditum habeat aut ejusmodi rei liberam administrationem; necessarium erit, ut lusores habeant actuale ac non impeditum in rem expositam dominium. Nam juxta *Reg. 79. de Reg. Juris in 6.* nemo plus juris transferre potest, quàm ipse habeat: & Reg. 54 *ff.* eod. tit. item *id quod nostrum est, sine facto nostro in alium transferri non potest Reg. 11. ff.* eodem

27 Dico 2. Qui rem alienam usu consumptibilem, à collusore in ludo expositam hujus doli ignarus, bona fide lucratus fuit, & absumpsit, ad nihil tenebitur: si autem illam necdum absumpserit, re cognita debebit illam suo Domino restituere. Ita cum communi

ni de Lugo *Disp. 31. sect. 2. §. 1. n. 17.* primum membrum constat : non enim tenetur ex re accepta ; eò quòd nihil alienum apud illum amplius existat : non ex injusta acceptione ; quia ponitur bona fide cum deceptore lusisse. Quod posterius membrum attinet, illius veritas ex dictis de restitutione constat ; quilibet enim à puncto , quo cognoscit rem quandam esse alienam, tenetur istam suo Domino restituere. Dixi , suo Domino rem alienam restituendam esse : si enim hæc desijt esse aliena , non erit priori Domino restituenda , unde.

28 Difficultas hîc aliqua moveri potest , num scilicet validus sit lusus , in quo aliena , v. g. furtiva pecunia fuerat deposita ? Ad hoc dubium respondent Salas *tract. de lud. dub. 8. n. 3.* Lugo : *cit. Disp. n. 17. sect. 1.* De la Groix *lib. 3. p. 2. n. 1079. citans* Molinam , Sanchez , Sporerum *n. 79.* cum distinctione : vel enim ludens , & exponens pecuniam alienam , habebat , ex quo totum valorem illius suo Domino posset reddere ? vel non habebat , nec quoad totum , nec quoad partem ? si quoad totum , vel quoad partem pecuniæ alienæ valorem vero suo Domino potuerat reddere , etiam vel quoad totum , vel quoad partem erat lusus validus , & obtentum ab utroque lucrum retineri poterit : sin nihil in suis bonis , quo compensaret , habebat , num etiam talis contractus lusorius valuerit , in sequenti § videbimus. Ratio primi est , etsi fur , vel deponens pecuniam alienam non permiscendo istam cum suis necdum fecerit suam , hanc tamen sibi applicare potest , aliam , quam domi habebat , in illius locum subrogando : ergo &c. Quod si autem eidem nihil domi , quod subrogaret , supererat , eandam sibi applicare nequaquam potuit. hinc etiam adverto à restitutione nequaquam immunem bonæ fidei victorem fore , etsi tales alienas pecunias in ludo obtentas cum suis indiscernibiliter commisceat , & hac commixtione suas efficiat : licet enim illas non teneatur restituere ex injusta acceptione , tenebitur tamen ex re accepta , cùm res aliena in æquivalenti apud illum existat , & lucrans ex alieno evaserit ditior.

29 Dico 3. Evicta re aliena , quæ per lusum à victore bonæ fidei obtenta fuerat , tenebitur deceptor victori de evictione. Ita Molina Lessius : Lugo, prob. in tali casu lucrans non habuit hanc rem alienam gratis , sed ex quodam contractu oneroso : ergo sicut rem alienam alteri vendens tenetur bonæ fidei emptori de evictione, etiam hic tenebitur. Confirmatur , licèt nullum pretium pro tali re expenderit , subijt tamen innocens colusor periculum

perdendi rem suam, quam in ludo exposuerat: ergo cùm hoc periculum sit pretio æstimabile, non gratuitò, sed ex oneroso contractu rem hanc furtivam consecutus fuit.

30 Dico 4. Si res exposita ludo, ipso usu non fuerat consumptibilis, ubi primùm fuerit cognitum, rem alienam esse, à victore etiam bonæ fidei suo Domino restituenda erit. Ita Molina *Disp. 518.* Lessius *dub. 5. de ludo.* Salas *dub. 8. n. 1.* Lugo *n. 13.* Ratio jam fuit superius insinuata.

Dico 5. Supposito quòd emens 31
bona fide rem alienam, hanc ipsi furi reddere possit, ut pretium pro ea expensum recuperet, etiam talem bonæ fidei in ludo victorem posse eandem reddere deceptori, si aliter valorem illius ab illo recuperare nequeat. ita Lugo *n. 13.* ratio est; talis victor hanc rem acquisivit non gratuitò, sed ex contractu oneroso, sub periculo scilicet rem suam, quam exposuerunt, perdendi, si victus ab altero fuerit.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

An lucrum in ludo aquisitum possit retineri ab ijs, qui non potuerunt perdere, eò quòd rem depositam non potuerint alienare?

BOnacina *Disp. 2. de contractibus q. 3. pu. 2. n. 15.* item Sotus *lib. 4. de Just. q. 5. a. 2.* Sylvester *verbo ludus q. 17. dicto 3.* Angelus *ibidem §. 8.* Saa *n. 6.* Covarruv. *reg. peccatum p. 2. §. 4. n. 4.* Sanchez *lib. 7. moralium c. 19. num. 86.* citans plures alios. Layman. *lib. 3. de Just. tract. 4. c. 21. n. 6.* Diana *tom. 1. tract. de contractibus resolut. 67.* cum alijs defendunt, talem contractum fuisse invalidum, & hinc eodem aquisitum lucrum retineri à victore non posse.

Rationem hujus Laymanus lo- 32
co citato affert sequentem: si tale lucrum retineri posset, lusus fuisset contractus validus saltem jure naturæ: atqui hoc est falsum: prob. min. talis contractus deberet claudicare, & tamen non posset, ergo falsum est, quòd fuerit validus. Primum membrum antecedentis constat: qui enim rem alienam, & non suam deponit, ille nullo modo obligatur: ergo si tamen alter colluſor esset obligatus, manifestè claudicaret contractus: probatur itaque, quòd

quòd non possit claudicare, ut claudicatio in quodam contractu locum habeat, debet necessariò altera pars saltem naturaliter obligari, ita ut intermedia traditione promissæ rei dominium in alterum fuerit translatum, si nec exceptio, nec repetitio rei datæ accesserint: atqui in hoc casu ista non fiunt: major videtur patere ex instantijs, in quibus claudicare juxta leges contractus possunt, ut videre est *in cap. si qua de rebus 12. q. 2. & §. pupillus: Instit. de inutilibus stipulat. & lege Julianus §. si quis à pupillo ff. de action. Empt.* Prob. min. deponens in ludo rem alienam nullo modo obligatur: ergo naturaliter non obligatur, & dominium rei alienæ ab illo depositæ non potest transferri in alterum vi juris naturalis. Prob. 2. quilibet ludens videtur hanc conditionem tacitè apponere, ut scilicet in lusum, & perditionem rei depositæ non consentiat, si non servetur inter utrumque ludentem æqualitas, & uterque sit paris conditionis tam quoad lucrum, quàm quoad amissionem rei in ludo expositæ: ergo ubi hæc æqualitas non datur, deest requisitus ludentium ad alienationem rei depositæ consensus: atqui si deponatur ab uno ludentium res ad ipsum non spectans, nec ab ipso alienabilis, non datur hæc æqualitas: ergo &c.

333 Ex oppositio Lessius *lib. 2. cap. 26. dub. 5. n. 36.* utitur distinctione, vel enim uterque nescivit, rem depositam à deponente alienari non posse, & consequenter bona uterque fide processit; vel uterque scivit, rem à deponente tanquam non suam alienari non posse: aut denique tertiò unus illorum id tantùm scivit, non autem alter: si uterque scivit, rem non posse alienari, uterque fuit in mala fide, & hinc contractus erat juxta Lessium irritus, & nullus, consequenter nullus illorum quidquam lucrari poterat. Quòd si uterque bona fide luserit, & ignoraverit rem depositam alienam esse, Lessius juxta sua principia defendet, eum fuisse validum; non secus ac valida est emptio rei alienæ bona fide facta, transferens in venditorem dominium pretij. Denique etiam alterius solius bonam fidem sufficere volunt, ut talis contractus valeat, & deponens rem alienam lucrari possit: quod probant ex lege: *rem alienam: ff. de contrahenda emptione.*

Cardinalis de Lugo *de Justitia 34. disp. 31. sect. 3. n. 59.* Affirmat, contractum talem fore validum, licèt uterque colluſor optimè noverit, rem alienam esse; rationem dat, quia alter illorum potuit rem suam deponere non prospe aquirendi dominium rei ab altero non alienabilis, sed pro sola materiali illius possessione ut scilicet, cùm in lusu evaserit victor, sibi liceat rem illam à suc-

colluſore traditam poſſidere. nec obſtat, quòd hæc extraditio rei alienæ ſit illicita & vero Domino injurioſa; quia, ut ait Lugo, etiam accepta ex turpi cauſa retineri poſſunt: ergo etiam tale lucrum ex ſpe hujus illicitæ traditionis poterit retineri, quæ omnia videntur à nobis poſſe confirmari ex ijs, quæ citatus Card. de Lugo *diſp. 17. de Juſt. ſect ult. n. 112.* habet de emptione rei alienæ etiam ſcienter facta, ſicut enim in hac emptor intentionem habet transferendi dominium pretij in venditorem, licet ſciat à ſe non transferri dominium rei alienæ venditæ, ita etiam hunc animum habere ludens poterit in luſu.

35 Alij apud Patrem Sanchez *n. 87.* loco cit. affirmant, ideo talem lucrantem non eſſe obligandum ad reſtitutionem obtenti in hoc caſu lucri, quia alter colludens impotentiam alienandi rem depoſitam non ignorans, videtur cedere jure ſuo, ipſiúsque contractûs inæqualitatem admittere. ut tamen hæc procedant, exigunt hi authores, ut alter colluſor non tantum habitu noverit ſuum colluſorem non poſſe rem depoſitam alienare, ſed ut hoc etiam actu ſciat. Verùm quod opinionem hanc attinet, cùm non niſi rariſſimè noſtra bona ludendo alijs donare, ſed communiter omnes cupiditate lucri juſtè, vel injuſtè acquirendi attracti ludere conſueverimus, ideo nemo cenſeri debet ludendo velle cedere jure ſuo, & ſciens velle perdere, non tamen lucrari; claram circa hoc inſtantiam habemus in ijs, qui rem quampiam etiam ſcientes majore, quàm quod meretur, pretio ſibi comparant, tales etenim emptores non præſumuntur jure ſuo cedere, atque exceſſum pretij vendenti condonare, ſed cenſentur potiùs comparatæ rei deſiderio, aut alia neceſſitate compulſi, excedere in pretio: ergo neque hoc ipſum de tali luſore præſumendum, nec alienam rem deponens ab onere reſtitutionis deobligandus erit.

Circa hanc controverſiam vi- 36
detur tenendum primò, contractum ejuſmodi luſorium non quidem ſimpliciter, ſed tamen aliqualiter validum eſſe, quando ignaro altero colluſore res aliena ab uno ſcienter in ludo depoſita, & bonæ fidei colluſor in ludo victor evaſerit. : Diximus, talem luſorium contractum non *valiturum ſimpliciter* & hoc quidem propterea quòd rei depoſitæ dominium in victorem nequaquam transferatur à victo, eò quòd exiſtat illa ſub dominio alterius, uti habetur in lege *traditio 20. ff. de aquirend. rerum dominio*: quia autem vi hujus luſûs victus emptori de evictione tenetur, ſi res depoſita in Judicio à ſuo Domino fuerit evicta; inſuper omne dam-

damnum inde ortum eidem victori compensare ipse victus debet, hinc secundùm quid talis contractus valebit, non secus ac emptio rei alienæ ignoranter celebrata valet, ita Lessius *de Just. lib. 2. c. 26. dub. 5. n. 36.* De Lugo *Disp. 31. sect. 3 n. 59.* Sporer *tract. 6. in Decalog. cap. 6. §. 1, n. 61.*

Id ipsum quoad aliqua tenendum erit de valore lusûs, in quo re aliena deposita uterque bona fide luserat, & deponens rem suam victor evaserit, etenim talis quoque contractus lusorius erit tantùm aliqualiter validus: & si res lucrata fuerit evicta à suo Domino, videtur victus, etsi bona fide luserit, obligatus ad rem evictam in æquivalenti reddendam victori, cùm ad hoc vi lusûs se tacitè obstrinxerit, quod ipsum videtur judicare Cardin. de Lugo, quando *disp. 31. sect. 3. n. 59.* affirmat; si bona fide aliqui luserint deposita re aliena; ejusmodi contractum lusorium fore validum, quia eodem modo se habet ac qui rem alienam bona fide vendidit, qui dominium pretij acquirit, tenetur tamen emptori de evictione. ergo etiam perdens lusu rem alienã tenebitur lucranti de evictione.

37 Aliter autem loquendum erit, si formalis deceptor, ac rei alienæ depositor evaserit victor: etsi enim lusum talem nonnulli authores, ut validum agnoscant; obligant tamen omnes isti deceptorem ad restituendum decepto victo obtentum lucrum; quia alterum per fraudem injustè ad ludendum induxerat, ob quam injuriam reparare damnum innocenti illatum tenetur, quod nisi restituto lucro fieri haud poterit, quidquid demum de valore ipsius contractûs lusorij teneatur. Quin talis fraudulentus lusor, etiamsi victus fuerit, ab Authoribus obligatur ad faciendam aliquam restitutionem pro periculo, cui collusorem exposuit, nihil lucrandi, si deceptor nihil, unde solvere poterat, habebat.

Quòd si autem uterque sciverit, 38
rem ab uno depositam, alienam esse, videtur nobis probabilior opinio Laymani, & Thomæ Sanchez judicantium, ejusmodi contractum lusorium nequaquam validum: & hinc nullam paritatem hunc inter, atque emptionem rei alienæ esse, eò quòd de lusu nullum jus staturum fuerit, tanquam de contractu minùs hominibus necessario, prout tamen de cæteris humano generi conducibilibus, & necessarijs, ut nonnulla decernerentur, boni communis ratio exigebat: præsertim, cùm lusum alearum prohibuerint Imperatores in suis legibus. Quòd si autem certò constaret decipienti victori, suum collusorem non ignarum suæ fraudis pro spe solius materialis possessionis transferre sub conditione victoriæ in fraudulentum lusorem dominium rei à se in

ludo

ludo depositæ, vel ipsum habere verum animum rem à se in ludo depositam donandi deceptori, valeret utique contractus, & decipiens, si victor evaserit, dominium talis rei acquireret: hæc tamen neutiquam supponenda juxta Lopezium *lib. 2. de contract.* & Thomam Sanchez *n. 88. loci cit.* erunt, nisi deposita quantitas sit ita modica, ut attenta dignitate perdentis, & alijs circumstantijs, jure censeatur esse donatio. Cùm itaque utraque sententia tam intrinsecè, quàm extrinsecè sit probabilis, confessarius non facilè obligabit ejusmodi (de quo hoc numero agimus) deceptorem ad restitutionem rei, quam ut victor ex tali lusu obtinuit, & possidere jam cœpit, eò quòd in dubio melior sit conditio possidentis: examinandæ autem potissimùm erunt circumstantiæ, ut, qualis intentio alterius superati colluforis extiterit, colligatur, & num validus, vel nullus ille lusus fuerit, determinari valeat.

§. V.

Resolvitur quintum Quæsitum?

Quid nostro Andreæ Clerico sit respondendum?

39 Dico, eundem difficulter à mortali excusari posse: non tamen ex eo, quòd quilibet lusus Clericorum etiam absque scandalo celebratus, sit graviter ijsdem prohibitus; neque propter intentionem lucrandi, sed quia cum illo, quem sciebat adhuc sub patria potestate esse, pro tanta summa lusit, háncque ab illo, qui rem suam alienare non poterat, tanquàm minor vi legis *1. ff. de Minoribus*: & *legis pupillus*: *ff. de aquirend. rerum dominio* lucrari intendit, huícque occasionem dedit rem suam dilapidandi: atqui videtur meritò illicitum, dare operam, atque intendere, ut tales minorennes bona alienent, & malè perdant: ergo &c.

Contrarium tenendum esset, si res, pro qua lusisset, fuisset modici valoris, & illius duntaxat, pro quo à scholaribus communiter ex tacito consensu parentum ludi potest.

Quod restitutionem reportati lucri concernit, non erit hoc restitutioni obnoxium; quia ex ludo prohibito fuit collectum, vidimus enim ex dictis in 2. § hujus casûs, non omnia ludo prohibito obtenta subjacere restitutioni perdenti, aut pauperibus faciendæ: non sunt pauperibus distribuenda, quia falsum est, quòd ludo

ludo illicito dantes operam, amittant dominium rei expositæ, sive dein hanc lucrentur, sive perdant.

41 Ratio itaque restitutionem triginta horum florenorum extorquens desumitur ex nullitate instituti ludi, ad hujus enim justitiam ex dictis in §. tertio requiritur, ut ludentes rei depositæ inimpeditum dominium habeant: atqui hoc non erat penes Cajetanum ludentem, cùm spectaret ad Patrem, qui summam submiserat Patri-Familias, cujus convictu filius usus fuerat, ut expungeret debitum à filio Cajetano ob victum illi præstitum contractum, ex quo etiam patet, Cajetano nequaquam concessam fuisse à suo Patre liberam ad alios fines, quàm ad expunctionem contracti debiti, administrationem hujus submissæ pecuniæ.

42 Etiamsi autem Clericus noster Andreas nesciverit, illas pecunias expungendo debito à Cajetani Patre submissas fuisse, non tamen de fraude poterit conqueri, quia hæc non dicitur fieri scienti & consentienti, vi legis *nemo 145. ff. de R. J.* atqui noster Clericus scivit Cajetanum adhuc sub Patria potestate constitutum, carere facultate tantam summam sine consensu sui parentis alienandi, cùm præsumere neutiquam potuerit, parentem non ægrè laturum, quòd suus filius unica in sessione triginta florenos lusibus absumat. Ergo licèt Andream latuerit, quòd hæ pecuniæ sint alterius, quàm Cajetani, optimè tamen sciebat, collusorem suum, tanquam adhuc minorennem & sub Patria potestate constitutum non posse ludo alienare tantam pecuniarum summam: ergo si tamen cum illo luserat, nullam excusationem afferre pro se poterit.

43 Quòd si autem Cajetanus à Clerico Andrea interrogatus fuisset, num filius familias esset, aut alienare suas pecunias posset, ille autem reposuisset, sibi & donandi, & perdendi has pecunias facultatem competere hácque ratione mendacijs Andream ad ludendum induxisset, teneretur eidem de evictione Cajetanus, atque ex suo cum tempore compensationem facere, cum vi *cap. ex tenore de rescriptis* dolus nemini debeat patrocinari.

Denique si Andreas Clericus, cùm luderet cum Cajetano, nullam penitus reflexionem ad ista habuisset, sed bona fide ludens lucrum relatum postea non minùs bona fide alienâsset, quin exinde evaserit ditior, consequenter lucrum nec in se, nec in æquivalenti amplius apud Andream extaret, Judico, in foro conscientiæ eundem ad refundendum aliquid nequaquam obligari posse ex oppositio juxta dicta num. 28. ad restitutionem facti lucri ex radice rei acceptæ noster bona

fide ludens obligatus erit, licet pecunias ludo acquisitas cum suis indiscernibiliter permiscuisset, eo quod factus ex alieno ditior fuerit.

Quòd si autem mala fide lusisset, optimè sciens hunc adhuc sub Patria potestate esse, aut pecunias Domino convictûs à Patre submissas fuisse, licet lucrum cum suo peculio permiscuisset, ex injusta tamen acceptione teneretur, & simul ex re accepta.

Denique si Cajetanus bona castrensia, vel quasi castrensia habuerit, ex quibus totum hunc valorem suo Patri aut Domino convictûs refundere potuerit, pecunias hasce tanquam rem usu consumptibilem validè exponere potuit. Quod ipsum tenendum esset, si pater huic suo filio licentiam dedisset exponendi singulis annis in lusum triginta vel quadraginta florenos, & hi pro illo anno necdum perditi fuissent, ex his enim postea submissis triginta florenorum debitum Domino convictûs potuisset solvere.

CASUS XXVI.

De Thesaurario, Principis sui pecunias elocante.

PRocopius, cùm Thesaurarium sui Principis ageret, ex hujus apud se depositis pecunijs mille, vel bis mille florenos sine Principis expressa licentia, Sempronio suo amico mutuos concedit, post aliquod tempus Sempronij fortuna, & bona temporalia ita diminuta fuerunt, ut cæteri ejusdem creditores, ne jacturam contractorum apud se à Sempronio debitorum cum tempore paterentur, eundem coram judice de solutione convenerint. Procopius, horum omnium minimè ignarus, videbat ex una parte periculum amittendi Sempronio concessas pecunias, si has cum cæteris creditoribus modò expetere omiserit, ex altera verò etiam noverat, Sempronium, si ad mille vel bis mille florenorum solutionem modò adigeretur, è suo statu deijciendum esse: ut igitur aliquid amicitiæ suæ, qua Sem-

Sempronium prosequebatur, daret, solutionem sui debiti non exposcit, fretus probabili spe Sempronium cum tempore res suas melioraturum esse: nec sua spe deceptus fuerat Procopius: verùm licèt ad pinquiorem fortunam denuo Sempronius perveniſſet, ab hoc tamen vivente (incertum ex qua causa) debitum nunquam repetijt, sed illo mortuo hæredes contracti apud se à defuncto debiti admonet, qui tamen quidquam persolvere constanter renuant, nec ob nimiam distantiam conveniri in sæculari Judicio possunt. hinc.

Q. 1. Utrùm Thesaurarius potuerit absque culpa hos florenos dare mutuos Sempronio?

Q. 2. Num Thesaurarius non petendo solutionem debiti commiserit culpam, ex qua ipse teneatur principi hoc damnum compensare?

Q. 3. An non ex alia quadam ratione ad præstandum hoc damnum principi Thesaurarius obligetur?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum Thesaurarius potuerit absque culpa hos florenos dare mutuos Sempronio?

1. *Contractui depositi subinde annectuntur contractus mutui, locationis &c.*
2. *Res depositæ aut sunt usu ipso consumptibiles, aut non.*
3. *Depositarius per se non potest uti depositio.*
4. *Quandonam depositarius licitè uti re fungibili apud se depositâ possit?*
5. *Quid depositario publico in hac re liceat?*
6. *Positâ certâ conditione, Thesaurarius noster non peccavit graviter.*
7. *Sine tacito aut rationabiliter præsumpto Principis consensu Thesaurarius deliquit graviter.*
8. *Pecunijs istis etiam annuum censum sibi coëmisse Thesaurarius potuit.*

9. Non tamen accipere aut retinere, si contractus fuisset nullus.
10. Emptio censûs, etiam alienis pecunijs facta, valet.
11. Solvitur objectio à Manriquez proposita.
12. Possessor malæ fidei non tenetur restituere fructus meræ industriales.
13. Ejusmodi annuæ pensiones non sunt fructus mixti.
14. Cur pecunias in societate ad negotiandum contribuens participet de fructibus.
15. Per accidens alicui sua fraus prodesse potest.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Num Thesaurarius non petendo solutionem debiti commissu culpam, ex qua ipse teneatur principi hoc damnum compensare?

16. Depositum varijs rationibus ac modis fiert, & ad variam diligentiam obligare depositarium potest.
17. Potest culpa esse in se tantùm spectata levis, respectivè tamen gravis.
18. Utendo pecunijs depositis ad majorem, quàm antea diligentiam obligatur thesaurarius.
19. Sive invito Principe, sive ex præsumpto illius consensu ijs fuerit usus.
20. Non exigendo debitum in dato casu probabiliùs culpa lata fuerat commissa.
21. Thesaurarius noster probabilibus nullam inadvertentiam, vel ignorantiam inculpabilem prætendere potest.
22. Quæ licèt intervenisset, eandem probabiliter non excusaret.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An non ex alia quadam ratione ad præstandum hoc damnum Principi Thesaurarius obligetur?

23. Depositum ex sui usu mutatur in mutuum.
24. In quo dominium transfertur in mutuatarium.

25.

25. Hinc Principi eveniens damnum à Thesaurario reparandum.
26. Quid si concessio hujus mutui ex consensu Principis fuisset facta?
27. Solvitur Objectio.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum Thesaurarius potuerit absque culpa 1000. *vel* 2000. *florenos dare mutuos ipsi Sempronio?*

1 CUm subinde contractui depositi adjungatur contractus mutui, locationis, aut conductionis, hinc supponimus, pecunias hujus principis, quas thesaurario suo ille custodiendas commiserat, habuisse rationem puri depositi, ita ut nullam expressam facultatem eisdem utendi thesaurario Princeps concesserit. Insinuavimus autem alibi, depositum purum definiri esse id, quod alicui in custodiam conceditur. *lege 1. & sequentibus ff. de deposito & §. præterea: instit. quibus modis contrahatur obligatio, & cap. 1. & 2. de deposito.*

2 Res autem, quæ deponuntur, possunt esse vel fungibiles, seu usu consumptibiles, uti sunt pecunia, triticum, vinum &c. vel non fungibiles, uti sunt scyphi, argentea candelabra.

3 Conveniunt communiter omnes Doctores, Depositarium per se loquendo absque consensu deponentis non posse uti puro depositio sine peccato injustitiæ. Ratio est, quòd eidem custodia sola, non autem usus rei depositæ concredita fuerit à deponente: ergo utens invito Domino committet injustitiam, hinc depositarium etiam obligant, ut deponenti pretium usûs solvat, si hic fuerit pretio æstimabilis, & prudenter Dominus illud velle Judicetur.

4 Præterea etiam plurimum Authorum, scilicet Molinæ *Disp. 524.* Lessij *lib. 2. cap. 27. n. 8.* Lugonis *de depos. disp. 33. sect. 1. n. 4.* Laym. *de deposito* Sylvest. *V. depositum n. 10.* & aliorum opinio tuetur, in casu, quo res usu consumptibilis fuerit deposita, insuper depositarius certus sit, se ubi depositum repetitum à deponente fuerit, paratum habiturum tantundem ejusdem mensuræ, ac bonitatis, absque mortali permissum iri depositario, rem talem usu consumptibilem alienare. Rationem dant, quòd deponens rationabiliter judicetur tacitè in hæc consentire, quia hæc alienatio in

illius commodum cedit, eò quòd talis res deponenti salva maneat, etsi ista casu, vel leviſſimâ culpâ depositarij pereat.

5 Quæ autem modò diximus de licentia utendi re deposita, si hæc sit usu consumptibilis, locum duntaxat inveniunt in depositis privatis, quod enim publicos depositarios concernit, istis prohibitum, atque illicitum est, ejusmodi depositis uti, licèt in parato habeant, queis accepta compensent juxta legem *1. Cod. de bis, qui ex publicis rationibus lib. 10. & leg. 1. & 2. C. de bis, quæ ex publica collatione* : hæc disposi-tio & prohibitio utrum etiam in conscientia obliget, si utens deposito moraliter certus sit, nullum inde damnum Dominis, nec Dominorum Creditoribus, quibus ex depositio satisfactio præstanda est, eventurum esse incertum, ac dubium manet, in mitiorem sententiam inclinat Salas *de Justit. disput. 3. pu. 2. n. 3.* si scandalum nullum exinde timeatur.

6 Dico itaque: si noster Thesaurarius tot pecunias ad manus habuerat, ut suo Principi repetenti depositum ex suis compensare ipse potuerit; insuper paratus ita animo fuerit, ut ipse ex suo eidem compensare defectum, & damnum vellet, si aliquod Principi ex hoc usu evenerit, absque ullo gravi peccato uti pecunijs depositis potuit. Prob. concluſ. ex dictis; non enim censetur esse rationabiliter invitus in talibus circumstantijs: ipse Princeps, nisi positivam inhibitionem contrariam Thesaurario insinuâsset.

Dico 2. Si alterutra ex istis duabus conditionibus abfuerit, illicitè hoc depositio fuerat usus, Prob. in tali casu non potest præsumi tacitus consensus Principis, sed potiùs erit judicandus positivè, ac rationabiliſſimè graviter invitus: sed sine præsumpto, tacito, vel expresso consensu Domini non licet uti re alterius; & circa hanc exercere actum soli vero Domino convenientem: consequenter committetur injustitia, & quidem gravis; cùm Dominus rationabiliter sit graviter invitus, si tot pecuniæ suæ, se inscio, dentur alteri mutuæ. 7

Occasione hujus casûs alia ad- 8 huc moveri potest quæstio: Thesaurarius noster potuit depositas apud se pecunias vel mutuò, prout ponitur, consequenter sine interesse, aut obligatione reddendi aliquid ultra sortem tertio dedisse: vel ijsdem emisse censum sibi annuatim persolvendum: si hoc posterius accidisse ponamus, dubium non immeritò exoritur, num annua pensio retineri bona fide à depositario valeat, aut Principi sit restituenda. Ad quod

Dico 1. Si contractus censûs 9 celebratus inter Thesaurarium, ac tertium fuisset nullus, non potuisse Thesaurarium bonâ conscientiâ re-

retinere annuum censum. Ratio est; quia jus ad accipiendum, ac retinendum annuum censum fundatur in valore celebrati contractûs censualis: ergo, si hic fuerat nullus, non datur jus ad retinendam annuam ex illo contractu pensionem censualem; quia ponitur censuarius nolle donare annuum censum ipsi Thesaurario purè gratis, nisi ipse censuarius optimè gnarus hujus nullitatis, nihilominus solutionem annuam minimè coactus præstaret.

Ulteriùs itaque quæritur, utrum contractus censualis, pecunijs alienis ipsius Principis rationabiliter graviter inviti celebratus, subsliterit? si enim iste fuerit invalidus, ex immediatè dictis eruitur, quòd annuos census retinere Thesaurarius non possit. Decisio hujus ex illo petenda, utrum res alienis pecunijs emptæ fiant Emptoris. Itaque

10 Dico 1. Emptio talium censuum, alienis pecunijs facta valet: ita ut jus percipiendi, & retinendi census sit emptoris, non autem illius, cujus est pecunia; neque obstat, quòd mala fide emptionem celebraverit. Ita cum D. Thoma *2. 2. q. 78. art. 3. T. T. ferè omnes*: Panormit. *in cap. Naviganti de usur. n. ult.* Dominicus Francus, & Joan. Andr. *in cap. quanquam eodem in 6. ac alij fermè omnes jurisperiti.* Prob. concluſ. *ex lege penult. Cod. si quis alteri vel sibi*: hìc ita legimus: *qui aliená pecuniâ comparat, non ei, cujus nummi fuerunt, sed sibi, tam actionem empti, quam dominium, si ei fuerit tradita possessio, quærit.* item *lege, si ex ea Cod. de R. V.* asseritur, injuriam fieri depositario, si deponens repetat possessiones, quas ipse hujus pecunijs apud se depositis comparaverat. Decisioni harum legum conformia sunt, quæ habentur lege: *Procuratoris 5. §. 17. ff. de tribut. Action. lege si Patruus 4. Cod. commun. utriusque Jud. leg. 3. Cod. Arbitrium tutelæ &c.* à Jure Civili non discordat Canonicum: *in cap. cum tu 5. de usur.* ab Alex. III. præcipitur, *possessiones verò, quæ de usuris comparatæ sunt, debent vendi, & ipsarum pretia his, à quibus usuræ extortæ, restitui, ut sic non solùm à pœna, sed etiam à peccato possint (quod per usurarum extorsionem incurrerant) liberari.* Ergo usurarius obtinuit dominium in possessiones, quas usurarijs pecunijs, quæ erant alienæ, aquisiverat: Prob. conſ. si hoc dominium usurarius non aquisivisset, possessiones cum omnibus fructibus debitori, ex cujus pecunijs istæ fuerunt emptæ, debuissent restitui: ergo &c.

Prob. 2. Conc. ratione: fructus ex tali pecunia aliena relati, non sunt fructus hujus pecuniæ, sed industriæ emptoris: ergo fructus spectabunt ad emptorem. prob. ant. pecunia per se est infructifera, & sterilis, & nullo cultu

cultu utilitatem aut fructum possidenti affert: prob. ant. ut reportetur ex illa fructus, pecunia in alium erit transferenda emendo ex ea aliquid, aut commutationem pro alia pecunia instituendo ope cambij: ergo fructus ex pecunia aliena relati non sunt hujus pecuniæ, & consequenter hæc non est fructifera.

Confirm. Res empta ex pecunia communi, non est communis, sed propria illius, qui comparavit: ergo res comparata pecunijs Principis non erit Principis, sed comparantis: ant. constat ex *lege 4. Cod. comm. utriusque.*

11 Huic à plurimis receptæ sententiæ se opponit Manriquez *qq. moralium & vicarialium part. 2. q. 87.* sequentia objiciendo.

Depositarius pecunijs Principis res alienas comparans, ac recipiens rem emptam est possessor malæ fidei, sed possessor malæ fidei unacum re aliena restituere etiam debet fructus: ergo etiam talis Thesaurarius: atqui pecuniæ alienæ ac depositæ fructus sunt annuæ pensiones: ergo has debet restituere. Maj. constat: malæ fidei dicitur esse, qui scit, vel credit rem, quam possidet, ad se non pertinere: ut habetur *cap. finali de præscript. lege. bonæ fidei emptor de verb. signif. cap. si virgo 34. quæst. 2. cap. vigilanti de præscript.* atqui talis Thesaurarius scit pecunias, cum quibus negotiatur, ad se non pertinere, sed ad Principem, ergo est malæ fidei possessor respectu pecuniæ depositæ, & alienatæ. Probata majore, minorem subsumptam ita demonstrat: licèt pecunia ex se non pariat fructum, & hinc infæcunda à Doctoribus nonnullis vocetur, accedente tamen industria, & negotiatione producit fructum, ergo &c.

Confirm. Ipse Diana in *initio quæstionis tract. de contract. resolut. 32.* item Lessius *lib. 2. de Just. & jure cap. 23. n. 18.* utitur hoc termino *fructus*, dicendo, hunc industriam parare. Item cambia, & usuræ licitæ, pecunijs pecunias comparant, & pecuniæ hujus partus vocatur fructus, seu interesse, ergo &c. R. dist. Maj. talis Thesaurarius est possessor malæ fidei, hoc est, scit se illicito, valido tamen, atque in jure approbato modo jus percipiendi annuos census aquisivisse, conc. est malæ fidei, hoc est, scit non esse hac emptione sibi aquisitum jus percipiendi annuos reditus; neque hos ad se pertinere, neg. Maj. & dist. min. possessor malæ fidei in hoc posteriore sensu acceptus debet restituere omnes fructus conc. etiam in priore negatur: ad confirmationem. R. ex illa tantùm probari, ejusmodi fructus esse industriales occasione pecuniæ lucratos.

Urget: possessor malæ fidei is debet restituere fructus tam natura-

turales, quàm industriales: ergo, licèt lucrum ex emptis censibus comparatum sit fructus industrialis, erit tamen restituendum, cùm Thesaurarius fuerit in mala fide. R. neg. ant. ratio est, quòd fructus industriales non sint rei alienæ, sed propriæ industriæ: ergo non debentur Domino, cui tantùm res sua, non autem aliena industria fructificat.

13 Urgent secundò, potest dici, quòd hi fructus sint mixti ex industrialibus, & realibus: atqui fructus mixti à possessore malæ fidei sunt restituendæ: ergo &c. R. neg. Maj. jam enim probavimus, quòd pecuniæ non sint ex se fructiferæ.

14 Urgent tertiò, si ego dem pecunias Paulo, ut cum ijsdem negotietur, lucrum ex hac negotiatione relatum me inter, ac Paulum erit dividendum: ergo etiam ejusmodi census inter Dominum, & ementem alienis pecunijs censum erunt dividendi. R. disparitatem esse, quòd in negotiatione pecuniæ Domino fructificent solùm ideo, quia ex ejusdem consensu fuerunt expositæ, ac fructiferæ effectæ, in nostro autem casu ponuntur inscio, & non consentiente Domino pecuniæ fuisse elocatæ. Dein in negotiatione periculum contributam pecuniam amittendi subit, qui illam elocaverat, hoc autem non incurritur in præsenti quæstione, quia acceptas pecunias compensare ex suis tenetur malæ fidei alienator.

Urgent quartò: hac ratione alienanti, & ementi pecunijs alienis censum annuum, sua fraus, & dolus prodessent: quod est contra tenorem *cap. ex insinuatione 50. de Apellat. cap. ad nostram 5. de empt. & vend. cap. sicut 33. de Simon.* R. dist. Maj. prodesset eidem fraus secundariò ex suo pravo facto, & solùm per accidens, lucrum quoddam inde acciperet, conc. per se, negatur Maj. & sub eadem distinctione conc. & neg. min. & cons. potest tale lucrum per accidens obtineri, si ex fraude commissa vendentis, aut ementis alienum, nullum præjudicium vero Domino evenerit: atqui nullum huic evenit, quia res ablata restituenda, totúmque damnum emergens, & lucrum cessans eidem reparandum erit. 15

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum?

Num Depositarius, seu Thesaurarius non petendo solutionem mutui in his circumstantijs commiserit culpam, ut cujus ipse Domino, seu Principi reparare hoc damnum debeat?

16 EX ijs, quæ de culpa, ex qua famuli, officiales, aut depositarij tenentur, casu præcedente disputavimus, colligimus, depositum more consueto in solius deponentis commodum, atque gratiam posse alteri ad custodiam dari: vel in gratiam atque commodum solius depositarij, aut denique in gratiam utriusque.

In eadem resolutione *num. 19.* asseruimus, si res quædam in commodum solius deponentis alteri in custodiam fuerit tradita, neque pacto, aut conventione tacita, vel expressa aliter statutum fuerit, nullâque culpabilis mora intercesserit, in restituendo depositum, hoc pereunte teneri solummodo depositarium de dolo, ac culpa lata, seu crassa, hoc est, Theologica vi *leg. quod Nerva ff. depositi*, & §. *præterea: instit. quibus modis re contrahatur obligatio*, & ibi *Glossa* Num. etiam 21. concluſ. 2. § 2. defendimus: si res in commodum solius depositarij concessa in custodiam fuerit, obligationem restituendi etiam ex culpa levissima (absolutè scilicet, non tamen respectivè tali) orituram.

Denique defendimus num. 22. concl. 3. ejusdem §. cum pluribus ibidem citatis, si depositum in utriusque contrahentis utilitatem cedens perierit, depositarium non tantùm de dolo, & lata culpa, sed de levi saltem absolutè tali teneri, vi *textûs legis: si ut certò* §. *nunc videndum ff. commodati: item leg. 1.* §. *si vestimenta ff. depositi.*

Quia autem plurium sententia docet, quòd in foro conscientiæ tùm in contractu, quàm in officio aliquis solùm teneatur ad restitutionem ex culpa gravi: ex altera verò parte nos antea primùm asseruimus, etiam ex levissima, & levi culpa in diversis contractibus obligationem in conscientia induci; ut hæc combine-, advertimus, eandem culpam posse esse absolutè levem, & respectivè gravem, quia scilicet in quibusdam circumstantijs adhibenda est

est major cura, ob majorem obligationem, ac strictiorem titulum; hinc culpa, quæ in aliquibus circumstantijs est levis: v. g. in contractu depositi; erit gravis in contractu commodati, eò quòd commodatarius majorem curam adhibere debeat, quàm depositarius.

Quando itaque asserimus, depositarium, si depositum in utriusque utilitatem cedens perierit, teneri ex culpa levi, volumus dicere, eundem teneri, si omiserit illam diligentiam, quæ in se, ac præscindendo ab hoc contractu foret quidem levis; id est, quæ materialiter est levis, non autem est talis formaliter, & respectu hujus contractûs; quia non solùm diligentiores, sed etiam diligentes, ac prudentes communiter illam diligentiam adhibere solent, ac vi contractûs etiam debent; cùm nonnulli contractus obligent ad vitandas culpas, quæ alioquin essent leves, & hinc faciant, ut seclusâ ignorantiâ, vel inadvertentia inculpabili ejusmodi culpæ in se leves in tali contractu evadant, Theologicè graves atque lethales.

18 His itaque præmissis examinandum, qualem, & quantam obligationem vigilandi, & attendendi ad custodiendas, & asservandas has pecunias noster cum Principe, celebratus contractus depositi, vel officium susceptum induxerit. Præterea cùm in casu ponatur, Thesaurarius, inscio, & forsitan etiam invito rationabiliter Principe hujus pecunias dedisse tertio mutuas, hinc ulteriùs videndum, utrum Thesaurarius non ex hoc facto ad majorem, & accuratiorem, quàm ex vi solius contractûs depositi, vel sui officij, diligentiam adhibendam obligatus fuerit, ne pecunia mutuò data penes mutuatarium periret.

Certum igitur nobis videtur, ex hac elocatione obligatum de novo fuisse Thesaurarium ad majorem & acuratiorem diligentiam in custodiendis, & assecurandis pecunijs sui Principis, quàm antea præcisè, ut depositarius adhibere tenebatur. Prob. qui equum gratis, & inscio illius Domino accipit in suum, vel suorum commodum, juxta omnes tenetur ad majorem illius curam, quàm si pro pretio, vel consentiente Domino accepisset: ergo etiam noster Thesaurarius ad majorem diligentiam erit ob hoc factum obligatus. Prob. cons. ille has pecunias mediante tacito, & virtuali quodam contractu commodati in commodum, atque utilitatem hujus sui amici, cui illas dedit mutuas, & consequenter aliquo modo in proprium commodum inscio etiam Domino acceperat: ergo &c.

19 Secundò, vel ponitur dedisse hanc pecuniam mutuam suo amico, & usus depositi sui Principis cum hujus præsumpto con-

sensu, ac licentia? vel Principe invito, contra hujus etiam præsumptum dissensum & consequenter mala fide? si hoc ultimum ponitur feciſſe, tanquam injustus damnificans utique ad compensandum hoc damnum suo Principi erit vel maximè obligatus: si primum, ergo Thesaurarius noster tacitè se obligavit ad implendas omnes conditiones, sub quibus solis potuit prudenter præsumere, quòd Princeps sit consensurus in hunc usum depositæ suæ pecuniæ: atqui inter has conditiones est etiam ista, ut Thesaurarius majorem diligentiam modò adhibeat, quàm debuisset adhibere antea: ergo &c.

Tertiò, si hæ pecuniæ, non obstante quòd mutuò fuerint tertio datæ adhuc retinuerunt rationem cujusdam depositi, cùm ex hac mutuatione nullum omnino commodum sed maximum periculum amittendi suas pecunias Principi accesserit, incepit depositum Principis, quo ad pecunias mutuò datas cedere in commodum, & gratiam solius Thesaurarij. prob. ipse gratiam inivit apud mutuatarium, húncque sibi ijsdem fuit demeritus. ergo ex dispositione LL. tenebitur ex culpa leviſſima, hoc est adhibere diligentiam debebit majorem illâ, quàm adhibere tenebatur depositarius, quando depositum in utriusque, deponentis, & depositarij, utilitatem vergebat.

Si autem major diligentia in conservandis pecunijs Principis, postquam istas Principe inscio mutuas tertio dederat Thesaurarius, huic est adhibenda, quam antea fuerat.

Concludimus, Thesaurarium [illegible] secluſa inadvertentia vel ignorantia inculpabili, culpam crassam & latam commisisse, eò quòd solutionem dati mutui non expetiverit, quando viderat, reliquos debitores mutuatarium ad solutionem urgere, probabile etiam periculum adesse, ne posthac debitor insufficiens solvendo evadat, prob. omisit diligentiam, quam non soli homines diligentiores, & acuratiores in custodiendis, & repetendis suis rebus, ac exigendo mutuo, sed etiam communiter, atque ordinariè prudentes ac suarum rerum diligentes curatores, ac administratores adhibent: sed omittere hanc diligentiam, est culpa lata, ac crassa: ergo. prob. Maj. omnes mutuatores, præsertim si summa sit notabilis v. g. mille aut bis mille floreni, exigunt in talibus circumstantijs suum debitum, nec exspectant cum suo periculo aliud tempus, ne debitor exinde quoddam damnum in suis rebus patiatur; imò neutiquam dubitamus, quin ipsus Thesaurarius certò exegisset, si pecuniæ mutuò datæ ad ipsum spectâssent, nec ulteriorem moram in solvendo inſul-

fâsset

fisset debitori, cum adeo probabili periculo res suas amittendi.

Secundò: licèt etiam quando de rebus proprijs agitur acurati suorum commodorum promotores, in gratiam sui amici omitterent in talibus circumstantijs exigere debitum, quando vident probabilem spem adesse, perventurum debitorem cum tempore ad pinguiorem fortunam, id tamen eisdem non videtur licitum, quando res aliena periclitatur, quæ ipsorum opera, insciò verò Dominò, ejusmodi periculo liberrimè fuerat exposita; possumus enim alijs beneficium præstare ex nostris, non autem ex alienis bonis cum periculo ista perdendi.

Tertiò: antea insinuavimus, Thesaurarium, dum ex præsumpto consensu Principis mutuum dederat tertio, consensisse tacitè in omnes conditiones, sub quibus præsumebatur consentire Princeps in hanc mutuationem: atqui non est credibile, quòd Princeps etiam consensisset, & approbâsset, ut debitum non expeteretur in illis circumstantijs, in quibus poterat probabiliter contingere, ut cum tempore suam fortunam melioraturus esset mutuatarius debitor; sed potiùs obligaverat Thesaurarium, ut omni modo recuperando mutuo, quando periculum amittendi illud ad futurum esset, invigilaret: ergo si hoc non præstitit, non satisfecit suæ obligationi, nec potest dici fuisse diligens; quia non præstitit, nec observavit ea, quæ si omissa fuerint, graviter violantur conditio, & contractus, quem tacitè cum Principe celebraverat.

Quartò: si depositarij, quando creditum illorum fidei depositum etiam in illorum bonum partialiter, vel etiam nullatenus cedit; talem operam adhibere tenentur, multò magis tenebitur, qui proprio motu ejusmodi periculo rem apud se depositam exposuit, quali exposuisse illam intelligimus Thesaurarium nostrum.

Quintò: si rem mobilem multi valoris mihi aliquis asservandam dedisset assignando locum securum, in quo illam custodire possim, & debeam: ego autem Domino insscio illam in locum minus securum proprio motu transtulissem: Dein autem viderem clarè, illam valde probabili periculo destructionis ibidem expositam esse, utique obligarer, præsertim si hoc absque ullo meo detrimento facillimè fieri posset, ut præsenti periculo eandem subtraherem; sed &c. ergo &c.

Maneat ergo firmum ac indubitatum, in hoc casu debitam, & communiter in talibus circumstantijs adhiberi solitam diligentiam omissam, consequenter latam culpam commissam, & obligationem compensandi damnum contractum à Thesaurario fuisse, nisi inadver-

tentia, aut ignorantia inculpabilis eundem excusent.

21 Restat itaque quæstio, utrum omissio repetendæ pecuniæ ex inadvertentia, aut ignorantia inculpabili evenerit: Carroci, *de depositi. tit. de culp. depositi n. 1.* asserit, per textum *in lege 1. Cod. depositi*, quòd nullus nisi ex lata culpâ, crassa, & affectata, qualis hæc esse apparet, vel illud, ad quod quisque tenetur juxtà suam professionem & regulam, ignoret.

Neque prætendas, adfuisse probabilem spem, perventurum debitorem cum tempore ad pinguiorem fortunam; licèt enim hoc præviderit, advertit tamen, adesse probabile & probabilius periculum amittendi datum mutuum: ergo debebat modum securum, ac tutiorem in salvandis rebus alienis eligere; cùm ipsius operâ in hoc periculum pecuniæ Principis fuerint expositæ.

Deinde, quare non efficaciter ursit solutionem à mutuatario, quando hic ad pinguiorem fortunam postea denuo pervenerat? quare nullam hypothecam pro majore securitate expetijt?

Neque prudens quoddam fundamentum occurrit, quo persuadeamus nobis, inadvertentiam aliquam, aut ignorantiam inculpabilem, quæ Thesaurarium nostrum excuset, interveniſſe; ponitur enim, periculum amittendi depositum, si tunc istud non expetierit, à Thesaurario bene apprehensum fuisse, & hunc sola quadam misericordiâ & benevolo affectu erga debitorem ad differendam solutionem permotum fuisse; nequaquam autem conveniens erat, ut debitoris commodum præponeretur ipsius Principis juribus; cùm huic magis obligatus fuerit Thesaurarius, quàm debitori mutuatario: tum quòd probabilissimè salarium ob officium depositarij acceperit, & suâ culpâ in tam periculosum statum pecunias Principis transtulerit.

Accedit, quòd, licèt omissio repetendæ solutionis ex inculpabili quadam inadvertentia, & ignorantia contigisset, necdum tamen ab onere refusionis ipse Thesaurarius excusatus videatur, communiter enim tenent Doctores, Depositarium etiam ex casu fortuito teneri, si in mora culpabili repetiti mutui priùs extiterit; hoc enim supposito idem videtur in nostro casu tenendum, eò quòd ex suo liberrimo arbitrio principis pecunias in illum statum, in periculosum transtulerit, extra quem mansissent eædem incolumes; non enim minorem sed æqualem, si non omnino majorem culpam, hîc commissam fuisse, æqui rerum æstimatores judicabunt, cùm Rebellus *de oblig. Just. p. 2. l. 16. quæst. unica* dicat, culpam scienter committi ab eo, qui data operâ res depositas in periculosa lo-

ca

ea defert hinc ad præstandum etiam casum fortuitum se obligâsse præsumitur, eámque obligationem contraxisse, quam haberet petrus, si alterius equo insçio hujus Domino usus fuisset, & hic noctu in alienis ædibus stabulans, ex ruina corruentis domûs fuisset oppressus.

Dices, Procopium dando pecunias mutuas nullam culpam, vel saltem non gravem commisisse, eo ipso, quòd ex præsumpta licentia principis hoc fecerit; sicuti culpæ reus non est Religiosus, ex præsumpta licentia superioris rem quandam alienans: ergo non est paritas inter illum, & qui in mora culpabili repetitum depositum restituendi fuerat. R. maximè dubium esse, an Principis licentia potuerit prudenter præsumi; & iste non fuerit etiam positivè invitus quoad substantiam. Secundo, si etiam quoad substantiam ponatur consensisse, hoc factum fuit sub hac conditione, ut ipse Thesaurarius periculum in se susçipiat, & in defectum mutuatarij non potentis solvere ad præstandos mille hos florenos sit obligatus: ergo simpliciter videtur adhuc obligatus.

Dices: jure naturæ non esse obligationem restituendi pro damno sine culpa theologica illato; quia tali modo factum imputari moraliter non potest. R. jam interveniisse hìc culpam saltem levem, commissam, quando sine principis præscitu pecunias ad hunc spectantes alteri mutuas dederat. quod si ponas, nullam hìc etiam levem culpam fuisse commissam, eò quòd consensus Domini prudenter præsumptus fuerit: Contra est; Princeps nunquam consensisset, si Thesaurarius periculum in se non recepisset, paratus præstare damnum inde eventurum, si mutuatarius solvendo impar evaserit. secundo ex contractu possumus etiam nos ad casus fortuitos præstandos obligare, quod hic contigisse probavimus.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An non ex alia ratione Thesaurarius hoc damnum Principi præstare teneatur?

23 ANtequam aliquid concludamus, innuimus Navarrum *n. 180.* Reginaldum *n. 157.* Molinam *Disp. 525. n. 1.* Rodriquez Lessium *n. 6.* Sa *verbo mutuum* & plures alios apud Azorium *tertia*

tia parte lib. 7. de depositо . Di-castillo de Justitia lib. 2. tract. 1. de depositо dub. 1. n. 10. docere, si deposita res functionem recipiat, & usu sit consumptibilis, illáque uti depositarius incipiat, eandem vel consumendo vel alienando, quòd tunc depositum quoad partem taliter absumptum, naturam depositi mutet, & mutuum fiat. Quod ipsum colligitur ex *Lege certi conditio 9. §. ult. ff. de rebus creditis.*

24 Adverto secundò, quòd in contractu mutui Dominium rei mutuatæ à mutuante transferatur in mutuatarium ita tamen, ut hic tempore destinato, vel ad petitionem deponentis huic tantundem restituat his notatis.

25 Dico: licèt Thesaurarius noster ex omissa petitione solvendi debiti ad restitutionem Principi faciendam neutiquam esset obligatus, ad hanc tamen eundem teneri ex titulo mutui. Quod probatur, Thesaurarius usus fuit istis pecunijs depositis: ergo juxta dicta natura depositi quo ad partem alienatam transijt in mutuum: atqui mutuatarius tenetur tantum, quantum accepit, refundere: ergo etiam Thesaurarius. min. subsumpta constat ex definitione mutui, quod definitur, esse donatio rei pondere, numero, ac mensura constantis, facta eo animo, ut statim fiat accipientis, cum obligatione, ut alia ejusdem naturæ ac qualitatis reddatur.

Confirm. quælibèt res perit Domino suo: ergo etiam accepta ex depositо, & alienata pecunia, si perijt, perijt Domino suo: atqui Dominus illarum non erat Princeps sed Thesaurarius, cui à Principe fuerunt mutuatæ: ergo huic & non Principi perierunt: consequenter ab illo, & non à Principe ferenda erit jactura, ac Principi acceptum mutuum compensandum.

Confirm. secundò: à pari: si Princeps frumentum dedisset Thesaurario mutuum, & hoc ex casu fortuito, v. g. incendio apud Thesaurarium periisset, nihilominus ejusdem mensuræ ac bonitatis frumentum teneretur refundere Principi: ergo idem de pecunijs tenendum.

Quæret fortassis nonnullus, 26
num hæc ipsa refusio Principi facienda esset, si iste expresè consensisset in pecunias tertiò à Thesaurario mutuandas? R. Principem potuisse consentire, ut Thesaurarius nomine ipsius Principis daret tot millia florenorum mutua illi tertio, vel ut Thesaurarius det suo nomine pecunias ad Principem spectantes. Si prius factum, non tenebitur Thesaurarius ex titulo mutui, eò quòd illas non acceperit à Principe mutuas, sed ille tertius. in posteriore autem casu Princeps dedit illos mille florenos immediatè mutuos ipsi

The-

Thesaurario, ut hic dein gratificari alijs vel sibi eisdem prodesse posset emendo annuum censum à futuro mutuatario. In hoc autem supposito Thesaurarius tanquam mutuatarius ad restituendum à Principe acceptum mutuum in conscientia obligatus erit, habito tamen regressu ad hæredes defuncti Sempronij debitoris.

27 Dices fortassis Procopius Thesaurarius nesciebat, depositum ex usu depositarij converti in mutuum: ergo non contraxit obligationem ex mutuo provenientem, non enim hoc onus in se susceptisse præsumendus est. R. vel bona vel mala fide usus fuit depositō? si bona fide, & cum præsumpto Principis consensu, hoc ipso consensit in omnes conditiones, quibus suppositis duntaxat facultatem Princeps concessurus esset: atqui hæ conditiones erant, quas jura statuerunt: & istis etiam non latis Princeps tantùm consensisset, si periculum talis mutuatæ pecuniæ in se receperit Thesaurarius, qui volebat suo amico gratificari. igitur, sicut contrahens matrimonium, aut volens se obligare voto, in omnes obligationes ex his ordinariè resultantes confusè judicatur consentire, licèt harum aliquas ignoraverit, ita etiam utens bona fide depositō alterius consentit in obligationem ex tali actu provenientem. Quòd si autem malæ fidei Procopium accuses, eo ipso juxta dicta reparandum eidem hoc damnum erit.

Contra nostram num. 25. propositam conclusionem objicitur, quòd depositum in hoc casu non transierit in mutuum respectu ipsius Thesaurarij, eo quod iste non suo, sed nomine sui Principis depositas ab isto apud se pecunias Sempronio dederit mutuas has ergo à Sempronio, & non à Thesaurario Principi refundendas. Sed contra est, vel prudenter Thesaurarius potuit præsumere, suum Principem in hunc contractum etiam se ignaro & inconsulto (cùm tamen facillimè conveniri super hac re potuerit) celebratum consentire, vel non potuit hoc prudenter præsumere. Si non potuit hoc prudenter præsumere, & tamen nomine Principis celebravit; invito Domino pecunijs depositis fuit usus, consequenter commisit furtum contrectans rem alienam invito Domino vi Legis: *si saculum ff. depositi* si tueatur Thesaurarius, prudenter se præsumpsisse consensum sui Principis in hoc mutuum nomine Principis cum Sempronio celebratum; Respondemus, istum consensum sine fundamento gravi ac solido nequaquam potuisse præsumi, asserendum itaque hoc erit à Thesaurario: Nobis enim contrarium videtur probabilius præsertim, cùm Princeps à Thesaurario facillimè de hoc suo consensu potuisset, ac debuisset in-

terrogare: neque constat Principem ita affectum fuisse Sempronio suo subdito, ut ex suis pecunijs cum harum amittendarum periculo voluerit Sempronio succurrere, etiamsi hic Eidem non supplicaverit ratione hujus sibi conferendæ tam singularis gratiæ.

Nequaquam ergo, prudenter, atque ex rationabili fundamento præsumere de suo Principe Thesaurarius potuit, quòd Princeps usum hujus suæ depositæ pecuniæ concesserit, quin voluerit, ut ex hoc usu à ratione depositi transiret in mutuum ipsi Thesaurario à Principe concessum. Deinde, si prudenter Thesaurarius supposuit consensum Principis in has pecunias, ut mutuas Sempronio dandas ipsius Principis nomine, quare de celebrato hoc contractu suum Principem nunquam certiorem fecerat. Si enim Princeps etiam non requisitus, consensisse prudenter præsumebatur, certior de facto hoc factus approbâsset utique sui Thesaurarij acta. Secundò: quando postmodum res Sempronij adeò diminutæ fuerant, ut præsentissimum periculum totius sortis amittendæ adfuerit, cur de hoc suum Principem non admonuit?

Alij dicunt, contrahentes matrimonia, vel vota concipientes implicitè consentire duntaxat in illam obligationem, quæ matrimonio, & votis per se annexa sunt, non item in quasvis alias: ergo etiam noster Thesaurarius utendo depositio Principis consensit duntaxat in obligationem, quæ usui depositi per se annexa est: atqui prædicto usui non erat per se annexum, ut Thesaurarius depositum, antequam hoc traderet Sempronio, ipse mutuaret, ac sortis solvendæ obligationem in se reciperet: poterat enim contingere, ut Princeps Thesaurario daret facultatem mutuò dandi alteri illas pecunias, quin Thesaurarius in se susciperet obligationem, de qua agitur.

Sed contra hanc objectionem ita argumentor: depositioni rerum fungibilium per se annexa est obligatio, ut utens sibi eadem mutuet, & hinc obligationem mutuatarij in se recipiat, nisi constet, quòd deponens utentem depositarium hac obligatione liberet: ergo quamdiu non constat, quòd deponens utentem depositio, hac obligatione liberet, erit hæc depositarum fungibilium rerum usui semper, ac per se annexa. Prob. ant. illud est per se alicui actui annexum, quod eidem à Legibus annexum, & attributum fuit: atqui prædicta obligatio est usui depositi fungibilis ita annexa: ergo prædicta obligatio est per se annexa, nisi deponens eadem depositarium utentem liberet. Minor probatur ex citata *Lege certi conditio. 9. §. ultimo ff. de rebus creditis*, & citatis *num. 23.* pro hoc Authoribus, & communi aliorum,

rum. Ut igitur aliquis depositarius depositis apud se pecunijs uti, & illas tertio mutuas dare possit, quin contrahat obligationem per se usui depositarum fungibilium rerum annexam, debuit eidem constare, quòd deponens eundem ab ordinaria Legum dispositione in hoc puncto eximerit; nec sufficit, quòd deponens potuerit eundem eximere: cùm aliud sit potuisse eximere, atque aliud eximisse actu.

Confirm. ex eo, quòd Parochus potuerit alteri Sacerdoti dare facultatem excipiendi Confessiones suorum Parochianorum, malè infertur, quòd actu illam dederit: item ex eo, quòd Superior Religiosus suo subdito potuerit dare facultatem emendi aliquid, malè infertur, quòd illam etiam non requisitus dederit; & subditus licitè inconsulto suo Superiore rem talem emerit: ergo &c.

Dices. Subdito sufficere licentiam præsumptam: ergo etiam nostro Thesaurario ista suffecerat. *R.* dist. ant. licentia talis præsumpta Religioso sufficit, si hanc de non consulto prius Superiore (quod tamen facillimè poterit fieri) potest prudenter præsumere: conc. si hanc non potest prudenter in talibus circumstantijs præsumere: neg. ant. si Religiosus ab experientia habeat, quòd Superiores, etiam requisiti, ejusmodi licentiam suis subditis denegent, vel saltem non habeat experientiam, quòd illam licentiam, etiam non requisiti concedant, non potest ille prudenter præsumere, quòd etiam non requisiti sint consensuri.

Quod modo de Religiosis fuit dictum, totum quantum depositario nostro applicari potest. Debuit scilicet, & ipsi constare, quòd Princeps, aut alij depositarij communiter consentiant, ut pecuniæ suæ apud Thesaurarium suum (vel apud alium) depositæ, ab hoc cuicunque alij suorum subditorum, quos Thesaurarius amare consuevit, dentur mutuæ nomine Principis, ita ut istæ periculum amittendæ sortis subeat, cùm ergo pauciſſimos ex deponentibus invenire sit, qui depositarijs concedant licentiam, ut isti suas apud hos depositas pecunias alteri, cuicunque voluerint, nomine & cum periculo deponentium, etiam non requisitorum mutuas exponant; non potuit hic consensus de Principe præsumi; nisi constet de hoc in specie ab experientia, quòd ejusmodi facultatem suis depositarijs dederit, aut similes nomine suo celebratos contractus postea, ubi de illis erat certior factus, approbaverit: sed nihil ex istis pro se Thesaurarius noster afferre potest: ergo ex hoc titulo non erit deobligatus à refundendis Principi pecunijs, hoc inscio mutuò Sempronio datis.

CASUS XXVII.

De lucro ex permutatione alienæ pecuniæ ; atque ex alterius nomine emptis censibus reportato.

IGnatius, cum bonis Parochialis Ecclesiæ administrandis Præfectus fuisset, mille florenos ad censum nomine suæ Ecclesiæ cum debitis solennitatibus elocare decreverat: verùm priusquam actualem extraditionem memoratæ summæ faceret, sortem unius pecuniæ cum alia apud quendam Judæum permutat, reportato ex tali cambio plurium florenorum lucro. Idem cùm alterius cujusdam piæ fundationis Executorem ageret, tempore, quo ex mandato Regio valor unius floreni extrinsecè duplicatus esset, censum annuum quinquaginta florenorum quingentis ex ærario piæ fundationis desumptis florenis (qui tunc, uti diximus, conficiebant mille) nomine prædictæ fundationis comparat. Ubi autem post aliquod tempus v. g annum diminuto iterum valore singuli floreni 60. tantùm crucigeris denuò constiterant, in rationibus ad fundationem spectantibus mille florenos pro hoc annuo censu quinquaginta florenorum expensos fuisse annotat, reliquis quingentis florenis sibi, ut fructu quodam suæ industriæ attributis.

Q. 1. Num absolutè liceat sibi retinere lucrum, quod ex Cambio cum aliena pecunia facto relatum fuit?

Q. 2. Quid de hoc speciali casu sit tenendum?

Q. 3. Num in secundo casu quingentos reliquos florenos retinere sibi Præfectus possit?

§. I.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Num absolutè liceat retinere lucrum, quod ex cambio cum aliena pecunia facto relatum fuit?

1. Naturalium atque industrialium fructuum diversitas explicatur.
2. Res aliæ ex natura sua fructificant, aliæ non.
3. Quædam particulares præsentis casûs circumstantiæ.
4. Potest absolutè contingere, ut ex cambio cum aliena pecunia facto relatum lucrum fiat permutantis.
5. Solvitur objectio ex elocatione alieni equi petita.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Quid de hoc speciali casu sit tenendum?

6. Cum varia intentione hæc permutatio fieri potuit.
7. Lucrum hoc semel Ecclesiæ voluntariè donatum, denuò repeti non potest.
8. Aut si ex permutatione nomine Ecclesiæ facta huic aquisitum, & applicatum fuit.
9. In aliquo casu etiam poterit repeti.
10. Non prodest Præfecto, quòd sibi applicâsset lucrum, si servisset, hoc fieri posse.
11. Nisi actualiter ita tunc constitutus fuerit.
12. Nec fecit illud lucrum suum, licèt actu dixerit: facerem meum hoc lucrum, si scirem me hoc licitè posse.
13. Solvitur objectio.
14. Non debetur Ecclesiæ lucrum nomine illius non obtentum.
15. Aut ex permutatione indifferenter facta relatum.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Num in secundo casu quingentos reliquos florenos retinere sibi Præfectus possit?

16. *In varijs circumstantijs hujus censûs emptio potuit fieri.*
17. *Administrator non potuit residuos 500. florenos ex ærario piæ causæ depromptos sibi retinere.*
18. *Cùm augmentum valoris extrinseci ad piam causam spectaverit.*
19. *Et executor aut procurator, nomine sui clientis contrahens, lucrum retinere nequeat.*
20. *Uti patet in frumento vendito.*
21. *Et in casu, quo illa summa tunc fuisset furto subducta.*
22. *Pia fundatio haberet minus in suis bonis, quàm debeat habere.*
23. *Cùm præter jus ad censum ipsi competant 500. floreni.*
24. *Ad totam summam refundendam obligatur Præfectus fide mala si processerit.*
25. *Solvitur objectio ex mutuato frumento petita.*
26. *Quid sentiendum, si executor ex proprijs pecunijs hujus nomine comparaverit censum?*

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Num absolutè liceat, tali ex cambio alienæ pecuniæ reportatum lucrum sibi retinere?

1 SCiendum, fructus ex aliqua re perceptibiles, esse multiplices: alij dicuntur ipsius rei fructus, quando scilicet ab hac proveniunt, non obstante humana, quæ insuper accesserat, industria; sic fructus arborum, agrorum annumerantur fructibus rei, licèt culturâ hominum indigeant: alij autem fructus industriales vocantur, quales sunt quæstus ex negotiatione percepti: ut si rem aliquam vili pretio comparatam postea distraham majore.

Sciendum secundò alias res ex natura sua esse aptas ad fructus pro-

producendos, alias autem ex se ad hunc finem inutiles. Hujus posterioris generis censentur esse pecuniæ, quæ ex se ad fructum afferendum ab omnibus judicantur inhabiles & infæcundæ.

3 Sciendum tertiò, quòd hæc tota summa jam destinata fuerit, ut ad censum elocaretur, & illo certa annua pensio emeretur: neque plus pecuniæ debuit expendi, vel minor census annuus comparatus fuit ex eo, quòd sortis alterius moneta censuario persoluta fuerit.

4 Dico itaque lucrum, quod ex commutatione unius pecuniæ alienæ in aliam sortem aquisitum fuit, posse absolutè fieri ipsius permutantis, ita ut iste tuta conscientiâ illud pro se retinere possit, in quantum hoc lucrum potest esse merus fructus industrialis; & potuit fieri, ut ex hac commutatione nullum præjudicium Ecclesiæ evenerit. Ita sentiunt omnes illi, qui defendunt fructus merè industriales plenè, atque totaliter ad possessorem tum bonæ tum malæ fidei pertinere, ex quibus sunt D. Thomas *2. 2. q. 78. art. 3.* Scotus, Paludanus, Navarrus, Covarruvias Molina *Disp. 327. & Disp. 719. & 720.* Lessius *lib. 2. cap. 14. n. 8.* Laym. *lib. 3. summæ sect. 5. tract. 2. cap. 3. n. 3.* Rebellus *lib. 2 de Just. q 4. n. 6.* Palao *de Just. in genere Disp. unica pu. 24. §. 7. n. 7.*

Prob. 1. Ratione, si non posset istud lucrum retineri, ratio foret, quia est fructus rei, hoc est pecuniæ alienæ, & ex altera parte quælibet res fructificat Domino suo: atqui hoc est falsum; cùm pecunia non sit ex se frugifera, & hoc lucrum sit merè fructus industrialis: ergo &c.

Prob. 2. Molina *tom. 2. Disp. 402. n. 2.* Reginaldus, Lessius, Rebellus, & Salas *apud & cum* Lugone *Disp. 17. sect. 3. n. 49. de Just.* admittunt, famulum, cui Dominus dedit mille aureos, ut solvat ejus creditori, non curans, qua specie monetæ hæc solutio fiat, posse aureos illos commutare pro argento, quo solvat creditori, & retinere sibi lucrum, ex illius monetæ commutatione proveniens; & quidem quia hæc commutatio, & ex hac resultans lucrum rationem habet fructuum industrialium: cùm pecuniæ ex se sint infæcundæ.

Quòd autem nullum præjudicium ex hac commutatione Ecclesiæ accesserit, patet ex sciendo tertiò.

Conf. qui in suo granario asservatum ad alios spectans frumentum vendit, quando illius pretium est majus; & postmodum aliud in eadem bonitate, ac quantitate, minore tamen pretio comparat, satisfacit suæ obligationi, si frumentum ejusdem bonitatis & mensuræ expetenti postmodum Domino restituat, sibi lucrô

crô, quod ex venditione illius collegerat, retentô, licèt hæc restitutio fiat tempore diminuti valoris, si Dominus in illud tempus asservâsset. Ita Diana *part. 1. sparum resolutionum moralium tract. 8. de contract. Resolut. 32. citans pro hoc* Molinam, Reginaldum, Rebellum, Salas, Lessium, Azor *part. 3. lib. 2. cap. 4. q. 11.* Rationem affert, quòd talis servet suum Dominum indemnem, eò quòd tantundem æqualis bonitatis restituat, etiamsi lucrum ex divendito frumento reportatum retineat. Atqui simile quid contingit in nostro casu: ergo.

Conf. 2. Talis Præfectus antequam actu elocaverat prædictam summam, potuisset illam sortem cum alijs pecunijs propnjs permutare animo illam pro se retinendi: Et si post aliquod primùm tempus hoc lucrum ex tali permutatione feciſſet, non obligaretur ex justitia ad restitutionem: ergo neque in hoc casu. Quòd enim pecuniæ fuerint adhuc actu Ecclesiæ, nihil facit, eò quòd illæ ex se non fuerint fæcundæ, & nullum præjudicium exinde obvenerit Ecclesiæ.

Conf. 3. Communiter dicunt, quòd proxenetæ possint sibi retinere lucrum quod faciunt, quando rem vendendam v. g. Ingolstadij in alium, ubi majore pretio distrahitur, locum, aut civitatem suâ industriâ deportârunt, eámque ibi cariùs vendiderunt: modò enim Domino rei distractæ restituant summam, quam hîc v. g. Ingolstadij, potuissent comparare, obligationi suæ satisfeciſſe judicantur ergo &c.

Conf. 4. In hoc casu nulli facimus injuriam; non Ecclesiæ, quia hæc etiam desumpto illo lucro emit eundem censum quem emisset, si pecuniæ permutatio non interveniſſet: non ipsi censuario, cùm hic peritam & consuetam, aut lege taxatam summam recipiat, licèt in alia sorte monetæ.

Ob. ponamus quempiam apud me ad tempus reliquisse suum equum: me autem interea illum elocare alijs pro certo pretio: hæc elocatio est etiam fructus industrialis, ponitur enim Dominus non elocaturus fuisse suum equum; ergo possem etiam hoc lucrum tanquam fructum industriæ mihi retinere. R. neg paritatem. quòd enim hi fructus sint naturales, exinde probatur, quia equi ex natura sunt apti, ut elocentur; & consueverunt pro pretio elocari, insuper pro usu rei, & equi aliquid persolutum fuit: ergo fructificavit suo Domino, ex eo autem, quòd ego elocaverim equum, à Domino non elocandum, tantummodo infertur, me ad hoc lucrum contuliſſe tantum, quantum confert colens agrum alienum, quem suus Dominus reliquisset sterilem: talis autem culti agri fructus nihilominus

nus ad Dominum hujus spectant, aliud dicendum de locatione illarum rerum, quas elocare non consuevimus, uti sunt torques aurei, picturæ &c. quòd si cum Diana *primo tomo 2. parte tract. 3. miscellaneo : resolutione 50.* excuses talem à restitutione hujus lucri, reponimus : à Diana excusari talem ex eo, quòd Dominus equi : quia erat ditissimus, præsumebatur non expetere hoc, aliàs per se restituendum, sibi lucrum.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Quid de hoc speciali casu sit tenendum?

6 QUando commutatio unius sortis cum alia instituebatur, tunc vel actu scivit licitum esse reportatum ex hac permutatione lucrum sibi applicare, vel hoc nescivit? si nescivit tunc potuit nihilominus nomine proprio, mala tamen fide, commutationem istam instituere animo lucrum sibi applicandi : item potuit contingere, ut nequaquam nomine proprio, sed ut præfectus templi, & nomine atque authoritate Sancti, in cujus honorem promovendum illa summa erat postea in censum elocanda, commutationem instituerit animo lucrandi illum excessum Sancto, & in hujus honorem dedicato templo : ita tamen interpretativè vel etiam actualiter fuerit affectus, ut animo sibi lucrandi hæc permutaret, si sciviſſet, hæc sibi salva conscientia licere atque permissa esse.

Simili modo res potuit contigisse etiam, quando sciverat, hanc permutationem posse in suarum rerum augmentum instituì : vel enim permutavit unam sortem cum altera ut præfectus, & nomine templi : vel suo nomine, & ut persona privata. his præmissis.

Dico 1. Si optimè gnarus hujus licentiæ, nomine suo permutationem instituit : lucrum tamen, animo sibi applicandi obtentum, postea templo ultronea donatione remisit, non poterit ab isto illud denuo repetere, vel occultam compensationem facere. prob. in tali casu judicatur sciens, ac voluntariè tale lucrum illi Ecclesiæ donare ; & istud ab hac fuit acceptatum : ergo nullum amplius jus in illud donatum lucrum retinet : nec alius novus titulus prætendi potest, ex quo Ecclesia suo 7

isto sibi liberrimè donato lucro spoliari queat.

8 Dico 2. Multò minùs applicatum semel lucrum Ecclesiæ repetere poterit, si optimè gnarus hujus licentiæ, tamen ut Præfectus templi voluit permutare, & reportatum excessum templo proprium facere, & jam templo actu applicavit. Prob. si ut Præfectus templi, ac nomine Ecclesiæ, cujus Præfectum egerat, hanc permutationem fecit, & animo lucrandi excessum Ecclesiæ, tunc ista aquisivit, & non ipse Præfectus jus & dominium in illud lucrum. Sed hoc modo non potest repetere, aut occulta compensatione intuitu illius uti: ergo &c. Prob. Maj. si tutor, curator, aut procurator, nomine alterius scilicet sui pupilli &c. Contractum celebrat, commodum & incommodum exinde relatum redundat in illum, cujus nomine celebratus fuit contractus, nisi constet, quòd aliquod lucrum præcisè in gratiam contrahentis nomine alterius, non autem in istius favorem concessum fuerit: ergo &c. Conf. 1. Talis intentio contrahendi animo lucrandi excessum Ecclesiæ, fuit actualis donatio illius excessûs Ecclesiæ facta, & ab hac acceptata: ergo non potest denuò sine omni causa pro libitu revocari. Conf. 2. Ut Præfectus acquireret dominium hujus lucri, debuit habuisse animum hoc lucrum faciendi suum: atqui non habuit: prob. min. habuit animum illud accipiendi nomine Ecclesiæ, & ut proprium templi futurum: ergo &c.

9 Dico 3. Si Præfectus templi ex conscientia erronea judicans, non licitam sibi esse applicationem lucri ex tali permutatione reportandi; nihilominus mala fide suo tamen nomine, hanc permutationem celebravit, animo retinendi pro se fructum istum: postea verò pœnitentiâ commissi suô judiciô peccati, & injustitiæ ductus; aut cujusdam confessarij jussu compulsus, talem excessum templo consignavit, poterit iste à prædicto Præfecto post agnitum suum errorem repeti, aut, si cæteræ conditiones requisitæ adsint, occultè compensari.

Prob. concl. Præfectus vi contractûs, & cambij hujus minuti verum aquisivit dominium in istum excessum & lucrum, non obstante illius mala fide; nec hoc dominium transtulit in Ecclesiam in dato casu: ergo potest illud lucrum repetere. Prob. antecedentis primum membrum: ille contractus non obstante mala fide fuit validus: ergo &c. Antecedens probatur negativè: ex nullo etenim capite ostendi potest contractûs hujus nullitas aut irritatio: cùm Judæus & Præfectus habuerint, & potuerint hoc cambium minutum instituere, & consequenter transferre ab uno dominium in alterum.

Sed

Sed neque amisit Præfectus dominium in hoc lucrum, quando illud templo ut proprium consignavit: quod prob. in hanc donationem, vel translationem consenserat Præfectus ex quodam errore substantiali: ergo: consequentia constat, nam consensus in contractum ex errore circa substantiam præstitus habetur pro nullo: vi *legis 15. ff. de Jurisdictione: leg. 11. & 41 ff. de contrab. Emptione. item leg. 9. Cod. de juris & facti ignorantia.*

Prob. itaque antecedens: tunc datur error substantialis in consensu, quando erratur circa motivum illius principale: atqui in hoc casu erratum fuerat circa motivum principale consensûs: Major constat: si enim volo donare Petro mille florenos solùm ideo, quia est meus consanguineus; & hæc consanguinitas inter nos non datur, tunc utique nulla est donatio ob errorem circa motivum principale: ergo. Probatur itaque minor. motivum principale compellens Præfectum, ut hoc lucrum cederet Ecclesiæ ac templo, erat obligatio, qua falso judicabat se obstrictum ad hoc lucrum concedendum Ecclesiæ, eò quòd ipse ad illud non haberet ullum jus: sed circa hoc motivum Præfectus errabat, cùm illud lucrum suum fuerit: ergo &c.

10 Dico 4. Si Præfectus ex erronea conscientia judicans, illicitum esse, applicare sibi lucrum ex tali cambio factum, nomine Ecclesiæ, & animo huic lucrandi pecunias permutavit; & excessum Ecclesiæ jam applicavit, non poterit illas postea repetere, licèt antea ita interpretativè constitutus fuerit, ut si sciviſſet, posse à se retinere lucrum, ille suo nomine contrahens, sibi feciſſet lucrum: prob. si fuit tantùm interpretativè taliter constitutus, tunc nihil omnino cogitavit de excessu sibi absolutè applicando, sed tantùm de hoc cogitâſſet, & hoc feciſſet, si ista resciviſſet: ergo cùm conditio non fuerit impleta, absolutè non voluit illum fructum sibi applicare; sed soli Ecclesiæ, cujus nomine contraxit animo illi lucrandi.

Dico 5. Si nomine quidem Ecclesiæ, & ut huic fructum cambij lucraretur, ex erronea conscientia permotus permutaverit; & postea lucrum Ecclesiæ dederit; actu tamen ita constitutus fuerit, ut si reipsa foret licitum, excessum sibi lucrari, ac sibi hunc applicare vellet, & non Ecclesiæ; tunc verè sibimetipsi lucratus fuerat, atque ex tali erronea conscientia dans lucrum Ecclesiæ, denuò istud ab hac repetere poterit. Ratio prima est: quòd habuerit intentiones contrarias, & magis appretiaverit voluntatem applicandi lucrum sibi, quàm Ecclesiæ, si posset: ergo, cùm reipsa potuerit, voluit sibi applicare. 11

Prob. 2. Præfectus habuit conditionatam voluntatem applicandi lucrum duntaxat Ecclesiæ, si sibi non posset, insuper habuit etiam voluntatem applicandi sibi, casu quo posset: ergo cùm potuerit sibi lucrum applicare, impleta fuit conditio, sub qua voluit non Ecclesiæ, sed sibi lucrum applicare.

12 Dico 6. Non idem tenendum erit: si dixisset Præfectus: *si scirem, quòd mihi possem applicare, non darem Ecclesiæ.* Prob. in hoc casu, conditio, sub qua sibi voluerat applicare lucrum, erit scientia & cognitio hujus licentiæ: ergo cùm hæc non adfuerit, impleta non fuerat conditio, sub qua tantùm volebat sibi lucrari; dixerat enim, si scirem, hoc mihi fore licitum, tunc facerem, sed non fuit verum, quòd sciverit, eò quòd ignoraverit: ergo &c.

13 Dices, ex dictis sequi, quòd Præfectus in nullo casu tale lucrum sibi appropiare posset. Prob. semper permutatio ista fit nomine Ecclesiæ: illius enim nomine fit, ad quem spectant pecuniæ, quæ permutantur. R. 1. etiam aliena pecunia emi posse res aliquas, quin nomine illius, ad quem spectant pecuniæ, fiat emptio: ergo etiam permutatio. R. 2. dist. ant. fit nomine Ecclesiæ qua talis, nego. Fit ex pecunijs Ecclesiæ, non tamen animo aquirendi lucrum ipsi Ecclesiæ, sed sibi: conc. ant. & neg. cons.

Præfectus videt, quòd posset hanc ipsam sortem pecuniæ, vel aliam in valore non inferiorem, mutuatario dare: item quòd mutuatario, & Ecclesiæ nihil decedat, sive mille florenos in hac sorte, sive in alia persolvat; scit insuper, Ecclesiam nequaquam velle, ut hanc determinatam pecuniæ sortem in comparationem censûs expendat: ergo potest supponere, quòd Ecclesia non ægrè ferat, si utens hac industria unam sortem permutet cum altera, & lucrum inde obtentum sibi reservet.

14 Nec dicas, licèt Ecclesia eosdem annuos census percipiat, sive hac sorte, sive alia ematur jus istud: decedit tamen illi aliquid, si careat lucro ex permutatione obtento. R. dist. decedit hoc lucrum, ut tamen ad hoc nullum jus prætendere possit, eò quòd sit fructus industriæ, conc. ut hoc possit prætendere: negatur: talem fructum industrialem judicaretur etiam habere, si pecunias istas in alium locum, ubi valor extrinsecus hujus sortis est major, detulisset.

15 Ultimum adhuc restat dubium, quid scilicet Præfecto liceat, si lucrum Ecclesiæ necdum attribuerit; ex altera verò parte ita permutaverit pecunias, ut nullam reflexionem fecerit ad hoc, utrum nomine Ecclesiæ, vel animo sibi aquirendi lucrum, unam sortem permutet cum alia; consequenter

ab hoc omnino præscindens prorsus indifferens ad utrumque actu extiterit. ℣. nobis videri, quòd lucrum retinere sibi possit, in tali etenim casu nullum adhuc jus ad illud Ecclesia obtinuit, cùm non sit res illius, nec fructus ex re illius resultans: ex opposito Præfectus in lucrum illud tanquam suæ industriæ fructum jus quoddam retinet: quòd etiamsi forsitan non intenderit, quia animo indifferenti permutationem instituit; apprehendere tamen illud lucrum ut suum modò potest ex titulo boni derelicti, quod est primò occupantis, pro derelicto autem haberi potest, quia Judæus permutans deposuit animum illud ulterius habendi ut suum.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An quingentos florenos, de quibus in secundo casu, retinere Præfectus possit?

16 EMptio hujus annui censûs potuit fieri nomine proprio à Præfecto, ita ut pro se illum comparaverit, pecunijs tamen ex fundatione pia mutuò ad hoc acceptis: aut, uti etiam factum ponitur, celebrari contractus iste potuit, nomine ipsius fundationis, ita ut hæc periculum & commodum ex emptione hac proventia, subire debuerit.

Insuper potuit à talibus personis fuisse emptus 50. florenorum annuus census, de quibus prudenter prævidebatur, quòd impares solvendo sint futuræ, consequenter fundatio manifestum periculum subiverit faciendi jacturam hujus pecuniæ: aut potuerunt tempore actualis contractûs censuarij ob sua, quæ tunc actu possidebant, bona, omnem metum, qui tam circa securitatem capitalis summæ, quàm circa solutionem annui censûs concipi prudenter aliàs poterat, ademisse.

Tertiò potuit Præfectus optimè prævidisse hoc periculum; emisse tamen hunc censum nomine causæ piæ, ut scilicet sibimetipsi applicando dimidiam summam, quam pro se retinuisse ponitur, exinde res suas meliores faceret, atque tali ratione ditesceret, item potuit Præfectus solus habuisse adæquatam administrationem causæ piæ, vel cum illo alij coadministratores: quibus conscijs atque consentientibus, vel omnino ignorantibus & ab-

sentibus, memoratus contractus celebratus fuerat. his præmissis.

17 Dico 1. Si Præfectus tempore, quo duplicatus valor monetæ fuerat, quingentis tantumodo florenis ad piam causam spectantibus (qui tamen tunc mille conficiebant) nomine piæ causæ censum annuum quinquaginta florenorum comparaverat; non poterat ille postmodum, quando diminuto valore singuli floreni 60. tantumodo crucigeris iterum constabant, ex eadem fundatione pia alios adhuc quingentos florenos accipere, sibique tanquam fructum industriæ retinere, nec rationibus piæ causæ inscribere potuit quod mille florenis, è quibus singuli constabant 60. crucigeris, illum censum comparaverit.

Prob. universim in illa Provincia tunc temporis florenus habebat ex voluntate Regis valorem duorum florenorum, & in hoc valore ab omnibus subditis accipiebatur & distrahebatur: ergo nulla singularis industria fuit à Præfecto adhibita, quòd in valore currente pecunias fundationis expenderit. prob. conf. neque singularis industria elucet ex eo, quod currente pretio: neque ex eo, quod tempore aucti valoris censum comparaverit. ergo &c. prob. ant. quoad primum membrum. omnes debebant currente valore à Rege constituto pecunias distrahere, nec poterant minuere vel augere currentem valorem: ergo ex hoc nulla singularis industria elucet: sed neque ex eo, quòd tempore aucti valoris distraxerit. vel enim fundatio pia aliquod commodum & lucrum exinde reportat; eò quòd census certò solvantur, vel prævisum fuerat periculum non solvendorum censuum? si hoc ultimum, non tantùm nullam pro hoc tanquam bene gesto negotio compensationem fuit promeritus, sed maximo vituperiò dignum se reddidit, eò quòd fundationem piam manifesto periculo amittendi bona sua exposuerit, & in illis scienter damnificaverit. Si ad censum certò annuatim solvendum capitale fuit elocatum; præstitit id, quod vi sui officij præstare debuit, cùm administrator causæ piæ, promovere hujus commoda modo, quo potest, meliore teneatur, nec facilè aliquis concesserit, executoribus semper aliquam compensationem ultra consuetum solarium deberi, quando in bonum suæ fundationis censum aliquem hujus pecunijs coëmerunt.

Dein compensatio debet esse proportionata obsequijs præstitis. quis autem non clarè videt, summam longe majorem esse labore in gratiam causæ piæ susceptо?

Conf. quando pecuniæ ex loco, ubi minorem valorem habent, transferuntur sine jussu veri Domini in alium, in quo auctus illo-

illorum valor ſcitur ; tunc relatum ex tali deportatione lucrum habetur pro fructu induſtriali : in poſito autem caſu pecuniæ alienæ in loco ordinario & valore conſueto fuerunt diſtractæ ; ergo nulla apparet ſingularis induſtria interveniſſe , ut lucrum exinde factum tanquam fructum ſuæ induſtriæ retinere poſſet Præfectus, nomine piæ cauſæ contrahens.

18 Prob. 2. Majoris illius valoris augmentum verè ſpectaverat ad piam cauſam & fundationem : ergo ſi ex hoc exceſſu reſiduo aliquod lucrum & commodum fuerat relatum , etiam hoc ſpectabat ad Dominum , ſcilicet ad cauſam piam. ant. conſtat , quia illa ſumma ut habens valorem illum majorem extrinſecum erat cauſæ piæ : ergo.

19 Prob. 3. Qui ut procurator ad alterius res & commoda promovenda conſtitutus fuit , & ſub hujus nomine contractum celebrat , lucrum ex hoc relatum non poteſt ſibi retinere , ſed illi relinquere , cujus nomine contrahit : atqui iſte fuit adminiſtrator , & ut talis ſeu nomine cauſæ piæ contraxit : ergo lucrum debet relinquere piæ cauſæ.

Conſ. qui ſubit periculum damni atque incommodi , etiam particeps debet eſſe lucrorum & commodorum : atqui cauſa pia vel maximè ſubit in hoc cenſuali contractu incommodo & periculum perdendi totum capitale : ergo debet etiam percipere lucrum, ex aucto valore extrinſeco ſibi proveniens.

Prob. 4. Si cauſa pia habuiſſet 20
frumentum , & hoc adminiſtrator iſte nomine cauſæ piæ vendidiſſet , quando illius bonitas extrinſecè ob caritatem tritici multùm aucta fuerat , licèt poſtea diminutus denuo frumenti valor fuiſſet , adminiſtrator iſte debuiſſet cauſæ piæ reſtituere totum pretium ex diſtractione frumenti comparatum : neque ſatisfaceret, ſi , diminuto denuo valore frumenti extrinſeco , reſtitueret pretium hoc diminutum , & exceſſum pro ſe retineret , atque hoc propterea ; quia ſcilicet frumentum habens majorem illum valorem extrinſecum ſpectabat ad piam cauſam : ergo cùm etiam major valor florenorum ſpectaverit ad eandem cauſam piam , cùm emptus nomine piæ cauſæ cenſus fuiſſet , etiam totum lucrum , quod inde reportatum fuerat , ad eandem ſpectabit.

Pob. 5. Si tempore valoris au- 21
cti mille floreni in ſpecie furto ſubducti piæ cauſæ fuiſſent , diminuto autem poſtea denuo valore extrinſeco reſtitutio ſummæ oblatæ fieret , nequaquam piæ cauſæ ſatisfieret , ſi mille floreni in ſpecie , vel in valore redderentur , eò quòd non mille , ſed duo millia fuerint antea ablata , & ſumma poſtmodum reddita

non

non sit æqualis ablatæ : ergo &c.

22 Conf. si administrator, seu Executor fundationis piæ pro se retinet dimidiam partem pecuniæ ex fundatione pia post diminutum pecuniæ valorem acceptæ ; tunc pia causa minus habet in suis bonis, quàm quòd deberet habere : ergo non servabitur æqualitas, quam tamen intendit justitia prob. cùm causa pia in emptionem hujus censûs ob auctum extrinsecum valorem pecuniæ tantùm expenderit quingentos florenos, hinc duntaxat horum quingentorum florenorum defectum retentis cæteris pecunijs, deberet pati, sed hoc non fieret : prob. min. præter hos 500. florenos etiam privaretur alijs quingentis, quos administrator sibi ut fructum suæ industriæ accepit : ponitur enim iste in rationibus annotâsse, se 1000. numero florenos in diminuto valore ad emptionem censûs expendisse, cùm tamen reipsa duntaxat quingentos expenderit, cæteros autem 500. sibi reservare decreverit.

Conf. 2. Venditor censûs non remisit vel gratuitò donavit Præfecto dimidiam partem mille florenorum in specie, seu quingentos florenos, quos sibi Præfectus attribuere meditatur : ergo nullo ex titulo poterit eandem retinere.

Conf. 3. Si valor pecuniarum tempore comparati censûs fuisset ordinariô & consuetô minor, tunc quod ad mille florenos conficiendos adhuc deerat, debuisset fundatio pia supplere : ergo etiam excessum ultra 500. florenos extantem lucrabitur.

Dicent Adversarij. si Præfectus 23 tunc temporis censum illum non comparâsset, pecuniæ in arca fundationis piæ asservatæ fuissent usque ad illud tempus, quo iterum valor extrinsecus diminutus fuerat ; ergo pia fundatio nullum damnum patitur ex eo, quod Præfectus residuam summam sibi attribuerit, prob. conf. hac ratione non habet minus in suis bonis, quàm quod deberet habere & haberet, si hæc emptio omissa fuisset : defacto enim loco mille florenorum, è quibus quingentos in comparationem annui censûs 50. florenorum impendit, reliquos autem quingentos Præfectus sibi reservavit, retinet capitale 1000. florenorum elocatum apud alium : omissa verò emptione etiam hos mille & non plures possideret. ergo cùm nihil debeat restituti, ubi nullum damnum læsus patitur : etiam piæ causæ nihil erit restituendum.

R. trans. ant. neg. conf. in prob. dist. ant. hac ratione, hoc est, si emptio nulla intercessisset, non haberet minus, quam modo etiam post factam emptionem debeat habere : neg. ant. non habet minus,

nus, quàm quod haberet, si emptio nulla interveniſſet : conc. ant. & neg. conſ. ſi omiſsâ emptione cenſûs, aſſervatæ in ærario pecuniæ valor fuiſſet denuo diminutus, utique non haberet majorem ſummam : verùm, cùm tempore valoris aucti, & factæ emptionis plus valuerint expenſæ, & ablatæ pecuniæ, inſuper ad has, unâ cum valore ſuo aucto conſideratas, quoddam jus pia fundatio habuerit, ſi eas modò non ampliùs habeat, minus, quàm quod deberet habere, poſſidet, Nam fundatio debet per ſe adhuc habere illa, quæ ipſi debebantur tempore comparati cenſûs, ſed tunc præter emptum cenſum debebantur reſidui 500 floreni : ergo etiam iſti adhuc ei debentur : ſi itaque hos non ampliùs poſſideat, minus habet illo, quod debet habere. min. prob. ad emendum hunc cenſum ſufficiebant quingenti floreni : ergo præter capitale adhuc debebat habere 500.

24 Dico 2. Si Præfectus à depauperatis, & ſolvendo cenſui inſufficientibus perſonis ſcienter hunc cenſum emerit, tantùm ut ipſe ratione aucti valoris aliquod lucrum ex retinenda dimidia ſumma auctæ quoad extrinſecum valorem pecuniæ faceret, ad totam ſummam mille florenorum fundationi piæ refundendam in defectum cenſuariorum obligatus erit. Ratio eſt, quòd ſcienter in hoc damnificaverit fundationem piam, exponendo illam manifeſto, & probabiliſſimo periculo amittendi prædictam ſummam : ergo in defectum cenſuariorum manebit fundationi piæ obligatus, præſertim ſi nec conſcijs, nec conſentientibus ſuis coadminiſtratoribus hæc attentaverat.

Ob. ſi Præfectus frumentum ad 25
piam fundationem ſpectans tempore, quo creverat illius valor, vendidiſſet, & poſtea aliud ejuſdem bonitatis minore tamen pretio comparâſſet, ſatisfaceret piæ fundationi, ſi hoc pro altero redderet, ſaltem caſu, quo pia fundatio, durante majore valore frumentum non diſtraxiſſet : ergo idem etiam de hoc caſu tenendum erit. R. diſparitatem eſſe, quòd in caſu diſtracti frumenti mutuum cum pia fundatione celebratum fuiſſet in re fungibili : mutuatarius autem ſatisfacit, ſi res fungibiles ejuſdem valoris, & menſuræ reſtituat, caſu quo nullum damnum exinde mutuanti acceſſerit, quod non interceſſiſſe in caſu ponitur : aliter diſcurrendum de emptione nomine alterius facta ; reſidua etenim pecunia adhuc ſub dominio piæ cauſæ remanſerat. Ergo illam ſibi non potuit adjudicare executor ſeu Præfectus.

Suppoſuimus hactenus, pecu 26
nijs ex ærario fundationis piæ deſumptis hunc cenſum comparatum

tum fuisse : restat aliud dubium; fit enim, quòd ærarium fundationis piæ apud se habuerit executor ; potuit tamen ille pecunias fundationis reliquisse intactas, atque interim ex proprijs, fundationi quasi mutuò datis, pecunijs comparâsse illum censum : quòd si dein sibimet ipsi solutionem hujus mutui primùm fecerit ex pecunijs fundationis, tempore diminuti denuò valoris ; justéve processit, si mille florenos loco quingentorum à se priùs expensorum acceperit?

Certum inprimis videtur illicitum hoc fuisse, si malitiosè processerat, & loco pecuniæ, quam ex ærario apud se habito accipere potuerat, ex suis solutionem fecerat, ut hoc lucrum suo tempore referret ; quia præviderat augmentum valoris extrinseci certò iterum diminutum iri. nec omne fundamentum suspicandi talia videtur abesse : cur enim illum censum non emerat nomine proprio, si suis pecunijs interea solutionem nomine fundationis fecerat : nimirum agnoverat optimè magnitudinem periculi, quod hac emptione incurrebatur ; cùm sciret mutuatarios cum egestate non modica luctantes futuros solvendis censibus impares : ne itaque jacturam suæ pecuniæ faceret, nomine fundationis volebat contrahere.

Secundò cùm ille major valor extrinsecus unum circiter annum, vel dimidium duraverit, cur interea solutionem mutui sibi facere omiserat?

Cæterum suppositò, quòd nulla fraus, nullus dolus interceserit, videtur res ista decidenda ex principijs, quæ in materia mutui sunt observanda : hæ cùm inveniri possint in casu de usu depositi, ad illum remittere benevolum Lectorem voluimus. Interea certum nobis videtur, si administrator hujus causæ piæ, non ipse emptor fuisset ; illum neutiquam concessurum fuisse, ut retentis pecunijs fundationis, interea ab alio acciperetur mutuum tempore, quo valor extrinsecus fuerat auctus, cum non improbabili periculo, ne suo tempore mille floreni pro acceptis sine ulla necessitate, aut commodo alienis quingentis florenis mutuanti sint persolvendi : quin imò quilibet fidelis executor laborâsset, ut etiam ex necessitate acceptum tale mutuum expungeretur durante adhuc majore isto valore extrinseco. hic ipse etiam Præfectus, ac executor, si proprias pecunias ad manus non habuisset, nequaquam ab alio accepisset mutuum relinquendo intactas pecunias fundationi proprias : multò minùs, si nomine proprio hunc censum pro se comparâsset, ita processisset, quando ipse sufficientibus ad coëmendos hos census instructus fuisset ; neque etiam permisisset, ut suorum bonorum administrator, quem ali-

bi

bi habebat, censum hunc nomine ipsius emeret, mutuatis ad finem istum in tali circumstantia pecunijs, cùm tamen sufficientes ipsus habuerit divitias: negari itaque non poterit, imprudentiam non modicam in tali casu commissam fuisse, si non omnino fraudulenter omnia fuerint acta, ut quid enim simili modo non processerat in istis cum fundatione, cujus curam in se susceperat? cùm igitur hæc omnia imprudentiæ, aut injuriæ Præfecti adscribenda videantur; hic etiam nullum damnum patiatur, licèt solummodo tot florenos, quot in emptionem censûs expenderat, quingentos scilicèt, ex pia fundatione accipiat; non apparet, ex quo titulo fundatio pia negligentiam, aut malitiam sui Præfecti, vel executoris cum hujus commodo; suarum autem facultatum jactura & detrimento, luere possit, aut debeat.

CASUS XXVIII.

De Taxatione mercedis molitoribus solvendæ.

IN civitate aliqua molitores à Magistratu vi, & metu adacti sunt ad jurandum, quod deinceps pro rata molendi velint accipere tantùm dimidiam partem ejus mensuræ, quam antea accepêre more aliarum civitatum, & regionum.

Q. 1. An, & quomodo Magistratus pro suis subditis certam mercedem taxare possit?

Q. 2. An potuerit Magistratus vi & metu compellere molitores ad hoc juramentum.

Q. 3. An hoc juramentum cum injuria extortum in conscientia obliget?

Q. 4. An valeat, licèt metu sit extortum?

Q. 5. An censeri possit à Magistratu relaxatum, quia iste succedentes molitores ad nullum juramentum ulterius obligat?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An & quomodo Magistratus pro suis subditis certam mercedem taxare possit?

1. *Potest Magistratus taxare mercedem laborantibus in sui commodum persolvendam.*
2. *Ita ut ejusmodi statutum, si justum sit, obliget in conscientia ex justitia.*
3. *Hinc contra justitiam peccabit, qui vulgarem mercedem accipit, casu quo justo statuto taxata merces sit vulgari inferior.*
4. *Quod etiam procedit, licèt merces taxata sit minor vulgari infimâ.*
5. *Possunt absolutè adesse tales circumstantiæ, in quibus talis lex sit justa.*
6. *Ordinariè tamen ac regulariter statutum ita diminuens mercedem ferri non potest.*
7. *Hinc pro injusta erit habenda, quando non manifestè patet necessitas reipublicæ.*
8. *Quæ cùm in dato casu non appareat, lex ista habenda pro injusta.*

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum?

An Magistratus potuerit vi ac metu compellere molitores ad hoc juramentum.

9. *Non potuerunt ad illam compelli, si lex fuerat injusta.*

§. III.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An hoc juramentum cum injuria extortum molitores in conscientia obliget?

10. Responsio est affirmativa.
11. Non obstante textu Can. juram. 22. q 5.
12. Aut quod accessorium sequatur principale.
13. Si causa, ob quam corruit principale, non concurrat ad accessorium, hoc etiam illo corruente non corruit.
14. Ex eo quod solvens possit solutum repetere, malè infertur, quod etiam ope exceptionis à solutione immunis existat.
15. Nec obest, quod dolo petat, quî statim restituere debet.
16. Respondetur Legi Julianus *ff.* de condictione indebiti.
17. Quandonam indebitum scienter solutum repeti possit.
18. Ad solam solutionem ex juramento se obligans ab hoc liberatur, licèt solutum postea repetiverit.
19. Solutio usuræ non est actus illicitus.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

An Juramentum metu extortum valeat?

20. Juramenta metu injusto extorta, si sint de re licita, valent.
21. Jure naturali.
22. Et divino.
23. Uti etiam canonico.
24. Cùm in materia spirituali, qualis est juramentum, canonicum præferatur juri civili, ideo circa valorem talis juramenti standum erit decisioni Canonum.
25. Valet tale juramentum etiam in contractibus jure reprobatis, qui absque dispendio æternæ salutis observari possunt.
26. Hinc non obest dispositio Authenticæ Sacramenta puberum.
27. Aut capitulum cùm contingat de jurejurando.
28. In quibus dolus & metus in materia juramentorum æquiparentur.

29. *Vota metu extorta licèt non valeant, subsistent tamen ex metu facta juramenta.*

30. *Respondetur objectioni ex cap.* pervenit, de jurejurando.

§. V.

Resolvitur quintum Quæsitum?

An hoc Juramentum censeri possit à Magistratu relaxatum; quia iste hoc Juramentum à succedentibus molitoribus non amplius exigit?

31. *Magistratus secularis non potest propriè Relaxare juramenta.*

32. *Subinde tamen nomine partis illud poterit Remittere.*

33. *Unde Magistratus iste absolutè potuit vel nomine communitatis vel proprio hanc obligationem molitoribus remittere.*

34. *Et prudenter etiam remissse actu præsumitur quia succedentes de novo molitores non amplius ad juramentum hoc obligat.*

35. *Hæc remissio exteriùs sufficienter manifestatur, quia succedentes molitores ad juramentum ulterius non obligantur.*

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An & quomodo Magistratus taxare Subditis mercedem possit?

ANtequam concludamus, an Magistratus potuerit vi ac metu compellere molitores, ut juramento promittant, quod deinceps pro taxa molendi velint accipere duntaxat dimidiam partem ejus mensuræ, quam antea accepêre more etiam aliarum civitatum & regionum, priùs examinandum, num Magistratui competat facultàs taxandi certam mercedem in compensationem laborum, quos in molendo frumento molitores subeunt.

Dico 1. Competit absolutè Magistratui, ut talem certam mercedem lege vel statuto taxet, quæ consideratis circumstantijs judicatur esse compensativa laboris. Probatur conclusio 1. praxi, & con-

consuetudine communi. vi cujus pro diurno labore, quem conducti v. g. ad metendum triticum, invehendum fœnum &c. impendunt, determinatum fuit certum salarium diurnum. Item pro nuntijs, pro conductione equorum &c. Probatur 2. ad Magistratum non minùs pertinet providere, ut non nimia merces exigatur à locationibus suam operam in officijs ad bonum subditorum impensam, ac illius est providere, ut merces justo & æquabili pretio distrahantur: ergo sicut lege taxare potest pretia rerum, ita etiam taxare potest mercedem.

Probatur 3. Contractus, quem cum Molitoribus in ordine ad molendum frumentum inimus, si non propriè sit locatio vel conductio, eò quòd nullum in illo pretium sed merces tantùm aliqua intercedat, est tamen ille teste Laymano *lib. 3. de Justitia tract. 4. cap. 22. n. 1.* locationi non absimilis, & hinc dispositum de uno censetur etiam dispositum de altero. juxta DD. in *Legem 1. §. si quis servum: ff. depositi.* ergo sicut in locatione certum pretium Lege taxari potest, ita etiam poterit in hoc molitoris contractu.

Probatur 4. Magistratus potest melius & indifferentius perpendere omnes circumstantias, à quibus præsens valor & æstimatio laboris pendet, quàm ipsimet molitores, quos propria avaritia & cupido diteſcendi excæcat: ergo &c.

Dico 2. Talem certum pretium determinantem legem, si justa sit, obligare etiam in conscientia, ita ut illam violantes peccent contra justitiam. Probatur: talis Lex habet rationem cujusdam sententiæ, quam pensatis omnibus circumstantijs in gratiam afferentium ad molendinum frumentum Magistratus tulit ac statuit: ergo instar ejusmodi sententiæ obligabit in conscientia. 2

Probatur 2. Ob justas causas & bonum commune potest Magistratus dominia rerum ab uno subditorum transferre in alterum, si Reipublicæ felicitas hoc exigat, uti cernimus contingere in præscriptione: ergo potest molitoribus jus adimere exigendi & accipiendi majorem mercedem, etsi alioquin naturaliter justam.

Dico 3. Quando merces legitima, id est justa lege taxata, est minor mercede vulgari hoc est illa, quæ ante latum statutum ex consuetudine solvi erat solita, non licet molitoribus exigere majorem vulgarem mercedem, sed contra justitiam peccabitur, si à mercede taxata discedatur, licèt pretium vulgare observetur. Ita uterque Medina, Bannes, Salon, Arragon, Sotus, Covarruv. Rebellus *p. 2. lib. 9. q. 2. sect. 1.* Lessius *lib. 2. de Just. c. 21. dubit. 2. n. 14.* Salas *tract. de emptione* 3

dub.

dub. 16. n. 2. Navarr. *Valentia &c.* Probatur, juxta priùs dicta potest Magistratus taxare mercedem laborum, & sua lege taxante obligare subditos in conscientia ad servandam statutam mercedem: atqui ista intendit, si certam mercedem statuat; quia vult hanc & non aliam mercedem esse justam, excessum autem injustum: ergo &c.

4 Dico 4. Etiamsi merces à Republica per legem justam decreta sit inferior mercede vulgari & ordinariæ etiam infima, ita ut hanc non attingat, eandem tamen non autem majorem ac vulgarem infimam à molitoribus posse exigi. Probatur. si tale statutum justum est, etiam merces illo taxata erit justa: ergo merces vulgaris, quæ ante hanc legem erat justa, desijt esse justa, consequenter non amplius poterit exigi.

Confirmatur. si lex justa adimit privatis jus ad mercedem, quod independenter à lege ad istam haberent, non amplius possunt illam mercedem exigere; sed hoc ponimus fieri: ergo &c.

5 Dico 5. Absolutè possunt tales circumstantiæ dari, ut lex taxans mercedem, quæ non attingit vulgarem infimam, tamen justa sit, & obligans ex justitia subditos. Ita Abbas, Bartolus, Alex. Tiraquell. & communis D. D. apud Salas *tract. de emptione dub. 6. n. 4.* Rebellus *p. 2. lib. 9. q. 2. n. 6.* Lugo *disp. 26. de Just. n. 59.*

Probatur ratione. Possunt adesse tales circumstantiæ, ut gravissima Reipublicæ necessitas exigat, ut res & labores ad vitam necessarij taxentur mercede, quæ sit inferior mercede vulgari infima; sed in hoc casu erit talis lex justa: ergo &c. Prob. min. bono communi, & publico debent cedere commoda privatorum: ergo si boni publici necessitas hoc exigat, lex talis erit justa.

Dico 6. Ejusmodi diminutio- 6
nem mercedis, quæ sit inferior mercede communi, & vulgari ordinariè, ac regulariter fieri non posse. Ita Molina *tract. 2. de Justitia disp. 364. n. 3. & disp. 365. à n. 2.* Gibalin. *de negotiat. hum. lib. 4. c. 4. art. 4. conclus. 10.*

Probatur ratione. Magistratus vel alius Summus Princeps non habet potestatem ita diminuendi mercedem communem atque vulgarem, nisi adsint gravissimæ necessitates, & casus rarissimi: sed ordinariè atque regulariter non adsunt hæ gravissimæ necessitates: ergo &c. Prob. Maj. Princeps vel Magistratus non habet facultatem inæqualiter gravandi subditos: sed hoc modo gravaret istos inæqualiter, cùm in solos istos totum onus derivaretur.

Dico 7. Cùm regulariter fieri 7
non possit diminutio mercedis infra mercedem infimam atque vulgarem communem; ideo quando non manifestè patet necessitas Reipublicæ exigens hanc di-

mi-

minutionem mercedis. Talis Lex pro injusta, & non obligatoria haberi potest. Prob. summa necessitas Reipublicæ semper patet. 2. Si de hac Lege in particulari loquamur, non facilè adduci poterunt circumstantiæ, quæ ratione communis necessitatis exigant, ut soli molitores non recipiant mercedem suam ordinariam vulgarem, ac in Regionibus & Civitatibus circumjacentibus usitatam.

8 Dico 8. Si mensura ante statutum exigi à molitoribus solita, etiam à molitoribus aliarum Civitatum, & Provinciarum exigebatur sine aliorum querelis, statutum dicto modo diminuens mensuram priorem probabilius fuerat injustum, & hinc in conscientia præscindendo à Juramento non obligabat. Prob. cùm in casu ponantur molitores ante hanc Legem semper accepisse duplo majorem taxam, & hanc etiam circumjacentes Civitates, ac Regiones sine ulla querela de nimio talis taxæ excessu molitoribus persolvere. Non videtur communis necessitas hujus particularis Civitatis exigere, ut illa apud suos molitores diminuatur, cùm non appareat: qualiter hujus Civitatis incommodis, ac necessitati aliquod remedium afferatur ex solius illius taxæ solos molitores gravantis diminutione: sed si hoc non appareat, ex antea dictis injustum est statutum: ergo &c.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An Magistratus potuerit vi, & metu compellere molitores ad hoc Juramentum?

9 Dico 1. Si statutum taxans hanc minorem mensuram fuit injustum, non poterunt ad hoc Juramentum compelli molitores. Prob. nemo potest obligari ad ad servandam Legem injustam: hoc ipso enim quòd sit injusta, non est Lex, cùm hæc sit quædam rationis ordinatio ad bonum commune ordinata ab eo, qui curam communitatis habet promulgata. Prob. 2. Quilibet operarius est dignus mercede sua, quam ex judicio communi aliorum videtur mereri: sed taxa, quæ semper persolvi fuit solita sine querela, est talis: ergo &c.

Prob. 3. Quia latro non habet jus ad exigendam à viatore pecuniam, etiam non habet jus ad exigendum Juramentum promissorium pecuniæ: ergo &c.

Prob. 4. Nemo potest justè compelli ad juratam promissionem solvendæ usuræ : ergo &c. Antecedens constat *ex cap. debitores 6. de jurejurando.*

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An hoc Juramentum cum injuria injustè extortum molitores in conscientia obliget?

10 REsponsio est affirmativa. Ita S. Thomas *2. 2. q. 89. art. 7. ad 3.* Covarruvias *in c. quamvis 2. de pactis in 6. pr. 3. §. 4. n. 2.* Gutierez *de Juram. cap. 57. n. 19.* Suarez *cap. 10. n. 4.* Molina *tract. 2. de J. & J. disp. 149. n. 4.* Barbosa & Gonzalez uterque. Item Panormitanus *in cap. debit.* Immola, Felinus & alij relati à Suarezio *tom. 2. de Relig. c. 9. n. 3.* Sanchez *lib. 3. summæ cap. 11. num. 12.* Palao *de Juram. disp. 2. pu. 3.*

Prob. universalis de Juramento promissorio regula ab Innocentio III. *in c. cùm contingat 28.* atque à Bonifacio VIII. *c. licèt 2. hic in 6. & c. quamvis 2. de pactis in 6.* tradita habetur : quod omne Juramentum servandum sit, quod in dispendium salutis æternæ non vergit, & in præjudicium tertij non redundat, hoc est, quod non est de re illicita : atqui executio hujus Juramenti promissorij non vergit in dispendium salutis æternæ, neque redundat in præjudicium tertij : ergo &c. Prob. min. etsi molitores dimidiatam duntaxat partem summæ aliàs consuetæ recipiant. Per hoc nullum peccatum committunt, neque acceptio hujus minoris summæ redundat in præjudicium aliorum, cùm his potiùs prosit, eò quòd non debeant tantam quantitatem molitoribus persolvere.

Prob. 2. Si non obligaret in conscientia, ratio posset esse, vel quia ipsa Lex non obligat, hoc est, quia promissio molitorum in hoc casu independenter à Juramento est nulla ; vel quia per injuriam fuit extortum ; nullum ex istis est sufficiens : ergo &c.

Prob. primum membrum minoris. Etsi Lex tanquam injusta, aut promissio utpote per injuriam extorta semoto Juramento promissorio per se non obligent. Religio tamen, sive supremæ Majestati debita reverentia exigit, ut ipso opere impleatur, quod ejusdem nomine invocato, & interposita authoritate promissum est.

Prob.

Prob. *Math. c. 5. ℣. 33.* legimus: *Reddes Domino Juramenta tua.* 2. Non est licitum nomen Domini in vanum assumere: sed assumeretur in vanum: ergo &c.

Probatur etiam secundum membrum ejusdem minoris *in c. debitores 6.* habetur, debitores ad solvendas usuras, in quibus se obligaverant, cogi non debent, si verò de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt Domino reddere Juramentum.

Prob. 2. Ratione. etsi Juramentum promissorium fuerit per injuriam extortum, ipsius tamen executio non vergit in detrimentum æternæ salutis, nec præjudicat tertio: ergo servandum erit, consequenter in conscientia obligabit.

11 Ob. 1. Simplex promissio solvendarum usurarum per injuriam extorta non obligat in conscientia: ergo neque jurata. Antecedens constat *ex cap. debitores 6. prin.* consequentia probatur ex *can. Juram. 22. q. 5.* dicitur, inter Juramentum & simplicem loquelam, hoc est, promissionem non debere esse distantiam: seu apud Deum nulla est differentia inter simplicem promissionem & juratam. ℟. conc. ant. neg. cons. in probatione distinguo antecedens; apud Deum nulla est differentia inter Juramentum & promissionem, in quantum utraque obligat ad executionem rei promissæ, aut juratæ concedo, etiam quoad valorem, & gravitatem obligationis implendæ, quoad culpam admissam in violatione utriusque. Nego.

Ob. 2. In *Regula accessorium de Reg. Juris in 6.* accessorium sequitur naturam principalis: atqui Juramentum est accessorium & promissio, seu obligatio à Magistratu imposita est principalis: ergo. ℟. nego minorem. Ratio est, quòd hoc Juramentum per se stet, ipsámque promissionem, vel obligationem impositam non confirmet, sed primùm aliquam erga Deum introducat. Hinc ex isto nullum jus promissario, aut homini alij accedit, sed soli Deo, qui executionem rei juratæ exigit. 12

Dices: Corruente principali, corruit accessorium, sed promissio est principale: ergo &c. 13

℟. 1. Ex responso in priore numero constare, quòd hoc Juramentum per se stet, & obligationem impositam non confirmet.

℟. 2. Distinguo majorem. Hoc fit, si causa, ob quam corruit principale, etiam corruat in accessorio: concedo, si hoc non fiat, nego majorem. & sic distincta minore nego consequentiam. Promissio vel obligatio injustè imposita irritatur ob turpitudinem extorquentis. Hæc autem non datur ex parte Dei, cùm hic Juramentum non extorserit: his addo, quòd Regula *cùm principalis: ff. de Reg. Juris* asserat, *plerumque*

contingere, non autem *semper*, ut corruente principali corruat etiam accessorium.

14 Ob. 3. Si tale Juramentum obligaret, tunc solutas promissario pecunias non posset repetere jurans debitor : atqui potest illas statim repetere *vi cit. cap. debitores* : ergo Juramentum non obligabit. Probatur major. si potest repetere & actionem illas repetendi habet, tunc etiam non tenetur illas solvere. ergo &c. probatur antecedens *vi reg. 21. Qui ad agendum : de reg. juris in 6.* cui datur actio, datur etiam exceptio : ergo &c. R. nego majorem in probatione distinguo antecedens, si potest repetere & actionem repetendi habet ante solutionem, etiam potest uti exceptione ut non debeat solvere, concedo : si potest repetere primùm post solutionem tunc habet exceptionem non solvendi, nego. Jurans acquirit actionem repetendi ab injusto extortore solutum postquam istud ab illo fuit acceptum, tunc enim primùm injustè possidetur. ipse etiam solvens non habet actionem repetendi, nisi postquam facta solutione satisfecerat Juramento, tunc autem etiam eidem competit exceptio contra omnes volentes eundem à repetendo impedire.

15 Ob. 4. Vi *Legis dolo ff. de doli mali & met. exceptione : item reg. 56. de reg. juris in 6. dolo petit, qui statim restituere debet :* sed injustus extortor statim restituere debet : ergo dolo petit, consequenter non tenetur solvere juratus promissor. R. Concedo, quòd extorquens non possit petere, nam promittens non est obligatus ob jus competens exactori Juramenti ; exigit tamen hanc solutionem ipse Deus, cui facta fuit promissio, & ob hanc datur obligatio solvendi.

16 Idem responderi debet, si objiciatur, quòd *vi Legis Julianus ff. de condiction. indebiti*, si solvatur debitum non repetatur. R. enim, si solvatur debitum ob jus, quod competit illi, cui datur, non potest illud repeti : concedo. si solvatur ob aliam causam, quàm ob jus accipienti conveniens, non potest repeti. nego. solutio fit ob Juramentum & ex motivo Religionis, cui satisfit, modo fiat solutio rei jurato promissæ.

17 Ob. 5. Leg. *cujus per errorem ff. de reg. juris & Lege 1. ff. de condict. indeb. & Lege indebitum : eod. tit.* si indebitum scienter solvitur, non repetitur, quia donari videtur. R. dist. ant. si ex omni ratione indebitum scienter solvatur videtur donari concedo, si indebitum ex Justitia, debitum tamen ex Religione scienter solvatur, censetur donari. nego. solutio hæc, uti vidimus, debita est ex Juramento.

18 Ob. 6. Non videtur Juramento liberatus, qui sic solvit, ut postmodum repetat *Lege, qui sic sol-*

solvit ff. de soluti. R. dist. ant. si ille suo Juramento ad plus aliquid se obligaverit : concedo, aliàs nego.

19 Ob. 7. Etsi acceptio minoris mensuræ respectu molitorum non sit illicita, erit tamen illicita solutio usuræ ; cùm hæc non possit accipi sine peccato ab usurario. R. neg. solutio enim non est actus vitiosus ; quia promittenti est utilis, & laudabilis eò quòd illam amore Religionis faciat, & ut se fidelem executorem suæ promissionis ostendat.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

An Juramentum metu extortum valeat ?

QUæstio hìc solùm instituitur de Juramento, quo aliquis metu injusto impulsus promittit alteri actum de se licitum, nullo jure naturali, divino, aut positivo irritatum aut prohibitum, qualis utique fuit acceptio minoris mensuræ, quam aliàs communiter molitoribus persolvere illius communitatis homines consuevêre.

20 Dico itaque, ejusmodi Juramenta metu etiam injusto extorta valent. Ita D. Tho. *22. q. 89. art. 7.* & Cajetanus *ibi :* & Navarrus *cap. 12. n. 14.* Covarruvias *de Sponsalibus 2. p. c. 3. §. 5. num. 5.* & *de pactis 3. p. §. 4. n. 2.* & *lib. 1. variar. cap. 4. n. 7.* Molina *Theolog. tom. 1. de Just. tract. 2. disp. 149. versu 4.* Sanchez *lib. 4. de matri. disp. 20. n. 4.* & *lib. 3. summæ cap. 11. n. 14.* & *15.* Lessius *lib. 2. cap. 42. dub. 6.* Bonacina *tom. 2. disp. 4. pu. 9. q. 1.* Palao *de Juram. disp. 2. pu. 4. cum aliis pluribus*

Probatur conclusio. Tale Juramentum neque est jure naturali, neque divino, neque positivo canonico irritum : ergo valet.

Quòd non sit jure naturali irritum, probatur. non obstante metu gravi injusto, adhuc tamen talis jurata promissio est juranti voluntaria : ergo jure naturali subsistit ; cùm jus naturale non plus aliquid, quàm actum voluntarium exigat. antecedens etiam probatur. metus non tollit voluntarium, sed istud tantum minuit. prout habetur *in Lege si mulier. 21. §. 5. ff. quod metûs causa* ibi *coacta voluntas est voluntas.* 21

Sed neque jure divino est irritum : probatur : si ab hoc irritaretur, non esset observandum, sed hoc est falsum : prob. min. Ezechielis *enim cap. 17. Regi Sedeciæ* exprobatur, insuper & gra- 22

via mala minitantur à Deo, quòd fidem Babilonijs datam, licèt metu extortam violaverit.

23 Sed neque à jure positivo Ecclesiastico annullatum tale Juramentum, sed potiùs ut validum declaratur. quod probatur 1. *ex cap. si verò : de jurejurando.* in hoc gravissimo metu quidam coactus fuit jurare juris sui renuntiationem, & tamen Pontifex asserit, non esse tutum venire contra suum Juramentum, nisi hoc tale fuerit, quod servatum vergat in interitum solutis æternæ. prob. 2. *ex cap. verùm : 15. eadem rubrica:* hìc tali Juramento obstricti dicuntur per Romanos Pontifices à Juramento absoluti fuisse (intellige per relaxationem illius) & additur : *cæterùm, ut agatur consultiùs, & auferatur materia pejerandi, non eis ita expresè dicatur, ut Juramenta non servent : sed si ea non ita attenderint, non ob hoc sunt tanquam pro mortali crimine puniendi.*

Probatur 3. *In cap. ad audientiam: de his, quæ vi, metúsve causâ,* dicitur, Juramento suo teneri, qui illo compulsus resignaverat suo beneficio, etsi illud Juramentum non obstet, quod non repetatur dimissum antea beneficium, & quidem propterea, quia beneficiatus non juraverat, se non repetiturum esse dimissum à se ex gravi metu beneficium : ergo supponit, quòd si jurâsset se neque repetiturum esse beneficium, beneficiatum fore obligatum vi Juramenti, ut non repeteret.

Sola igitur quæstiò de jure civili supereſt, num est istud agnoscat tale metu gravi extortum Juramentum ut validum, vel illud annullaverit. hoc posterius videntur evincere *Authentica Sacramenta puberum* : & *Lex non dubium Cod. de LL.* item textus in *Lege juris gentium ff. de pactis.* asseritque Sanchez *lib. 4. de Matrimonio disp. 20. n. 5. in solut. 2. argum. esse communem.* quid quid autem sit de hac lite, nobis sufficit, quòd in materia de Juramento tanquam spirituali vi *cap. licèt 2. in 6.* sequendum potius sit jus canonicum, à quo civile in hoc fuit correctum & reformatum, prout ex communi docet Palao *disp. 2. de Jurament. pu. 4. n. 6. & 7.* 24

Ob. hactenus dictis 1. Tale Juramentum vel valeret etiam in contractibus jure reprobatis, vel solùm in actibus non reprobatis: neutrum potest dici. 2. probabilius illud etiam valiturum in contractibus jure reprobatis, si absque dispendio æternæ salutis observari valeant, quod patet ex *cap. debitores : de jurejurando.* ùbi dicitur observandum Juramentum de solvendis usuris factum, licèt istarum promissio à jure reprobata fuerit. Idem colligitur ex *cap. ad audientiam : de ijs quæ vi.* 25

Ob.

26 Ob. 2. *Authenticam : Sacramenta puberum : Cod. si adversus venditionem.* ℟. solutionem hujus à nobis jam antea insinuatam fuisse.

27 Ob. 3. In *cap. cùm contingat de jurejurando* : & *cap. quamvis pactum : de pactis in 6.* asserit Pontifex, Juramenta, quæ non vi, nec dolo præstita sunt, nec vergunt in dispendium salutis æternæ, aut in alterius præjudicium, esse servanda : ergo è contrario, quæ metu sunt præstita, non erunt servanda. ℟. dist. ant. dicit taliter præstita Juramenta esse omnino servanda, ita ut neque relaxari debeant : concedo, in alio sensu. nego antecedens : & distinguo consequens : ergo quæ ex metu sunt præstita, non sunt omnino servanda, sed relaxari poterunt : concedo, non sunt servanda, hoc est, neque omnino subsistunt, & nulla relaxatione indigent, negatur. In Juramentis metu expressis locus relaxationi datur, ut hac ratione via coactionibus præcludatur.

28 Ob. 4. Dolo extorta Juramenta non subsistunt : ergo neque ex metu gravi facta. Prob. consequentia, dolus & metus in jure æquiparantur inter se : ergo &c. ℟. concedo antecedens, nego consequentiam, in hujus probatione distinguo antecedens, dolus & metus æquiparantur inter se in quantum ambo firmitatem promissioni auferunt, concedo, in quantum immediatè ambo annullant Juramentum absque omni relaxatione negatur. Cùm dolus sæpiùs consensum in contractum tollant, non itidem ipse metus, hinc non est omnimoda inter illos paritas.

Ob 5. *Vi cap. perlatum est ad audientiam. de his, quæ vi* : non obligant vota ex metu gravi facta : ergo neque juramenta. Prob. consequentia *juxta glossam 1. ad finem in c. si quis votum 27. q. 1. & c. quanto de jurejurando*, à voto firma fit argumentatio ad Juramentum : ergo. ℟. concesso antecedente, nego consequentiam. ratio est, quod expressa habeatur irritatio voti, nullibi autem inveniatur annullatum tale Juramentum in utilitatem hominum, & hominibus factum, ratio est, quod in istis Juramentis attendatur, quid promissario homini placeat & de se honestum sit, non autem (prout in votis evenit) quid DEO gratiùs, cæterùm à voto bona fit argumentatio ad Juramenta DEO & in honorem DEI & huic immediatè præstita non autem ad Juramenta immediatè in utilitatem hominis facta. 29

Ob. 6. In *cap. pervenit, de jurejurando* : deciditur, Episcopum rebus suis spoliatum & ad non repetendum illas Juramento compulsum nullam obligationem ex hoc Juramento contraxisse : ergo &c. ℟. nego consequentiam. Ratio, ob quam hoc Juramentum 30

non

non valuerit, non erat gravis metus injustè incussus, sed quia versabatur circa materiam in se malam, scilicet de non repetendis rebus ablatis, quæ spectaverant ad Ecclesiam, & quæ Episcopus vi sui officij conservare ac repetere tenebatur: ergo si juravit, quod nolit repetere Juramentum super omissione iniqua erat depositum, & hinc non obligatorium.

Urgebis *in cit. cap.* dicitur, quòd Episcopus suis rebus fuerit spoliatus: ergo ablata non spectaverunt ad Ecclesiam. R. nego consequentiam. quia enim, ut Episcopus gerebat curam rerum Ecclesiasticarum, ideo vocabantur suæ.

Dein si negant adversarij fuisse res Ecclesiæ sed proprias Episcopi, dicimus illud Juramentum fuisse validum & à Pontifice postea relaxatum prout tuentur *Suarez l. 2. de Juram. cap. 10. n. 7.* & *Sanchez lib. 3. summæ cap. 11. n. 37.* & quidem relaxatum esse ob solum metum, quem unicè pro causa relaxationis adducit Pontifex, quo volebat innuere solum metum sufficere, ut Juramentum relaxetur.

§. V.

Resolvitur quintum Quæsitum.

An hoc Juramentum censeri possit à Magistratu relaxatum, quia iste non amplius Juramentum exigit à succedentibus molitoribus?

31 Dico 1. Magistratus sæcularis non potest propriè relaxare Juramenta, ita Suarez *lib. 2. de Juram. cap. 41. n. 16. circa medium* Sanchez *lib. 3. cap. 22. n. 15.* Palao *disp. 3. de Juram. pu. 5. n. 4.* Probatur. relaxatio ista est actus Jurisdictionis spiritualis, sed hujus potestas sæcularis est incapax: ergo &c.

32 Dico 2. Poterit ille tamen sub nomine partis, cui factum est Juramentum remittere juranti obligationem. Ita tenent Covarruvias *lib. 1. variar. cap. 4.* Molina *tom. 1. de Justi. Disp. 149.* Emanuel Saa *verbo Juramentum n. 29.* Sanchez *lib. 3. summæ cap. 22. n. 1. & 15.* Palao *disp. de Juram. pu. 5. n. 4.* Probatur. Princeps vel Magistratus sæcularis potest cogere subditum, ut Juramenti obligationem remittat, & si iste nolit, ipse poterit remittere: ergo &c. Probatur antecedens. superior potest supplere subditi consensum ab hoc præstandum, factum etiam superioris aut judicis reputatur esse factum ipsius subditi: ergo &c.

Con-

Confirmatur vi *Legis ob causam Cod. de evictione* habetur, quòd ego tenear de evictione, non secus ac si ipse vendidissem, si meam domum superior vendiderit: ergo factum superioris habetur pro facto subditi hinc.

33 Dico 3. Magistratus iste absolutè potuit obligationem Juramenti molitoribus remittere nomine communitatis, vel etiam proprio. Probatur hoc Juramentum vel est immediatè factum subjectæ communitati advehenti suum frumentum ad molendinum, quorum utilitas per hoc Juramentum intendebatur: vel ipsi Magistratui: cuicunque horum factum fuerit Juramentum, juxta dicta Magistratus remittere obligationem Juramenti potuit: ergo &c.

Prob. 2. Magistratus ut repræsentans totam communitatem imperaverat hoc Juramentum: ergo ipse etiam ut talis est creditor: atqui creditor potest remittere Juramentum: ergo etiam Magistratus ùt talis. Probatur antecedens subsumpti creditor potest condonare materiam vel, actionem sibi promissam: ergo. Probatur consequentia, quando cessat fundamentum, cessat etiam ejusdem obligatio: sed condonata materia promissa cessat etiam fundamentum Juramenti, quia DEUS vult in tantum obligare jurantem, in quantum hunc vult obligatum ille, in cujus gratiam commodum, & utilitatem Juramentum fuerat factum: ergo si hic remittit obligationem, remittit hanc etiam DEUS.

Neque dicas 1. Creditorem non posse obligationem remittere. R. enim, cuilibet concessum esse sua debita remittere alijs.

Neque dicas 2. Omne Juramentum tollitur relaxatione, vel irritatione: remissio à Magistratu facienda non est relaxatio nec irritatio: ergo &c. R. enim esse irritationem factam ab habente dominium in materiam seu in rem promissam. Advertimus autem, ut tali remissioni locus sit, requiri, ut materia, seu actio Juramento promissa, cedat in utilitatem hominis creditoris. Ita Sanchez, *lib. 3. c. 20. n. 5. & lib. 1. de matrim. disp. 52. n. 9. ad primum.*

Dico 4. Ex eo, quòd Magi 34
stratus à succedentibus molitoribus Juramentum istud non ampliùs exigat, prudenter ac rationabiliter præsumitur remittere veteranis molitoribus obligationem hujus Juramenti. Probatur, tunc hæc remissio potest prudenter præsumi, quando non remittendo illam illicitè procederet, sed ita procederet. Probatur minor. veterani hi molitores à Magistratu inæqualiter, ac magis sine ullo fundamento gravarentur, quàm ipsi novi succedentes molitores: sed si veterani magis & inæqualiter sine ullo fundamento gravarentur, procederet Magistratus illicitè:

licitè : Probatur minor. Princeps & Magistratus ex suo officio tenentur subditos æqualiter gravare, ac sine fundamento nulli subditorum majus onus imponere, quàm cæteris : ergo si hoc facerent, & aliquos magis gravarent, quàm cæteros, illicitè agerent.

Quod autem subsistente hac obligatione Juramenti seniores molitores magis gravarentur, quàm succedentes juniores, constat seniores enim & ex Religione vi præstiti Juramenti, & statuto Magistrali ad taxam præscriptam & non majorem expetendam obligarentur. Juniores non itidem : ergo &c.

Quin imò cùm ex dictis constet, Legem istam probabilissimè esse injustam, hinc junioribus molitoribus liceret accipere majorem mensuram, quam molitores poterant accipere ante hoc decretum : non enim prohiberentur ab hoc propter decretum Magistratûs, cùm hoc sit injustum, & non obligans : nec propter Juramentum, cùm nullum ediderint : contrarium tamen fieret in molitoribus Juramento obstrictis ad dimidiatam summam recipiendam.

Confirm. Potuit Magistratus ad remissionem hujus juratæ obligationis fuisse permotus, quod videret, illam esse laqueum molitoribus, & ad horum majorem perniciem cedere, quia eisdem occasionem præbet graviter contra Religionem delinquendi : item potuit agnoscere hanc minorem mensuram assignatam esse meredem justâ inferiorem, consequenter statutum esse injustum.

Deinde Juramentum obligat, quamdiu res in eodem statu permanent, non autem notabiliter mutatis circumstantijs, vi *cap. brevi de jurejurando* : atqui si posteriores molitores non obligantur Juramento, notabiliter mutatæ fuerunt circumstantiæ : ergo &c. Prob. min. antea omnes molitores obligabantur ad dimidiatam mensuram accipiendam, Non poterat ullus illorum accipere majorem mensuram illam, quam ante hoc Juramentum communiter exigebant : modò autem isti juniores molitores ad hoc non obligarentur, & possent accipere illam consuetam antea majorem mensuram : ergo &c. Videntur igitur seniores molitores in suo Juramento subintellexisse hanc conditionem, quòd velint esse obligati, quamdiu obligatio omnes obligatura sit.

Dices : sola interior revocatio Legis, ac facti statuti non abrogat Legem, aut statutum : ergo licèt hæc revocatio præsumatur, nondum tamen deobligati molitores erunt, quia nullo signo externo fuit manifestata, &c. sufficienter hanc revocationem fuisse

fuisse manifestatam ex eo, quòd succedentes molitores non amplius ad hoc Juramentum Magistratus adigat. Potéstque hæc revocatio ex ista omissione facillimè à veteranis molitoribus colligi, ac rationabilissimè inferri.

CASUS XXIX.

De Contractu dotali inter Conjuges metûs caussâ inito.

MEdardus, postquam contraxisset Sponsalia cum Sempronia, & præmissis jam duabus denuntiationibus, circiter tribus ante celebrandas nuptias diebus cum Tutore suæ sponsæ incepisset agere de dote, contradote, & Societate bonorum inter futuros conjuges; invenit tutorem oppidò insolentem, in quantum iste assereret, vel pactum, quod ipse dictaverat ineundum à Sponso esse, vel Sponsalia etiam jam factis duabus Denuntiationibus rescindenda. Sponsus nimio amore Sponsæ æstuans condixit invitis parentibus: hi autem, licet pactum propositum, à juribus quidem non reprobatum, suo filio autem non parùm damnosum agnoscerent, in illud demùm consensêre, eò quòd resciſſionem Sponalium, utpote toti familiæ in his circumstantijs oppidò contumeliosam exspectare nollent.

Q. 1. Num contractus metu gravi, eóque injusto extorti jure naturæ valeant?

Q. 2. Num jure positivo?

Q. 3. Quid de metu levi extortis sentiendum?

Q. 4. Num inferens quidem metum injustum, sed levem in conscientia teneatur contractum rescindere?

Q. 5. Num contractus præsentis casûs sit nullus, vel rescindibilis?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Num contractus metu gravi, eóque injusto extorti, jure naturæ valeant?

1. *Quæ occasione præsentis controversiæ examinari possint, proponuntur.*
2. *Natura metûs tam gravis quàm levis, justè ac injustè incussi explicatur.*
3. *Contractus incusso metu gravi extorti jure naturæ valent.*
4. *Commodum quod metum incutiens, ex valore talis contractûs obtinet est modicum.*
5. *Si jus meum non sit firmum, quod est in meo dominio, restitui debebit.*
6. *In quo sensu vim patiens dicatur rem tali sibi extortam habere in suis bonis.*
7. *Jus quod patienti metus competit ad rem alienatam, non impedit in metum inferente dominium.*
8. *Compossibilis est cum dominio obligatio restitutionis.*
9. *Qui rem suam promisit alteri, habet illius dominium cum obligatione eandem dandi promissario.*
10. *Rem taliter extortam expetere à metum passo vi contractûs, non autem vi illatæ injuriæ decepto poterit.*
11. *Potest aliquis ex uno capite esse obligatus ad aliquid, & ex alio deobligatus.*
12. *Cùm jus positivum ejusmodi contractus validos declaret, jure naturæ non erunt illi irriti.*
13. *Consuetudo, seu traditio Ecclesiæ, vota simplicia metu gravi extorta annullat.*
14. *Etiam contractus purè lucrativi taliter extorti, subsistunt.*
15. *Ad perfectissimam, & nonnisi quam rescindibilem donationem absentiâ metûs opus erit.*
16. *Quare solutio usurarum metu extorta sit nulla.*
17. *Natura sufficienter succurrit læso, quod suggesserit rescissionem non ejusmodi contractûs.*
18. *Matrimonium gravi metu extortum non est jure naturæ irritum.*

§. II.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum,

Num Jure positivo?

19. *Ejusmodi extorti contractus probabilius etiam jure positivo subsistunt.*
20. *Solvuntur quædam ex variis textibus Juris Civilis objici solita.*
21. *Qualiter metus involvat ignorantiam, explicatur.*
22. *Et quis sensus Reg. 116. ff. de Reg. Juris.*
23. *Non cuicunque dolo comparatur metus.*
24. *Firmus duntaxat contractus parit obligationem extradendi.*
25. *Habens jus ad rescindendum contractum potest rem traditam clam suscipere.*
26. *Creditores antiquiores non sunt in tali casu præferendi metum passo.*
27. *Tali contractui obligatur in conscientia metum inferens, non autem passus.*

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Quid de metu levi extortis sit sentiendum?

28. *Ex metu levi etiam injusto gesta valent.*
29. *Neque in foro externo rescinduntur.*

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

Num inferens quidem metum injustum, sed levem, in conscientia teneatur contractum rescindere?

30. 31. 32. 33. 34. *Proponuntur argumenta volentium ex tali levi metu gesta in foro conscientiæ esse rescindibilia.*
35. *Probabilius inferens levem metum non tenetur in conscientia rescindere talem contractum.*

36. *Metum passo nullum damnum, sed sola injuria fuit illata.*
37. *Taliter enim donans non fuit invitus damnificatus.*
38. *Videtur tamen rescindibilis per sententiam Judicis Ecclesiastici.*
39. *Injuriam sibi illatam metum patiens contrahendo taciè condonavit.*
40. *Metus levis nequaquam dicendus est, qui personam aliquam tam graviter perturbat, ac virum constantem perturbare assolet communiter pro gravi habitus metu.*

§. V.

Resolvitur quintum Quæsitum.

Num contractus præsentis casus sit nullus, vel rescindibilis?

41. *Si contractus independenter à metu initus valeret, vi metûs non foret nullus.*
42. *Neque ob metum gravem ab ipso Sponso sine authoritate Judicis rescindibilis.*
43. *Neque ob metum levem.*
44. *Nil facit ad rem, quòd parentes metu compulsi consenserint.*
45. *Aut consensus Sponsi fuerit secundum quid involuntarius.*
46. *Contractus iste neque in foro externo rescindetur.*

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An contractus, quem metus gravis, & injustè ad obtinendum consensum incussus extorsit, Jure naturæ valeat?

1 OCcasione hujus quæsiti examinari primum poterit, utrum contractus ex tali metu injustè ad illos obtinendos incusso sint validi. 2. Jure naturæ vel positivo? 3. Quid tenendum, si metus, quo extorti fuerunt, extiterit levis & non gravis, 4. Num levi metu extorquens contractum teneatur hunc rescindere? 5. Num in proposito casu aliquis metus gravis an levis fuerit injustè incussus, ut extorqueretur consensus.

Ut

2 Ut hæc omnia elucidentur. Sciendum primò ab Ulpiano *Le. 1. ff. de eo, quod metûs causâ* definiri metum, quòd sit instantis periculi vel futuri causâ mentis trepidatio: vel juxta alios: est passio & motus animi, imminens malum fugientis.

Sciendum secundò dividi metum in gravem & levem. ille est, qui cadit in virum constantem & fortem, quando scilicet malum ita percellit aliquem, ut, conditione personæ consideratâ, etsi alias hæc constans & fortis sit non facilè sit excutiendum: levis ex opposito est; cùm malum imminens leve est, in quantum hominem prudenter æstimantem & fortem nec concutere nec dimovere aptum est. metus gravis est vel talis, absolutè, vel certo respectu absolutè gravis dicitur, qui cadit in hominem constantem, seu quo malum timetur, quod etiam cordato & constanti videtur formidabile. metus respectivè talis est, quo malum timetur, quod homini cordato leve, meticuloso autem formidabile videtur.

Sciendum tertiò utrumque hunc metum posse esse vel extrinsecum, quem scilicet causa quædam extrinseca libera incussit: vel intrinsecum, quem causa naturalis necessaria incutit independenter ab actu libero per modum naturæ. Quòd si malum à me alteri comminatum, huic justè possit inferri, timor ejusmodi justè incussus fuerit; injustè verò, si malum justè infligi nequeat.

3 Dico 1. Omnis contractus, solo fortè matrimonio & professione Religiosa exceptis, quem metus gravis etiam injustè incussus ad obtinendum consensum extorsit, jure naturæ est validus. ita communior. quam tenet Palao *tract. 1. de libert. pu. 8. n. 4. citans* Sotum Henriquez, Ledesma. *item* Thom. Sanchez *l. 4. de matrim. disp. 8 n. 4. & disp. 14. n. 2.* Lessius *lib. 2. cap. 17. dub. 6. n. 36.* Azor, P. Lugo *de Justitia disp. 22. à n. 115.* probatur. non obstante tali metu habentur tamen omnia ad validum contractum jure naturæ necessaria: ergo jure naturæ valet. prob. ant. ad valorem contractûs jure naturæ duntaxat requiruntur justus titulus & voluntarius consensus: sed hæc adsunt. prob. min. metus non tollit absolutè voluntarium; cùm coacta voluntas adhuc sit voluntas, neque titulum dati aut accepti excludit: cùm consensus jure naturali ad valorem contractûs requisitus, etiam cum injuria consistat: consequenter datur titulus veri contractûs. ergo &c.

Probatur 2. Si tales forent jure naturæ irriti, ratio foret, quia patienti metum fuit illata injuria, & hæc non potest parere jus; hæc ratio nulla est. prob. min. etiam levis metus est injuria, & tamen contractus taliter celebratus est jure naturæ validus: ergo &c.

&c. prob. ant. si contractus ex metu levi celebratus jure naturæ esset nullus, tunc in foro externo deberet declarari irritus: at non declaratur irritus *vi Le. vani timoris ff. de Reg. Juris & Le. metum ff. de eo, quod metûs causâ.*

Probatur 3. *Instit. de except. in princip.* definitur de omnibus contractibus stricti juris, quòd sint validi & doli mali vel metûs exceptione elidendi, si metu vel dolo contracti fuerint. item *Leg. dolo C. de inutil. stipul. ibi: dolo vel metu adhibito actio quidem nascitur, si subdita stipulatio sit; per doli mali tamen vel metûs exceptionem submoveri petitio debet.*

Probatur 4. Optabilius est metum passo, ut jure naturæ metu injusto, & gravi extortus contractus valeat. Prob. si valet, tunc metum incutiens debet stare contractu; cùm ergo possit contingere, ut expediat metum passo, noceat autem incutienti metum irritus contractus, ideo in tali casu proderit metum passo, quòd si autem damnosus sit metum passo, ad remedium rescissionis recurrere poterit.

4 Ob. 1. Si valet, tunc metum, & mediante metu injuriam alteri inferens ex hac reportabit aliquod commodum: cùm ergo hoc non sit justum, jure naturæ non valebit. B. dist. ant. reportabit commodum aliquod æstimabile, nego. exiguum duntaxat. concedo. eo ipso, quòd teneatur injuriam illatam reparare, & hoc facere nequeat, nisi rescindat contractum, ideo exiguum reportabit commodum, quòd si enim res adhuc sit integra metum patiens, exceptione potest uti, si non amplius sit integra, gestorum rescissio, & restitutio in integrum petenda erit.

Ob. 2. Contractus tali metu celebratus non transfert dominium: ergo non valet. Probatur consequentia. effectus contractus validi est translatio dominij: ergo si non transfert, non valebit. Antecedens primum etiam probatur: quod est in meo dominio, non debet à me alteri restitui: sed tali contractu acquisitum debet alteri restitui: ergo &c. B. neg. ant. in probatione distinguo majorem. quod est in meo dominio, ita ut jus meum sit firmum, illud non debeo, alteri restituere transeat. Si jus hoc sit infirmum & oppidò debile; negatur Major, & sub eadem distinctione consequentia.

Urg. *Lege metum autem præsentem §. licèt ff. quod metus causâ.* 6 Res alienata dicitur esse in bonis ejus, qui vim passus est: ergo alter non fuit factus illius Dominus. B. concesso antecedente distinguo consequens: ergo alter non sit illius rei Dominus, si per verba plus aliquid significaretur, quàm jus, quod habet vim patiens ad rescindendum contractum: concedo consequentiam. Si hoc jus tan-

tantùm insinuetur neg. cons. quia scilicet habens actionem in rem: rem ipsam habere videtur *juxta regulam 15. ff. de regulis juris*; ideo talis res dicitur esse in bonis vim patientis.

7 Urgent 2. Hoc jus metum patienti competens impedit dominium in metum inferente: ergo contractus fuit jure naturæ irritus. Confirmatur *vi Legis item si cum exceptione §. in hac actione ff. quod metûs causa*, quando tali metu alienata res jam in quemcunque alium possessorem translata est, eam primus possessor sibi vendicare potest: ergo &c. ℟. neg. ant, constat falsitas antecedentis manifestè in sponsalibus vi quorum sponsus habet jus acquirendi dominium per nuptias in corpus sponsæ, & tamen sponsæ competit adhuc jus in suum corpus ad tradendum hoc alteri per ipsum matrimonium, quæ ipsa responsio satisfacit confirmationi.

8 Urgebis 3. Gratis dicitur me habere aliquod dominium alicujus rei, si tenear illam iterum restituere: ergo non transfertur dominium. ℟. neg. ant. dominium enim est detentio vi justo titulo, id est titulo à jure non annullato: *arg. §. per traditionem Instit. de rer. divis. & Lege traditionibus: Cod. de pactis*; atqui non potest afferri ratio probans ejusmodi titulum esse à jure naturali annullatum; ergo &c.

9 Urgebis 4. Nemo habens dominium alicujus rei tenetur hanc adæquatè vel inadæquatè concedere: ergo &c. ℟. neg. ant. si enim Dominus rem suam promisit alteri, tenebitur hanc alteri dare: quod ergo promissio acceptata efficit: hoc etiam præstat illata per metum injuria.

10 Ob. 3. Non potest Cajus reci pere illam rem, quam ego illi ex metu promisi: ergo neque evadet Dominus rei, quam ex metu in illum transtuli. ℟. dist. ant. non potest Cajus talem rem recipere ratione contractûs mecum initi: nego antecedens, non potest recipere ratione injuriæ: concedo antecedens: & nego consequentiam. Cajus ratione contractûs potest illam rem à me expetere: ego autem ob acceptam ex metu injuriam eundem repellere possum.

11 Urgebis 1. Ergo simul ac semel obligatus ero & deobligatus respectu ejusdem rei. ℟. dist. ant. ergo obligatus &c. ex uno capite, & deobligatus ex alio: concedo. ero ex eodem capite obligatus & deobligatus, nego antecedens. sic possum ex contractu certam summam debere Cajo, quòd si autem aliquod damnum debitæ à me summæ æqui valens ab ipso passus fuerim, in compensationem hujus damni debitum ex contractu summam retinere possum.

12 Ob. 4. Contractus tales nullo jure positivo irritantur, sed potiùs supponuntur irriti: ergo jure naturæ debent esse irriti. R. transeat antecedens, distinguo consequens: ergo jure naturæ debent esse irriti, si non haberentur textus, in quibus validi declarantur, concedo: si habeantur tales textus, negatur consequentia. Si aliqui textus nonnullos ejusmodi contractus agnoscunt validos, consequens est, quòd injuria per metum illata, haudquaquam sufficiat ad illum jure naturæ annullandum.

13 Ob. 5. Vota simplicia per metum facta sunt irrita jure naturali: ergo &c. prob. ant. non potest ullum jus positivum assignari, quod irritaret ejusmodi vota: ergo si tamen sunt irrita. erunt irrita jure naturæ. R. neg. ant. in probatione nego antecedens; & dico hoc jus esse consuetudinem seu traditionem Ecclesiæ; quæ vim legis positivæ non scriptæ retinet.

14 Ob. 6. Saltem contractus lucrativi erunt invalidi, in quibus scilicet nihil rependitur: ergo &c. prob. ant. in his accedente metu non habetur titulus: ergo cùm iste sit necessarius, nullus erit contractus. prob. ant. unicus titulus in contractibus lucrativis est liberalis & gratuita voluntas donantis &c. Atqui hæc voluntas non datur. prob. min. voluntas talis est coacta: ergo &c. R. neg. utrumque primum antecedens, in ultimi probatione nego antecedens & dico, voluntatem simpliciter voluntariam & liberam esse potius titulum, quod sufficienter ostendit *Lex. ultima Cod. de bis, quæ vi.* quæ non minùs donationes quàm transactiones ac venditiones per potentiam extortas infirmari præcipit: ergo non sunt omnino irriti & tales, qui nulla infirmatione indigent.

Urgent, *in Lege Donationis* §. 15 *de donat.* habetur *donat. aliquis ea mente, ut statim velit accipientis fieri, & in nullo casu ad se revertì: & tantùm ut libertatem & munificentiam exerceat, hæc verè donatio est:* ergo ad veram donationem requiritur, ut absit metus; prob. conf. donans ex metu potius desiderat, ut res ad se revertatur: ergo &c. R. conc. textu dist. conf. ergo ad perfectissimam & non rescindibilem donationem requiritur, ut absit metus, concedo. ad minus perfectam & revocabilem, negatur. Dein distinguo pariter antecedens probationis ultimæ, taliter ex metu donans vult voluntate inefficaci tantùm, ut sibi reddatur, concedo. vult voluntate simpliciter absolutè & efficaciter tendente, ut sibi hæc res restituatur, negatur. patet res in projiciente merces in mare ob naufragij periculum.

Urgent 2. Solutio usurarum 16 ipso jure naturæ est nulla, quia defi-

deficit voluntas libera & titulus ad ejus valorem sufficiens: ergo requiritur hæc libera voluntas. N. ideo esse nullam, quia usura datur in pretium mutui; cùm igitur mutuum non sit dignum ullo pretio, ideo deest ibidem titulus, neque adest titulus donationis, solvens etenim usuras non vult istas donare; sed tanquam debitum solvere: cùm ergo nullum adsit debitum, non habetur titulus, consequenter non transfertur dominium

17 Ob. 8. Si talis contractus jure naturæ valet, tunc hæc non sufficienter impedijt, ne alter per injuriam aliquam obligetur: ergo &c. N. distinguo antecedens. Si illa ipsa natura non suggessisset media, quibus homines se mutuò ab ijsdem absterrerent, aut injuriam repararent per rescissionem contractûs, concedo. si hæc provisit: negatur antecedens & consequentia.

Urgebis: sunt aliqui contractus, 18
v. g. matrimoniales irrescindibiles: ergo saltem isti jure naturæ debent esse nulli. Probatur consequentia. aliàs non potest injuria illata reparari: ergo &c. N. concesso antecedente, nego consequentiam. in probatione concesso antecedente. nego. exinde sequi, quòd sint jure naturæ irriti: nam sicuti per metum, ita quoque per dolum infertur illi injuria, qui fraudulenta simulatione divitiarum permotus duxit pauperem in conjugem, & tamen ejusmodi matrimonium non est jure naturæ irritum, quia autem tales contractus lege positiva irritabiles natura effecit, hinc licèt ipsamet non irritaverit, jam tamen suo officio functa fuit.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum?

An Jure positivo contractus tali metu extorti valeant?

19 DIco 2. Contractus, & alios actus, qui metu injusto, & ad extorquendum consensum intento extorti fuerunt, si rescindi possunt, etiam jure positivo regulariter esse validos, rescissioni tamen esse obnoxios. Ita Sanchez *l. 4. de matrim. disp. 8. n. 4.* Suarez *lib. 6. de voto: cap. 27. n. 17.* Vasquez, Layman. Lugo *de Just. tom. 2. disp. 22. num. 118.* Lessius, Palao. Probatur. in varijs textibus tam Juris Canonici, quàm Civilis dicitur, ejusmodi contractus esse à Jure infirmandos, invalidandos, & rescindendos:

dos : atqui infirmari, invalidari, & rescindi tantùm possunt contractus validi. Nam *Lege causæ 16. ff. de minoribus §. 3.* Juris-Consultus inquit : *generaliter probandum est, ubi contractus non valet, pro certo prætorem se non debere interponere :* ergo supponunt non esse antecedenter infirmos, & nullos. major constat *ex cap.* Abbas *de bis, quæ vi. cap. ad audientiam : eod. tit.* dicitur, quæ vi metúsve causa fiunt, carere debent robore firmitatis, siquidem possunt, & debent rescindi. Præterea *Instit. de except. in princ.* dicitur. *Si metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapsus stipulanti Titio promisisti, quòd non debueras promittere ; palam est Jure Civili te obligatum esse, & actio, qua intenditur, dare te oportere, efficax est.* Item *Lege ultima Cod. de bis, quæ vi habetur, venditiones, donationes, transactiones, quæ per potentiam extortæ sunt, præcipimus infirmari. & L. interpositas Cod. de transact. L. dolo 5. Cod. de inutilibus stipulationibus ex Leg. item si cum exceptione §. in hac actione : ff. eod.* item *L. 1. & L. metum 9. §. 3. & 4. ff. hic : prætoriana æquitate restitutionem & restipulationem pollicetur adversus actum metu gestum.* Item *Lege si mulier 21. §. 5. ff. hic* pronuntiatur effici hæredem, qui metu coactus hæreditatem adit, restituendum tamen per prætorem esse addita ratione : quia coactus voluerit, quamvis noluisset, si liberum fuisset.

Prob. 2. Ratione. Si Leges Positivæ ejusmodi contractum non faciant irritum, sed infirmandum ac rescindendum ad petitionem metum passi constituant. Tunc magis favent metum passo : ergo si nulla clara Lex annullans tales contractus afferri potest, defendendum est, quòd jure positivo sint solùm rescindibiles. Prob. ant. hoc supposito metum patiens potest agere ad impletionem illius, si judicet sibi utilem fore, & ad rescissionem, si judicet sibi damnosum fore : ergo &c. Hannold. *tract. 8. n. 155.*

Hactenus dictis objicitur primò : *Lex prima Cod. de rescind. vendit.* in qua venditio metu extorta pro irrita habetur. ibi *quod non bona fide gestum est, male fidei enim emptio irrita est.* pariter pro irrita habetur aditio hæreditatis metu extorta *Leg. qui in alienа 6. §. 2. ff. de acquir. hæred.* item *Lege qui in carcerem 22. ff. h. t.* ibi, *qui in carcerem quem detrusit, ut aliquid ei extorqueret, quid quid ob hanc causam factum est, nullius momenti est* : ergo ejusmodi contractus sunt jure positivo annullati.

R. ad 1. Textum : venditiones &c. habentur irritæ quoad effectum, in quantum scilicet tanquam obnoxiæ rescissioni viribus & firmitate carent : concedo. in alio sensu & quoad substantiam sunt irritæ. negatur. fundamentum sic explicandi legem præbent ver-

verba immediatè subsequentia. *aditus itaque nomine tuo præses provinciæ authoritatem suam interponet.* dein illa Lex est prima sub titulo de rescindenda venditione : ergo huic debet vel maximè congruere. item

℣. potest 2. Ad alterum locum *ex Lege : qui in aliena* hæreditatem aditam pro invalida ibidem haberi propter consensum solummodo factum, quem adiens hæreditatem clam coram testibus manifestaverat. ita Glossa *V. fallens.* Zœsius *hic n. 6.* & Brunneman *in Leg. qui in aliena citatam n. 12.*

℣. 3. *Ad Legem qui in carcerem* : in memorato casu specialem exceptionem fieri, quia incarceratio injusta & mediante hac quædam per calliditatem & dolum detrudentis in carcerem extorta fuerunt, aut dari potest responsio ad primum ex his textibus allata.

21 Ob. 2. Ubi defuit consensus, nequit esse validus contractus *arg. Leg. obligationem 3. ff. de O. & A.* sed hic defuit : prob. min. ubi datur ignorantia, ibi defuit consensus *arg. Leg. si per errorem 15. ff. de Jurisdict.* sed hic datur ignorantia : prob. min. datur hic metus, & metus *arg. Legis item si 14. §. in qua actione 3. ff. h. t.* habet in se ignorantiam. ℣. dist. mai. ubi defuit omnis penitus consensus, nequit esse validus contractus : concedo, ubi defuit consensus omnino spontaneus & simpliciter voluntarius, nequit esse vaildus contractus neg. Maj. & sic distincta minore nego consequentiam. ad probationem distinguo juxta datam legem, ubi datur metus, datur aliqua quæcunque demum ignorantia, vi cujus nesciat metum patiens, quid agat : nego datur aliqua alia consensum non impediens ignorantia : concedo. ibidem solùm statuitur, nihil referre, an metum passus sciat quis metum intulerit vel non ; illius ratio assignatur ; quia metus habet in se ignorantiam qua nesciat quis metum intulerit.

Urgent : *Regula 116. ff. de R. J.* 22
habetur, *nihil consensui* tam contrarium est, quam vis atque metus hinc Alex. III. *cap. cum locum 14. de sponsalibus :* ait *locum non habet consensus, ubi metus vel coactio intervenit.* Respondeo distinguendo textum : nihil consensui spontaneo, & simpliciter voluntario adeo contrarium est, ac vis & metus : concedo, nihil consensui in ratione liberi ac voluntarij adeo contrarium est, nego textum.

Ob. 3. Dolus causam contrac- 23
tui dans hunc irritat : ergo etiam metus. Probatur consequentia : *cap. cùm contingat 28. de Jurejur.* in jure dolus & metus æquiparantur. Respondeo transeat antecedens : nego consequentiam, in probatione distinguo, metus

equiparatur cuicunque dolo etiam illi, qui circa substantiam contractûs versatur, negatur. æquiparatur illi dolo, qui salvo circa substantiam contractu errorem inducit quoad circumstantias, & actum relinquit validum, obnoxium tamen rescissioni, concedo antecedens, & nego consequentiam.

24 Ob. 4. Omnis contractus validus alienationis parit obligationem extradendi rem alienatam: atqui alienans ex tali metu non tenetur rem talem extradere: sed potest illam retinere: ergo &c. ℟. distinquo majorem, parit obligationem talem vel firmam vel infirmam concedo. semper firmam, negatur. cùm talis injuriam fuerit passus, ideo hæc læso actionem concedit rescindendi contractum, si hic sit absolutè revocabilis: ergo non tenetur rem alienatam extradere.

25 Urgent: rem contractu valido alienatam non potest alienans denuo clam surripere: atqui taliter datum potest: ergo &c. ℟. dist. Maj. non potest surripere, si nullum jus & actionem ad rescindendum contractum habeat, concedo. si habeat tale jus ob injuriam acceptam negatur.

26 Ob. 5. Si validus esset hic contractus, quando metum inferens haberet Creditores antiquiores & privilegiatos, essent isti præferendi metum passo in re per metum tradita, tanquam illi, qui metum intulit, propria: sed hoc est falsum: ergo &c. ℟. nego sequelam. Ratio est, si jus dantis est resolutum, pariter est resolutum jus accipientis: sed quando rescinditur contractus ex tali metu irritus resolvitur jus dantis: ergo etiam jus accipientis: sed si accipiens nullum amplius habet jus, tunc etiam Creditores antiquiores nullum habent ulterius jus in illam rem; cùm horum jus fundetur in jure ipsius accipientis: ergo neque sunt metum passo præferendi.

27 Ob. 6. Si talis contractus est validus, obligabit etiam in conscientia: hoc est falsum: ergo &c. ℟. dist. Maj. obligabit eum, qui metum intulit, in conscientia, ut impleat contractum concedo; etiam illum, qui passus fuit ob metum injuriam: negatur. huic enim datur exceptio adversus eum, qui metum intulit, si hic impletionem contractûs urgeat, ex quo sequitur, læsum in conscientia non esse obligatum ad impletionem contractûs.

Urgent: si talis contractus est validus, fructus interim percepti non essent restituendi: atqui sunt: ergo &c. ℟. dist. Maj. non essent restituendi, si non ipsa injuria per metum alteri illata obligaret ad reparandum omne damnum ex delicto proveniens concedo. si hæc ad ista obliget nego majorem, & sic distincta minore nego consequentiam. si bona fide rem possedisset ad illos restituendos non obligaretur.

Dico

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An contractus metu levi extortus sit validus, & in foro externo rescindibilis?

28 Dico 1. Contractus & cæteri actus metu levi etiam injustè ad extorquendum consensum incussò extorti, sunt validi. Ita docent Francus, Lessius *lib. 2. c. 17. dub. 6. n. 46.* Palao *de libert. disp. 1. pu. 12. n. 1. & hoc teste Doctores passim.*

Probatur conclusio *ex Lege metum: 6. ff quòd metûs causâ* ibi. *metum vani hominis non esse spectandum, sed eum, qui in constantissimum cadit. Et Reg vani timoris: ff. de Reg. Juris. vani timoris nulla est excusatio.* Idem tradit Glossa *in cap. unicum de his, quæ vi: in 6. verbo subjacere.*

Probatur 2. Ratione: contractus ex tali metu levi facti nec jure naturali (uti patet ex dictis de metu gravi) sunt nulli, nec jure positivo quod levem metum juxta citatos primùm textus vel non reputat, vel non considerat. *vi Legis: continet 3. §. 1. Legis: nec timorem 7. princ. ff. quod metûs causâ: & Leg. 3. ex quibus causis major.* in his locis dicitur edicto illum tantummodo metum contineri, qui in virum constantem cadit: sed metus levis non cadit in hominem constantem: ergo.

Dico 2. Tali metu levi injustè 29
extortus contractus in foro externo non est rescindibilis. Prob. textibus *LL. immediatè superiùs adductis: & ex cap. 1. 3. & 4. de his, quæ vi.*

Prob. 2. Omnis metus levis, quia est levis, à quolibet homine cordato est contemnendus: ergo non præbet sufficientem causam Judicibus eundem rescindendi.

Prob. 3. Plurimùm Reipublicæ nocet frequens contractuum rescissio: at foret frequens, si ob levem metum in foro externo rescindi posset: ergo &c. Ut sciret occasio quamplurimis litibus præscindatur.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

An inferens metum, injustum quidem, sed levem, in conscientia ad illum rescindendum sit obligatus?

30 QUòd tali levi metu gesta in foro conscientiæ nequaquam ita firma subsistant, ut metum in illis passus ad ea implenda obligatus sit, sed potiùs inferens damnum ad restitutionem taliter acceptorum teneatur, defendunt *in cap. verum 15. de Jurejurando.* Panormit. *n. 3.* Joan. Andr. *n. 6.* Alex. de Nevo *n. 7.* Sylvester *v. metus n. 12.* Sotus *in 4. dist. 29. q. 1.* Navarrus *Manuel. cap. 17. n. 5. & 15.* Covarruv. *in Reg. peccatum p. 2. §. 3. n. 7.* Molina *tract. 2. de J. & J. disp. 267. n. 5.* Sanchez *l. 4. de Matrim. disp. 9. n. 4.* Palao *de libert. tract. 2. disp. 1. p. 12. n. 2.* Wiestner *de ijs, quæ vi &c. n. 26.*

Hanc nullitatem sequentibus argumentis evincere conantur. Etiam inferens levem injuriam alteri non potest hanc licitè continuare, sed tenetur hanc injustitiam repellere, quantùm potest: atqui incutiens levem metum intulit injuriam levem: ergo non potest istam continuare: sed non continuat, si rem taliter acceptans restituat, & contractum rescindat; ergo debet hoc facere, & rem in pristinum statum restituere, relinquendo metum passo libertatem reprobandi, vel confirmandi talem contractum.

Responderi ad hoc argumentum potest, negando suppositum quòd hæc injuria ab initio illata continuetur, postquam timorem levem patiens hunc excutere potuisset, & tamen non excussit, sed contractum nihilominus inijt, volenti enim non fit injuria.

Urgent 1: est innegabile, quòd 31 quilibet habeat jus ne alius etiam levi quodam metu, se ad aliquid, quod ipsi est liberum, cogat: ergo levem metum incutiens violat alterius jus, consequenter infert injuriam. R. transeat, quòd intulerit injuriam, negatur autem, quòd continuet, eo ipso enim, quòd metum patiens hunc facilè potuisset expellere, & non expulerit, ac contempserit, sed potiùs contraxerit, cessavit ipsa injuria.

Urgent 2. Tamdiu manet læ- 32 sum jus metum passi, quamdiu non reducitur in pristinum statum: ergo continuatur injuria. R. distinguo antecedens, quamdiu ipso

so invito non restituitur in pristinum statum; concedo: quamdiu ipso etiam consentiente non restituitur in pristinum statum: negatur; cùm facilè potuisset contemnere metum levem, non contemnendo consensit liberè, & spontanè in contractum.

33 Ejusdem contractùs nullitatem probant 2. hac ratione, qui secum contrahentem infra justi pretij dimidium læsit, tenetur defectum pretij supplere in conscientia, vel rescisso contractu, quod accepit restituere, licèt læso in foro externo denegetur actio: ergo idem in nostro casu dicendum. R. nego consequentiam. Disparitas est, quòd prior pergat continuare damnificationem alterius: ergo semper obligatur ad supplendum pretij defectum, vel ad rescindendum contractum: posterior autem, uti vidimus, non pergit continuare injuriam, quia hæc volenti fieri nequit.

34 Urgent: Etsi talis metus facilè potuisset repelli, est tamen metum passo illata injuria: ergo forum internum ipsi est præsidio. Prob. jus naturale dictat, illatorem metûs ad hujus remotionem obligatum esse. R. negando suppositum, quòd injuria hæc continuetur, prout responsio nostra superiùs data declarat.

35 Dico itaque 4. Probabiliùs metu levi extortus contractus ita est validus in conscientia, ut inferens metum non teneatur rescindere contractum; consequenter patiens debeat hunc implere, nec ob impletionem jam factam occulta compensatione uti possit. Ita teste Palao *nobis contrario*. Joannes Medina *Cod. de restit. q. 3. causa 2. versu fiat remissio*. Basil. de Leoni *l. 4. de matrim. cap. 10. n. 5.* Illsung. *tract. 4. disp. 2. q. 6. art. 3. n. 353.* Pontius *l. 4. n. 5. de matrim. cap. 10.*

Prob. concl. 1. Illa obligatio probabiliùs non datur, quæ foret causa innumerorum scrupulorum: atqui hæc foret: ergo &c. Prob. minor. Sæpissimè contingit, ut aliquis levis metus in contractibus ejusmodi interveniat: ergo si daretur obligatio restituendi, quæ sæpè esset difficillima, plurimis scrupulis & injustitijs causa daretur. Confirmatur. hæc obligatio inhæreret rei taliter acquisitæ, consequenter cum re transiret etiam ad tertium: ergo si hic postea resciret, rem hanc per contractum levi metu celebratum ad suum antecessorem pervenisse, esset ille obligatus rem istam metum levem passo restituere, etiam non sine suo damno subinde valde magno.

Prob. 2. Ponamus, quòd contractus cum levi metu celebratus sit magni momenti: vel ergo incutiens metum obligaretur sub gravi culpa ad rescissionem contractûs, vel sub levi tantùm? non sub levi, quia levis culpa non est proportionata obligationi rei magnæ restitutionem concernenti.

Deinde vel talis satisfaceret suæ obligationi levi, vel illi non satisfaceret? si non satisfaceret; æquè parùm esset consultum injuriam levem passo per hanc obligationem levem injuriantis, quàm si illa non daretur: si verò priùs: deberet levem injuriam inferens in effectu eandem difficultatem superare, quam superare deberet, si haberet obligationem gravem, resultantem ex illatione metûs gravis; cùm se ipsum spoliare deberet æquali bono, sive metus incussus fuerit gravis, sive levis: sed neque sub gravi obligandus erit; cùm culpa commissa proportionetur quantitati incussi metûs, & hic fuerit modicus & levis.

Prob. 3. Ante omnem eventum particularem videtur optabilius toti generi humano, ut ex metu tali levi non oriatur obligatio rescindendi ejusmodi contractum, quàm ut oriatur: ergo non datur in foro conscientiæ talis obligatio. Prob. antecedens. Ex una parte est difficillimum spoliare se ipsum re sua, & bono magno jam acquisito ob culpam ejusmodi levem ex incussione metûs levis exortam, præsertim autem est ex parte tertij, ad quem hujus culpæ ignarum ejusmodi res jam pervenit: imò hoc est difficilius, quàm ferre jacturam rei, quàm facilè, si voluisset, potuisset retinere, consequenter spontaneè neglecto metu videtur ultrò dimisisse. Ex altera parte sæpissimè in contractibus levis quædam injuria in alterum contrahentem committitur; consequenter sæpissimè daretur occasio dubitandi, num talis injurians leviter non obligetur ad rem adeo cuilibet difficilem, si ob quamlibet levem injuriam contractus initus non valeret in foro conscientiæ: ergo ob bonum commune videtur natura talem deobligâsse à rescissione contractûs. Confirmatur, qui contrahit ob levem metum, debet potiùs sibi imputare subsequens damnum. Prob. alter non fuit sufficiens causa ad contrahendum impellens.

Præter allatas jam superiùs ra[illegible]tiones, argumenta à nobis allata impugnant adversarij. Potest dici, quòd obligatio rescindendi contractum levi metu extortum sit gravis: ergo nulla est nostra secunda probatio. Prob. antecedens: plenæ deliberatæ damnificationi alterius nihil est magis proportionatum, quàm ut lædens obligetur alteri reparare damnum tantum, quantum illi sciens, & volens, & quidem deliberatè intulit: ergo cùm istud damnum fuerit magnum, etiam obligatio reparandi erit magna; cùm proportionetur quantitati damni. [illegible] nego antecedens. In hujus probatione concesso toto Enthymemate nego suppositum, quòd aliquod damnum alter passus fuerit. Ponimus enim casum, quòd al-

tus

ter ſolam hanc injuriam, nullum verò damnum fuerit paſſus.

37 Urgent: damnum, quod paſſus fuit, conſiſtit in alienatione per donationem: v. g. ſuæ rei, quam alteri non donâſſet, niſi metu levi compulſus ad id fuiſſet. ℟. negando ſuppoſitum, quòd invitus fuerit damnificatus: cùm enim facilè potuiſſet repellere metum levem, & non repulerit, ſpontaneè & ſimpliciter voluntariè conſenſiſſe præſumitur.

38 Ob. 2. Qui levi metu incuſſo læſus fuit, licèt non habeat civilem actionem, & exceptionem metûs, poteſt tamen implorare officium Judicis Eccleſiaſtici, qui deinde in odium inferentis metum ex officio ſuccurrere tali læſo poteſt: ergo talis contractus non eſt in foro conſcientiæ validus, eò quòd ad mandatum Judicis ejuſmodi contractum teneatur reſcindere, ne commodum ex ſua injuria reportet. ℟. conceſſo antecedente, nego, vel diſtinguo conſequens: ergo non eſt validus, ſed revocabilis ad petitionem & condemnationem Judicis obligantis ad reſciſſionem: concedo. non eſt validus, præſcindendo ab hoc mandato Judicis: negatur. pluries contingit, ut aliquis poſt ſententiam Judicis teneatur aliquid facere, quod ante hanc præſtare non debebat. His accedit, quòd Palao *de libert. diſp. 1, pu. 13. n. 2.* advertit, rarò metum levem patienti ſubventurum eſſe officium Judicis, etſi poſſet, ne litibus oſtium aperiatur, & hanc rationem ſufficere, ut Judices juſtè hanc levem injuriam permittant, cùm prælaudato Palao defendit Baſilius de Leonid. relato Paulo Comit. *l. 4. de matrim. cap. 10. in fine.*

Ob 3. Æquitas nequaquam admittit, ut aliquis ex ſua injuria commodum reportet: atqui reportaret incutiens levem metum, ſi contractum taliter initum non teneretur reſcindere. ℟. diſt. Maj. ut aliquis commodum ex ſua injuria reportet abſque condonatione illius ab injuriato facta; concedo. ſi hæc injuria fuerit remiſſa nego majorem & ſic diſtincta minore nego conſequentiam, hoc ipſo, quòd potuiſſet & debuiſſet contemnere levem metum, ſi hunc non contempſit, ſed contraxit, præſumitur condonâſſe injuriam. 39

Ob. 4. Sæpiùs metus levis non minus perturbat hominem, & nolentem ad conſenſum impellit, quàm metus cadens in virum conſtantem: ergo eandem inducit obligationem. ℟. neg. ant. ratio eſt: quia ſi talis metus juſtè tam graviter perturbat aliquem, ac communiter metus extra controverſiam gravis etiam virum conſtantem perturbare conſuevit, eo ipſo erit talis metus gravis ſaltem reſpectivè: gravitas enim metûs accipienda eſt cum reſpe- 40

ctu ad personam cui infertur: ergo metus, qui propter effectionem & dispositionem specialem talis personæ non minùs eam perturbat, quàm alius metus gravissimus perturbat virum constantem, non erit ille levis respectu illius personæ dicendus. Levem igitur metum hic dicimus, qui etiam habita ratione personæ, cui inest, non ita vehementer illam perturbat, sicut metus cadens absolutè in virum constantem perturbare solet, sed tamen homo illi metui libere cedit, & de hoc judicamus, probabilius ex illo procedentem consensum non reddere contractum rescindibilem.

Quorum omnium ratio ultimata est hæc: ex levi metu injuste etiam incusso obtentus contractus non rescindetur in foro externo, prout certum est ex citatis in hoc nostro casu superiùs textibus: ex altera parte in utramque partem probabilis est sententia utraque tam affirmativa quàm negativa: ergo in dubio non est spoliandus alter contrahens, scilicet incutiens metum levem, suo per hunc validum contractum obtento jure, quia certum est, quòd contractus & jure naturali & positivo valeat: insuper certum est, quòd in foro externo denegetur decepto actio: denique non certo ac efficaciter probatur, quòd in conscientia sit ab ipso decepto rescindibilis, cùm rationes pro negante rescissionem sententia sint verè probabiles.

§. V.

Resolvitur quintum Quæsitum.

Num contractus præsentis casûs sit nullus, vel rescindibilis?

UT denique ex hactenus disputatis ad resolutionem propositæ controversiæ transeamus, innuimus sponsum jam fuisse majorennem, & plurium quàm triginta annorum. insuper benè notandum judicamus, quòd sponsus amore suæ sponsæ permotus consenserit, consequenter si non solus amor eundem ad hoc permoverat, saltem etiam nec solus metus rescissionis, sibi & suis consanguineis contumelioſæ, consensum illum sponso extorserat. His & prioribus suppositis.

Dico 1. Supposito, quòd contractus iste in se spectatus & aliàs liberè initus, à jure non fuerit posi-

positivè reprobatus, ex eo quod metu quodam extortus à sponso fuerit, non erat ille invalidus & nullus.

Probatur conclusio. Sive ponatur metus iste fuisse gravis, sive levis, sive justè sive injustè incussus, erit ille tamen validus; constat hoc ex dictis, ubi probavimus, metum etiam gravem nec jure naturæ nec jure positivo invalidare contractum.

42 Dico 2. Talem contractum non esse rescindibilem à sponso sine authoritate Judicis, probatur. neque est rescindibilis eò quod metus, quo videtur extortus, fuerat gravis, neque ex eo, quòd fuerit levis: ergo &c.

Quòd ille metus non fuerit gravis, probatur. si consensus in hunc contractum fuerat gravi metu extortus, tunc etiam matrimonium hoc gravi metu extortum erat, & consequenter nullum: sed hoc neg. ipsimet: ergo &c. prob. maj. idem metus rescissionis familiæ contumelioſæ, simul impulit sponsum ad matrimonium ineundum, & ad contractum concernentem cætera, & eodem modo; quia videbat, non posse se unum consequi absque altero: ergo &c. Confirmatur: si alicui à Latrone minitaretur mors: quando in uxorem suam filiam non duceret & omnium bonorum societatem cum hac iniret, metus iste indivisibiliter compelleret ad utrumque: ergo & in priore casu.

Dices: ad matrimonium ineundum jam erat antea determinatus & liberrimè quidem ipse sponsus: ergo non potest dici, quòd ad hoc coactus fuerit. n. dist. ant. fuit ad matrimonium in alijs circumstantijs & sine his conditionibus ineundum determinatus: concedo. etiam in his & cum his conditionibus negatur. qui metu gravi compellitur ad ducendam ab alio corruptam, cum qua adhuc integra prius sponsalia contraxerat, ex omnium consensu coactè celebrat matrimonium: ergo non obstant priora sponsalia coactioni, si ob mutatas circumstantias jus desistendi ipse sponsus obtinuerat.

Sed neque ob incussionem le- 43
vis cujusdam metus datur facultas rescindendi proprio motu hunc contractum. probatur. ut habeat jus propria authoritate rescindendi contractum validum, qualem metus relinquit, & alteram partem privandi suo jure acquisito, debet illi certum esse, quòd gaudeat hac facultate, quia in dubio est melior conditio possidentis, & nemo privandus est in dubio suo jure: insuper nullus debet esse Judex in propria causa: atqui non est certum sponso, quòd habeat jus dissolvendi hunc contractum: ergo &c. prob. min. quòd metus levis efficiat contractum rescindibilem, non est cer-

rum, cùm plures Authores & ratio eis probent contrarium : 2. Non est certum, quòd metus levis saltem injustus fuerit incussus, & si hunc incussum ponamus, non constat, quòd ex hoc secutus fuerit consensus & non potius ex nimio amore in sponsam: ergo &c. Quòd non fuerit certo injustus, probatur. cuilibet est liberum sub his vel alijs conditionibus concernentibus communionem bonorum inter conjuges inire matrimonium, etsi istas altera pars acceptare recusat à matrimonio contrahendo desistere: ergo, si hoc sponsa fecerat, usa fuerat jure suo, consequenter nullam injustitiam commisit.

Oppones : saltem non debuisset ad ultimum hoc tempus differre, sed antea agere cum sponso de similibus negotijs. Respondetur, ipsum sponsum sibi imputare debere, quòd non antea sponsam, & tutorem illius de hoc monuerit, cùm major prudentia viro, quàm fœminæ inesse videatur, consequenter hæc omnia fuerunt ipsi voluntaria.

Æquè dubium est, num ex metu potiùs, quàm nimio amore sponsæ compulsus consenserit Medardus, quin ipsa substantia casûs indicat, quòd sponsus non ex metu, bene autem ex amore sponsæ consenserit in conditiones à Tutore propositas.

44 Sed dices : saltem ipsi parentes & reliqui consanguinei sponsi ex hoc metu consenserunt in hunc contractum. R. valorem hujus conventionis nequaquam dependere à consanguineis, parentibus &c. probatur, ipse sponsus jam erat major 30. annis: ergo non amplius subditus patriæ potestati : ergo poterat de suis rebus ad arbitrium suum disponere irrequisitis imo etiam repugnantibus suis parentibus,

Dices 2. Innegabile est, quòd non adfuerit perfecta libertas, n. dist. quòd non adfuerit perfecta id est necessaria ad valorem contractûs, ut hic subsistat, & propria authoritate à læso rescindi nequeat, nego. quòd non adfuerit perfecta libertas hoc est absolutè & perfectè voluntaria, carens omni involuntario secundum quid : concedo antecedens & nego consequentiam, ut subsistat contractus, nequaquam requiritur, ut neque secundum quid sit involuntarius : ergo ex hoc, quòd adfuerit aliqua inefficax inclinatio in contrarium nihil infertur.

Dico 3. Talis contractus, neque in foro externo à Judice rescindi poterit. probatur, in foro externo juxta superiùs dicta ob metum levem non rescinduntur contractus, Dein metus iste non fuit gravis, ac denique. 3. Nec constat sufficienter, quòd sponsus non potius ex amore sponsæ, quàm metu rescissionis sibi contumeliosæ contraxerit, & si ponamus ex metu consensisse, non con-

constat, quòd hic fuerit injustus: ergo non potest rescindi; quia in dubio non licet Judici privare aliquem suo jure certo.

Quòd non fuerit gravis; probatur. ut sit metus gravis, debet malum imminens esse magnum, & non facilè avertibile ac evitabile à patiente metum: atqui hoc malum erat facillimè evitabile, probatur minor. malum imminens erat infamia, quæ toti familiæ ex rescissione sponsalium apud universam urbeculam imminebat, atqui hæc facillime poterat evitari, si nimirum causa, ob quam rescissio erat facta, cæteris incolis significaretur: hac enim ratione totam & omnem invidiam uti etiam dedecus in tutorem fuissent derivata. 2. Hæc ipsa rescissio etiam sponsæ fuisset contumeliosa: ergo par utriusque partis erat conditio.

Manet itaque contractum hunc, si sepositio metu à juribus non fuerit reprobatus, vi metus, quem adversa pars incussisse falsò accusatur, nequaquam invalidum, aut rescindibilem fuisse.

CASUS XXX.

De Pactis Dotalibus.

FRanciscа, cùm vellet matrimonium cum Francisco contrahere, in pactis dotalitijs exigit, ut si maritus ante se mortuus sine liberis fuerit, ipsa jus habeat succedendi in omnia bona defuncti; condicit sponsus cum patre, quin tamen reciprocè ad talia obligata fuerit Franciscа.

Q. 1. Num hic contractus sit nullus ob suam inæqualitatem?

Q. 2. Si ista pacta mixta fuerint, an subsistant?

Q. 3. An valeant, si fuerint simplicia?

CA-

SYNOPSIS.

§. I.

Præcognita.

1. Quid nomine dotis veniat ?
2. Quid nomine contradotis ?
3. Quid sint pacta dotalia ?
4. Divisio pactorum dotalium ?
5. Ex quo desumendum, qualia fuerint.
6. Ut sint mixta non sufficit qualiscunque mentio de morte.

§. II.

Resolvitur primum Quæsitum.

An iste contractus ob suam inæqualitatem sit nullus ?

7. De Jure communi inter dotem & contra dotem est æqualitas observanda.
8. Invaluit tamen de facto consuetudo contraria.
9. Uxori neque ex testato neque ex intestato aut ex contractu competere aliquod jus succedendi conantur hæredes Franciſci evincere.
10. Ostenditur falsitas hujus argumenti.
11. Quia contrados non debet esse æqualis doti.
12. Nec obest contractui, si jus succedendi non habeat rationem dotis.
13. Neque ullum jus naturale aut positivum.
14. Aut quod talia pacta occasionem dissidijs inter conjuges præbeant.
15. Et 16. Solvitur ratio adversariorum n. 9. proposita.
17. Pacta inæqualia post, non autem ante matrimonium inita non valent.
18. Contractus à sponsis initus valet, etsi in tempus mortis sit relatus.
19. Nec præjudicatur per illam consanguineis mariti.

§. III.

§. III.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An hac pacta dotalia, si mixta fuerint, subsistant?

20. Debitis solennitatibus instructus hic contractus valet.

21. Licèt non fuerit reciprocè ex utraque parte ad successionem obligans.

22. Est tamen non merè gratuitus, sed onerosus.

23. & 24. Satisfit 2. objectionibus.

25. Ad valorem tamen illius quinque testes fuerunt necessarij.

26. Revocari tamen ad libitum à marito etiam invita uxore ante mortem poterit.

§. IV.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An valeat, si fuerit simplex pactum?

27. 28. 29. Afferuntur rationes pro illius nullitate.

30. Probatur valor tamen illius.

31. 32. 33. Satisfit rationibus oppositis.

§. I.

Præcognita.

SCiendum 1. nomine dotis venire quidquid datur aut promittitur marito nomine uxoris ad sustinenda onera matrimonij, id est ad alendam uxorem, communes liberos, & familiam &c. 1

Sciendum 2. Contradotem autem, seu donationem propter nuptias vocari, quod maritus vel alius nomine mariti dat uxori in compensationem vel securitatem dotis: *Leg. ultima Cod. de donat. inter virum & uxorem.* 2

Sciendum 3. pacta dotalia vocari conventionem mutuam, qua conjuges suam intentionem de dote conservanda vel retinenda vel etiam de bonis cæteris, eorúmque acquisitione declarant, in nostra lingua patria vocantur Ehe-Pacten 3

Ehe-Beredungen / Heyraths-Spruch.

4 Sciendum 4. pacta dotalia dividi in simplicia atque in mixta, quando contractus manent in terminis contractus & actûs inter vivos celebrati, dicuntur *simplicia* quòd, si autem in actum ultimæ voluntatis transeant, continentia futuram conjugum successionem, *mixta* vocantur.

5 Sciendum 5. ut agnoscatur an simplicia vel mixta pacta dotalia fuerint, attendendum esse modum, quo in paciscendo contrahentes usi fuerunt. Hinc si terminos adhibuerunt actibus inter vivos celebrandis proprios vi *legis verba 20. ff. de V. S.* pactum habendum erit pro simplice, sin ex oppositio usi fuerint terminis, qui ultimis voluntatibus conveniunt, pactum habendum pro mixto, *ita* Stryck. *de cautel. contract. Sect. 3. cap. 8. §. 20.* Miller *ad* Struvium *exercit. 30. th. 19. in not. per totum* P. Schmier *lib. 4. tract. 2. cap. 4. §. 4. n. 15. & 16.* termini autem, queis ultimam voluntatem declaramus, solent esse v. g. succedere Jure hæreditario, capere hæredem instituere &c. Erben einsetzen / succedren &c. contractibus autem inter vivos celebratis conveniunt ut proprij, contrahere, paciſci, convenire abhandlen / vergleichen / abreden ꝛc.

6 Sciendum 6. Monere Authores nequaquam omnia illa pacta, in quibus mentio mortis facta est, contractibus mixtis esse annumeranda. Hinc pactum simplex adhuc futurum, in quo conjuges inter se paciscuntur, ut unus post mortem alterius dimidiam partem lucretur; rationem dant, quòd tempus mortis in tali pacto fuerit adjectum, ut executionem eo usque suspendat, minimè autem, ut huic pacto vim tribuat. Iu cum Lauterbach. *ad tit. de pactis dotalibus: §. 3.* P. Schmier *loco cit. 57.* Schmalzgrueber *de donat. inter virum &c. n. 77.* idem Stryck *cit. loco §. 7.* P. Schmier, Schmalzgrueber advertunt posse negotium in terminis simplicis pacti consistere, licèt in hoc vox hæres, vel hæreditariè germanicè erblich reperiatur. Pro ratione hujus asserunt, quòd contrahentes, & sibi, & hæredibus consulere velint. Hinc sæpiùs etiam in contractibus mentionem hæredis faciant.

Cùm ergo juxta modò dicta contractus noster dotalitius, eò quòd in se contineat jus succedendi in omnibus demortui sine hærede sponsi, possit esse vel simplex vel compositus, hinc instituti quæstiones possunt, num ille sit validus, posito quòd sit mixtus, vel si foret simplex. Statuitur.

§. II.

§. II.

Resolvitur primum Quæsitum.

Num istius contractûs valori obstet inæqualitas dotis ad contradotem ?

SUpponimus sponsum esse adeò opulentum, ut dotem à sponsa aliatam multùm superet: utrum igitur hæc inæqualitas contractum non annuliet, non immeritò examinatur.

7 De jure enim communi dotis, & donationis propter nuptias æqualitas certò est servanda, *juxta Authent. dos data Cod de donat. ante nuptias*, & *in authentica, æqualitas : Cod. de pactis conventam super dotem.* Fachinæus *p. 2. operis in controversijs juris pag. 241.* adducit integrum textum authenticæ de æqualitate dotis, & donationis propter nuptias.

8 Cæterum his non obstantibus *docent* Gaill. *2. observat. 78.* Lauterbach. *ad tit. ff. de J. D. §. 41.* P. Schmier *§. 6. cit. 4. capitis*, consuetudinem, & nonnullorum locorum statuta contrarium indicare, admitti etiam inæqualitatem inter dotem & donationem propter nuptias. Præfatis Authoribus accedunt Panormitanus *in cap. donatio : de donationibus inter virum & uxorem.* Boër *decis. 22. n. 20. part. 1.* Guido *decisi. 265. n. 4.*

Ratio hujus adeò universalis opinionis est, quòd ejusmodi lex sit dispositio aliqua merè humana : sed merè humana lex potest contraria consuetudine nec non statuto quodam particulari aboleri.

Quin imò Layman *in sua summa lib. 3 tract. 4. cap. 13 num. 10.* testatur, citatæ authenticæ dispositionem de facto plerumque non observari, quod ipsum testantur Abbas *in cap. ult n. 12. de donat. inter virum & uxorem.* Nicolaus Everhardus *tom. 1. consil. 40. num. 47.* eò quòd fieri soleat, ut nulla constituatur donatio propter nuptias, vel non æqualis doti, sed minor vel major vel sub alia forma. Denique bene notandum Andream Gaill. *lib. 2. observ. observ. 78.* testari, hanc æqualitatem dotis, & donationis propter nuptias hodie ex generali quadam omnium ferè locorum consuetudine non observari, sed fieri disparia pacta non solùm quoad constitutionem, & præstationem, verum etiam quoad pacta lucrorum.

His pro fundamento suppositis audienda est ratio, qua maritus

probare contendit uxori sponsæ nequaquam vi hujus contractus aliquod jus competere ad successionem omnium bonorum suorum post suum ex hac vita sine prole discessum. Sic itaque argumentatur.

9 Uxor Franciscæ nec succedit ab intestato, ut per se clarum est, & à nobis etiam conceditur non ratione dotis; & contradotis, neque ex ullo privato contractu: ergo &c. Antec. quoad 2. partem probatur. In ratione dotis, & contradotis attenditur, si non stricta saltem proportionata æqualitas, ita ut contradotis quantitas dependeat ex conventione quantum dotis uxor dare, & maritus recipere velit: *argum. Legis. si ego §. 2. ff. de jure dotium.* ergo ratione dotis, & contradotis non potest exigere jus ad successionem omnium penitus bonorum defuncti sine hærede mariti. Prob. consequentia. Dos Franciscæ est multùm improportionata ipsius mariti, cùm ab his multùm excedatur omnibus penitus, & quibuscunque bonis: ergo cùm proportio inter dotem & contradotem, atque aliqua æqualitas sit instituenda, non potest hanc successionem in omnia bona exigere ratione dotis & contradotis.

Prob. tertium membrum argumenti asserens Franciscam, neque ex contractu privato habere jus quodpiam ad prædictam successionem: tales privati contractus cum lites foveant, non respiciuntur, sed ex contractibus, qui non respiciuntur, ut fomentum litium non producitur ullum jus: ergo &c.

Hoc argumentum, ut dissolvamus, simúlque valorem contractûs nostri ostendamus, ante omnia videndum, utrum hæc successio in omnia bona defuncti sine hærede mariti sit constituta, ut aliqua contrados propter dotem sponsæ, vel aliud quidpiam pro contradote assignatum: & supra hanc assignatam dotem, etiam hoc jus succedendi expetitum, & à marito concessum fuerit. Si primùm dicant adversarij, tunc sic argumentor. 10

Si Franciscæ non posset præterdere, atque exigere hanc successionem tanquam sibi assignatam contradotem, tunc ideo, quia Leges Civiles præcipiunt, ut contrados, seu ipsa donatio propter nuptias, sit proportionata atque æqualis acceptæ doti: hæc autem successio tanquam aliquid multò majus non est proportionata, & multo minus æqualis: atqui hæc ratio nulla est: ergo &c. Prob. min. ex præmissis constat, Legem Civilem, quæ vult, ut contrados sit æqualis doti acceptæ, jam esse generali quadam consuetudine contraria legitimè, ac validè abolitam, & abrogatam: ergo licèt hæc assignata contrados sit inæqualis improportionata, & multò major accepta dote, non tamen 11

men contractus iste erit nullus, atque invalidus.

Si adversarij contendant præter hanc successionem insuper aliud quidpiam pro contradote fuisse assignatum; tunc ulteriùs quæro: vel concedunt adversarij, hoc jus succedendi esse partem aliquam totius contradotis; vel negant illud esse partem? si asserant esse partem, tunc argumentum mox factum etiamnum procedit; quia non obsunt improportio, inæqualitas, ac magnus ille excessus contradotis supra dotem: si negent hoc jus habere rationem partialis contradotis, tunc examinandum erit instrumentum erectum initi contractûs nuptialis, & quid ex tenore verborum concludi debeat, eruendum. Quòd si autem etiam constaret concessum hoc jus succedendi nullam rationem etiam partialis tantummodo contradotis habere, tunc ulteriùs ita promovetur argumentum.

12 In contractu nuptiali licitum est sponsis non solùm dispositionem, & certum quoddam pactum inire circa dotem, & contradotem, sed etiam circa alia. Hinc P. Jacobus Wiestner *lib. 4. decret. in tit. 20. n. 17.* plures Authores allegat, consentientes validam esse renuntiationem lucrorum constante matrimonio quæsitorum, & quærendorum, ab uno in favorem alterius conjugis factam ante matrimonium: quod non tam donatio sit, quàm contractus onerosus; cùm integrum sit cuique matrimonium, non nisi sub certis conditionibus futura lucra spectantibus inire.

Confirmatur juxta Layman. *lib. 3. tract. 4. cap. 13. n. 10. ex cap. ultimo de donationibus inter virum, & uxorem, atque ex Lege morte Cod. de pactis conventis* colligitur, si pactum intercessit de dote lucranda post mortem uxoris; intelligitur etiam interpositum de lucranda donatione propter nuptias post mortem mariti: ergo in talibus pactis potest conveniri, etiam de dote, & donatione propter nuptias lucrandis post mortem, consequenter etiam de alijs, quàm de communi, atque ordinaria constitutione dotis & contradotis. Confirmatur 2. Juxta Andream Gaill. *lib. 2. observ. 78.* ex generali quadam omnium ferè locorum consuetudine fiunt disparia in hoc contractu nuptiali pacta etiam quoad pacta lucrorum; ergo cùm hic agatur de lucro impari, valebit contractus: Quòd autem tales consuetudines juri communi derogantes valeant, Gail. *observ. citata n. 2. asserit esse certum per textum in cap. donatio: de donation. inter virum & uxorem:* ubi Panormitanus *num. 6. & 12.* Rollanus à Valle *in tract. de dote q. 10. n. 6.* item Guid. *decis. 565 n. 4.* attestatur, dictæ Authenticæ æqualitatem hodie de consuetudine observari.

83 Probatur ejusdem contractûs valor secundò hac ratione. Iste contractus neque est jure naturali irritus: neque jure positivo infirmatus: ergo valet: antecedens quoad primum membrum probatur. Ad valorem contractûs jure naturæ nil aliud requiritur, quàm duorum pluriúmve in idem placitum consensus: sed hic adfuit: ergo &c. Si dicas esse jure positivo irritatum: tunc erit tibi adducenda Lex positivè irritans ejusmodi contractum, cùm affirmanti incumbat probatio. Dein probandum tibi erit, quòd Lex adducta sit irritans, & non merè prohibens: item si irritans etiam afferretur, tunc vel illa irritat omnem contractum inæqualem, vel determinatè inæqualem ob successionem uni parti competentem in omnia bona alterius compartis: si primum horum asserat, allata demonstrant Legem istam contraria consuetudine abrogatam; quod ipsum etiam circa alterum consuetudo demonstrat. Dein vel hæc Lex irritat contractum omnem, qui alteri jus dat ad successionem in omnia bona quomodocunque, sive titulo donationis propter nuptias, sive sine hoc titulo? vel tantùm irritat, si non fuerit datum sub titulo donationis propter nuptias? si dicas hoc posterius, erit illa jam abrogata, cùm ex probatis constet taliter factos contractus subsistere. Si prius asseras, ostendenda erit tibi Lex ista irritans duntaxat successionem in omnia bona defuncti, casu quo hæc non fuerit concessa sub titulo donationis propter nuptias, quæ verosimiliter nulla erit; cùm non appareat ratio irritandi taliter factum pactum succedendi, approbandi autem, vel permittendi in suo valore, si sub titulo donationis propter nuptias fuerit deducta successio.

Hæc omnia confirmamus non inefficaciter ex eodem Gaill. n. 5. citatæ observationis 78. ubi ait inæqualitatem donationis & donationis propter nuptias etiam de jure communi subsistere posse, si hujusmodi pacta de lucrando dotem, vel donationem propter nuptias in casu non existentium liberorum fiant in ipso tractatu matrimonij antequam matrimonium contrahatur per verba de præsenti: rationem hujus reddit, quia jura communia duntaxat prohibent ejusmodi pacta constante matrimonio facienda, eo quod tunc donationem sapiant, quæ inter virum & uxorem prohibita est, ne mutuo amore se spolient, quæ ratio cessat in matrimonio necdum contracto, cùm non entis nullæ sint qualitates, cùm ergo hæc conventio in ipso tractatu matrimonij, antequam nuptiæ contraherentur per verba de præsenti; hinc non erit illa à jure communi annullata.

84 Dicunt: ejusmodi contractus occasionem suppeditare perpetuis jur-

jurgijs, dissensionibus, & inimicitijs conjugum: ergo illi non subsistent, sed à jure reprobati fuerunt. Contra est, quæcunque alia inæqualitas in hoc pacto commissa potest occasionem suppeditare talibus jurgijs, & tamen tales inæqualiter gravantes contractus sunt validi. 2. Idem hoc totum procedit, si successio in omnia bona defuncti per modum donationis propter nuptias fuerit in pactum deducta, & tamen ista valet ex probatis. 3. Ex eo quòd ejusmodi inæquales contractus præbeant occasionem memoratis malis, solummodo sequitur, quòd possint irritari à legibus: non autem bene infertur, quòd jam sint à lege quadam irritati: ergo antequam talis lex positivè irritans & nondum abrogata fuerit allata, pacta ejusmo-
15 di dotalia non erunt irrita.

His ita probatis supereſt, ut ad solutionem argumenti ab adversarijs propositi procedamus. ℟. ad probationem secundi membri nego antecedens, quòd scilicet necessariò observanda sit aliqua proportio & æqualitas intra dotem & contrà dotem, prout patet ex rationibus nostris, negato autem ut falso hoc antecedente corruit etiam totius argumenti vis.
16 Ad tertij membri probationem dico, competere uxori jus quoddam ratione hujus privati contractûs, quem cùm nulla jura invalidum declarent, illo standum erit quando autem dicunt, privatos contractus non respici à juribus: vel volunt nullum contractum privatum respici à juribus, vel hunc solùm non respici à juribus? si hunc solum volunt non respici à juribus, debent hoc non nudè affirmare, sed ex textu quodam probabile reddere, si dicant, nullum talem à LL. respici, videntur dicere contrarium communi praxi & doctrinæ doctorum, dein quid est, vel quid significat to non respicere, vel idem significat, an non valere, esse irritata talia privata pacta: vel aliquid aliud iste terminus significat? si primum: irritatio talium pactorum non nudè asserenda erit sed probanda, si aliud hoc verbo significari velint, proferunt, denique etsi talis contractus ut privatus & distinctus à nuptiali non subsisteret, ducimus, eundem juxta probata subsistere in ratione pacti dotalis.

Objiciunt ulterius talia pacta 17
sunt disparia: sed pacta disparia inter conjuges non valent ergo &c. ℟. concedo majorem, nego minorem, vel distinguo: pacta inter conjuges post matrimonium contractum inita, si sint disparia, non valent. concedo. si ante matrimonium in pactis dotalibus fuerint inita, negatur minor, & consequentia. Ita And. Gaill. *l. 2. observ. 88. n. 5.* disparitas inter utrumque talem contractum est, quòd inæqualia pacta tempore matri-

matrimonij inita sapiant donationem, quæ inter virum & uxorem est prohibita, ne mutua amore se spolient: hæc autem ratio cessat matrimonio necdum contracto, Dein non entis per vulgaria nullæ sunt qualitates, sed tempore quo fiunt pacta dotalitia necdum datur matrimonium: ergo pro illo tempore neque dabuntur qualitates illius, inter quas est impedire inæquales contractus: hæc ergo disparitas vel maximè servit juxta Gaill. *ad præditam authent. æqualitas*, & alia jura concordanda.

18 Objicitur præterea, talis donatio est relata in tempus mortis: sed donatio relata in tempus mortis inter conjuges facta est invalida: ergo &c. ℟. nego minorem: valere enim talem contractum docemur *Leg. quia in hoc 10. ff. de donat. inter virum & uxorem.*

19 Objicitur 2. Contractus qui est in præjudicium tertij initus, est invalidus: atqui hic fuit in præjudicium tertij initus. probatur minor. fuit initus in præjudicium fratrum mariti, qui hoc facto amiserunt omnem spem adeundi hæreditatem hujus sui fratris. ℟. nego minorem: ille enim contractus est solùm in præjudicium tertij initus, qui tertij cujusdam juri quæsito nocet, & damnum affert: atqui fratres ante mortem hujus fratris nullum habent adhuc jus in bona sui fratris jure hæreditario possidenda. Dein ex hoc sequeretur, talem maritum non posse in vivis ullam dispositionem aut donationem, facere circa sua bona, aliud esset si haberet bona, quæ in majoratum erecta fuissent, vel feudalia aut Emphytevtica essent.

§. III.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Num hæc pacta dotalia si mixta fuerint, subsistant?

Diximus §. 1. sciend. 4. mixta vocari, quæ in actum ultimæ voluntatis transeunt, in quantum continent futuram conjugum successionem.

20 Dico 1. Si hoc pactum requisitis ad pacta dotalia mixta solennitatibus fuerit instructum, idem est: validum. Ita *apud* Palaum *de Just. disp. 2. pu. 25. §. 9. sentiunt* Joanes Lupus, Antonius Gom. Guttier *de juram. 1. p. cap. 5. n. 26. & 27.* Sanchez *de Matri. disp. 10. n. 3. & teste eodem* Palao *omnes* fundatur nostra assertio *in Lege sed interim, §. sed quod dicto*

dicet ff. de donat. inter virum & uxorem.

Reſponderi ad hanc rationem poterit in citatis LL. eſſe ſermonem de reciprocis obligationibus vi quarum uterque conjugum ſuccedit in bona prius defuncti: in noſtro autem caſu ſola uxor in bona demortui prius mariti ſuccederet, non autem iſte viciſſim in bona defunctæ ſine prole uxoris.

21 Ad hæc reponimus concedendo totum; Judicamus autem ex his etiam valorem noſtri contractus dotalitij non incongruè deduci; cùm enim plura in genere donationum liceant ſponſis quàm actu jam conjugatis, hinc ſi licitum eſt conjugatis mortis cauſa donare vel legare comparti ſua bona poſt obitum, erit id pariter conceſſum etiam ſponſis, nec obſtat, quòd iſta obligatio non ſit mutua, ſuppoſita enim licentia prioris donationis, non amplius ſupereſt ratio dubitandi de licentia donationis non reciprocæ.

22 Imo ita poſitivè pro valore talis non reciprocæ ac mortis cauſâ factæ donationis omnium bonorum formari poteſt argumentum. Ideo reciproca donatio inter conjuges facta valet, quia non eſt mera & pura donatio: atqui etiam noſtrum dotalitium pactum non reciprocum etiam non eſt mera donatio, quia habet rationem contradotis, & datur intuitu matrimonij animo conciliandi ſibi arctiùs affectum ſponſæ.

Probatur concluſio noſtra ſecundo. Molina ex communi ſententia *defendit lib. 2. de primogenitura c. 10. n. 17.* item alter Molina Jeſuita *diſp. 180. §. dubium poſtremo eſt.* Palao *de Juſt. diſp. 2. pu. 24. §. 1. n. 9.* donationem omnium bonorum oneroſam & ob cauſam non eſſe prohibitam, eò quod deficiat à natura & conditione propria donationis: ex altera verò parte decreta odioſa & libertatem reſtringentia debent interpretari ſtrictè: atqui contrados habet rationem donationis oneroſæ: ergo &c.

Probatur concluſio noſtra tertio. Omnis ille contractus eſt validus, qui nullo jure naturali aut poſitivo reperitur irritatus, atqui contractus iſte eſt talis: ergo &c.

Probatur. ſi hæc donatio foret invalida, ratio foret, quia eſſet donatio omnium bonorum, quæ à juribus annullatur: ſed noſtra donatio non eſt donatio omnium bonorum à jure annullata, probatur minor, donatio abſoluta omnium bonorum tam præſentium quàm futurorum facta inter vivos eſt ſolumodo annullata: ſed noſtra non eſt talis. probatur minor: tantum fit abſoluta, ſi nulli liberi fuerint nati, & maritus deceſſerit taliter ante uxorem: ergo &c.

Confirmatur. ideo donatio omnium bonorum inter vivos est annullata, quia aufert potestatem testandi, & donantem reddit miserum: atqui hæc non præstant donationes mortis causâ. probatur minor. talis donatio & contractus est semper usque ad mortem revocabilis: ergo &c.

23 Ob. tale pactum de succedendo reprobatum est inter privatos ob periculum captandæ mortis. *Lege licèt: Cod. de pactis:* ergo. R. cum distinctione. est prohibitum inter alios privatos, quàm inter conjuges: concedo. etiam inter istos. nego. ratio hujus posterioris est, quòd hoc periculum captandæ mortis minuat, imò omnino tollat mutuus conjugatorum amor.

24 Ob. 2. *in Lege Hæreditas 5. Cod. de pactis conventis* reprobantur pacta dotalia mixta ergo. R. distin. reprobantur, ut tamen consuetudine sustineantur, concedo. ut hac non sustineantur, nego. ita Stryk. *in usu mod. ad tit. de pactis dotal. §. 3.*

Dico 2. ad valorem ejusmodi pactorum dotalium mixtorum, non secus ac ad alias ultimas voluntates de substantia, & illorum solennitate requiruntur quinque testes, *ita habetur lege ultima §. ultimo Cod. de codicillis* Strik. *de cautel. sect. 3. cap. 8. § 16. & sequent.* Schmier *l. 4. de Matrim. tract. 2. cap. 1. sect. 4. n. 51.* 25

Dico 3. Ejusmodi pactum mixtum dotalitium ad instar alterius voluntatis ultimæ mutationem & revocationem admittit etiam non consentiente uxore seu altero conjuge, habetur in *Lege quod si iterum 4. ff. de adimend. vel transf. Leg.* idem sentiunt Lauterbach *ad tit. ff. de pactis dotal. §. 14.* Strick. *cit. cap. 8. §. 20.* 26

§. IV.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An valeat hoc pactum dotalitium, si fuerit simplex, & non mixtum?

Diximus superiùs simplex pactum dari, quando contractus manet in terminis contractûs, & actûs inter vivos celebrati.

27 Dubium valorem hujus nostri pacti dotalitij inter alia efficit primò, quantitas donationis propter nuptias nec major nec minor debet esse ipsa dote: atqui hoc in casu foret major:

Secundò ex communi omnium sententia est prohibita donatio omnium bonorum tam præsentium quàm futurorum: sed nostra donatio foret talis: ergo &c. 28

Ter-

29 Tertio: cùm Reipublicæ vel maximè expediat, ut ſuis civibus conveniat facultas teſtandi: ideo reprobata eſt omnis donatio adimens poteſtatem teſtandi: ſed hic contractus adimeret poteſtatem teſtandi: ergo &c.

30 Dico nihilominus probabilius noſter contractus dotalitius etiam ut ſimplex ſubſiſtit, probatur. jure naturæ certo ſubſiſtit, cùm ad hoc non aliud requiratur, quàm liber utriusque in eandem rem conſenſus: ergo cùm nulla lege poſitiva irritatus legatur, erit abſolutè validus.

Probatur 2. Si non valeret, ratio foret, quia donationes inter conjuges ſunt nullæ: hæc ratio nulla eſt. Probatur min: hæ donationes non ſunt factæ inter conjuges, ſed inter ſponſos, dein hæ donationes non habent rationem propriæ donationis, quæ eſt conceſſio alicujus rei alteri prorſus gratuito ac liberaliter facta, habet enim rationem contradotis, quæ eſt donatio uxori facta in ſecuritatem ac remunerationem dotis: ex hac ratioae donationes remuneratoriæ quoque inter conjuges nequaquam ſunt annullatæ.

31 Ad rationes in contrarium allatas, & quidem ad 1. dico ipſa praxi & conſuetudine contraria introductum eſſe, ut contrados poſſit eſſe major dote, prout ex alibi dictis in hoc caſu jam inſinuavimus.

32 Ad alterum argumentum repono, abſolutam & actu dominij translativam donationem omnium bonorum tam præſentium quàm futurorum eſſe anullatam: hanc autem de qua loquimur eſſe donationem conditionatam, & pendentem à diſceſſu mariti ſine liberis, quod autem conditionata tantùm, & durante vita donatoris nunquam in abſolutam tranſiens donatio etiam omnium bonorum non ſit irritata, colligitur ex rationibus, ob quas nullitas talis contractûs abſoluti à LL. fuit introducta, quæ videri apud authores poſſunt, quas inter præcipua eſt, ne talis omnibus ſuis ſpoliatus pauperem ac miſerabilem vitam cogatur vivere, quod in caſu noſtro nequaquam accidit.

Ad tertiam dico: licèt talis maritus teſtari non poſſet, omnes tamen donationes in vivis poſſet facere, reſque ſuas in alios prout voluerit, transferre. 2. omnes concedunt, poſſe ſponſos validè in ſuis pactis dotalibus ſe mutuo obligare, ut ſuperſtes ſit hæres ex aſſe bonorum, quæ alter illorum abſque hærede diſcedens reliquerit: atqui etiam talis non poteſt teſtari: ergo &c. 3. talia pacta non ſunt ita intelligenda, ut nullam omnino facultatem legandi ad pias cauſas habeat: ergo ſaltem ad iſtas teſtari, ſeu legatum facere poterit. 4. Poteſt habere hunc ſenſum, ut ſi ab inteſtato improles diſceſſerit, nullum jus ſuccedendi aſcendentes, & collaterales conſanguinei habeant. 33

CASUS XXXI.

De Contractu colligendi Decimas.

QUidam Parochus prætendit decimas, quas Nobilis jam plures, quàm centum annos, scilicet ab anno 1574. quo terra illa novalis facta fuit, usque ad currentem annum percepit. Nobilis autem non vult cedere decimas ob transactionem ab utriusque antecessoribus factam, etiam plus quàm ante centum annos. Huic tamen ex omni parte contradicit Parochus, tum quòd facta transactio debitis solennitatibus fuerit destituta; tum quòd Nobilis eandem non servaverit, sed perpetuò ad exemplum antecessorum mutaverit, licèt semper etiam antecessores Parochi contra hoc protestati fuerint. Nobilis his rationibus convictus partem decimarum Parocho vult cedere.

Q. 1. Quid de jure hujus Nobilis ad has decimas sit tenendum?

Q. 2. Num pacto cum Parochis inito Nobilis potuerit eximi ab onere solvendi decimas ex proprijs suis bonis?

Q. 3. An & quo tempore immunitas decimarum præscribi possit?

Q. 4. Utrum Parochus ob inopiam litigare non potens hoc pactum inire possit?

Q. 5. Num Nobilis ex hoc novo pacto in conscientia tutus sit, cùm in illud Parochus tantùm coactus, & non liberè consentiat?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Quid de jure hujus Nobilis ad decimas sit tenendum?

1. *Laici possunt decimas percipere duplici modo.*
2. *Jus decimandi vel transactione vel pacto acquiri potest.*
3. *Jus decimandi aliud est primarium, aliud secundarium.*
4. *Nullæ decimæ sine authoritate Ecclesiæ possunt concedi non fungenti Ministerijs Sacris.*
5. *Quilibet Parochus potest vel libere vel ex pacto fructus decimarum ad dies suæ vitæ concedere laico.*
6. *Minimè tamen in perpetuum, & pacto etiam successores suos obligante.*
7. *Etenim ad istud præter consensum superioris insuper necessaria est justa quædam causa.*
8. *Hæc causa, quòd in alienatione adfuerit, non sola assertione, sed aliundè probanda est.*
9. *Hinc sine ista etiam consentiente Episcopo facta alienatio non subsistit.*
10. *Non obstante* cc. requisivit 1. & Auditis 3. de in integrum restitutione.
11. *In dubio, quòd hæ duæ adfuerint conditiones, incumbet probatio Laico.*
12. *Prædictas decimas centum annorum, licèt Nobilis collegerit, præscribere illas tamen non potuit.*
13. *Nec quoad jus spirituale, nec quoad materiale decimandi.*
14. *Hinc ante omnia Parochus in integrum restituendus erit.*

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Utrum Parochus ob inopiam litigare non potens, hoc pactum inire possit?

15. *Responsio est affirmativa de pacto cum Parocho ad hujus vitæ dies inito.*
16. *Non autem in perpetuum sine consensu legitimi Superioris.*

17. Quòd si non fuerit merè gratuita, & cum consensu legitimi Superioris facta etiam in perpetuum, potuit illa esse absolutè valida obligans etiam successores.

18. Horum autem probatio incumbet Nobili, non autem Parocho.

19. Nec sublevat à probatione Nobilem possessio.

20. Eadem solennitas (si necdum illam præscripserit) probanda erit Nobili volenti exemptionem à decimis ex suo prædio solvendis.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An & quando tempore immunitas decimarum præscribi possit?

21. Immunitatem istam etiam Laici præscribere possunt.

22. Licèt ijs resistant jura.

23. Sunt enim possessionis capaces.

24. Nec possunt dici colligere decimas.

25. Neque decimæ habent rationem tributorum.

26. In certo tantùm sensu non solvere decimas est peccatum.

27. Nec ad illas habent jus ipsi pauperes.

28. Decimæ sunt juris Divini, in quantum sunt necessariæ ad sustentationem Clericorum.

29. Habito justo titulo præscriptio ista ex defectu temporis non erat invalida.

30. Neque ex defectu tituli.

31. Licèt transactio fuerit nulla,

32. Habere tamen potuit fidem Theologicè bonam.

33. Successor immediatus non autem etiam mediatus à jure fingitur esse eadem cum defuncto persona.

34. Invalida saltem in foro externo fuit præscriptio, cum ignorantia etiam invincibili juris facta.

35 36 Nec primus tamen transgens, nec immediatus hujus successor potuerunt hanc immunitatem præscribere.

37. Imò nec ullus, nec omnes simul sumpti in foro externo hanc immunitatem præscripserunt.

38. Non tamen refundendæ à Nobilibus sunt decimæ, quas durante vita consentientis voluntarie Parochi ex pacto cum isto inito perceperunt.

39. Illæ autem erunt restituendæ, quas invitis quibusdam Parochis extorserunt.

40. Res mobiles, ut præscribantur triennio, non debet possidenti jus resistere.

41.

41. *Canones universaliter requirunt quadraginta annorum præscriptionem cum titulo contra Ecclesiam.*

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

Utrum Parochus ob inopiam litigare non potens hoc pactum inire possit?

42. *Responsio est affirmativa pro tempore, quo ipse futurus est Parochus.*

§. V.

Resolvitur ultimum Quæsitum.

An Nobilis ex hoc novo pacto in conscientia tutus sit, cùm in illud Parochus tantùm coactus, & non liberè consentiat?

43. *Responsio est negativa.*

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Quid de jure hujus Nobilis ad has decimas sit tenendum?

1 PRo solutione hujus casûs advertendum, posse aliquem Laicum percipere decimas, tanquam verum decimatorem, qui debitas Ecclesiæ, vel Parocho decimas ex certis prædijs, & quidem alienis colligat. Item posse aliquem percipere decimas, in quantum tanquam exemptus ab onere decimarum, quas per se ex suis prædijs deberet solvere, has tamen ipsusmet retinet, quin habeat potestatem nomine Ecclesiæ colligendi decimas ex alienis, & ad se non spectantibus prædijs.

Ad-

2 Advertendum 2. Tam jus decimandi, quàm ipsam immunitatem persolvendi decimas è propriis bonis posse alicui concedi per transactionem propriè dictam, vel per solum pactum; illa est compositio, qua res dubia, & controversa partium consensu componitur, aliqua re data vel promissa, retenta vel remissa. Ita habetur *in Lege, qui transigit 1. ff. & L. Transactio 3. 8. Cod. de Transactionibus*, eodem solet definiri; quòd sit pactio non gratuita de re dubia, & controversa, sive lite incerta, & nondum finita. Ex oppositio solo pacto conceditur immunitas, quando obligatio solvendi decimas est certa, quia tamen incertus est proventus agrorum, uti & fructuum quantitas dubia, de certa quantitate pecuniæ vel fructuum, quot annis solvenda, vel solvenda nunc, omni obligatione in futurum sublata, convenitur. Id ipsum de concesso per pactum jure decimandi proportionaliter dicendum erit.

3 Not. 3. Jus decimandi solere dividi in primarium, & secundarium. Illud, quod propriè dicitur jus decimandi in officio sacro est fundatum, ita ut conveniat Ministris Ecclesiæ ob sacra Ministeria, quæ fidelibus exhibent. Secundarium vocatur, quod alicui competit secluso officio spirituali ad percipiendum id, quod in decimis est temporale, scilicet ipsos fructus, qui nomine decimarum persolvuntur, & ex se aliquid merè temporale sunt.

4 Not. 4. Cùm decimæ ex natura sua debeantur Ecclesiæ, & à fidelibus tantùm solvantur propter Ministeria sacra, quibus sola Ecclesia fungitur, sequitur, quòd illæ absque authoritate Ecclesiæ non possint ulli, qui non fungatur Ministerijs sacris competere; sicuti autem Princeps sæcularis regalia sua potest alteri vel gratis vel sub certa conditione onerosa concedere; ita & fructus sibi persolvendos Laicis vel gratis vel sub titulo oneroso potest concedere Ecclesia.

5 Dico 1. Possunt & actualis Parochus, & antecessores ejusdem mediante quodam oneroso, vel merè liberali pacto fructus decimarum ad vitam suam concedere Laico. Ita Panormit. Sylvest. Covarruvias, Lessius *l. 2. c. 24. n. 70.* Molina Jur. *l. 1. de primog. c. 21. n. 24.* Molina Theo. Quaranta, Filliuc. Bonna. Barbosa, Laym. *in c. 7. de præscript. n. 2.* Prob. ejusmodi Parochus duntaxat res suas, de quibus potest liberrimè disponere, dat alteri Laico, ita ut commoditatem, quæ ipsi competeret, solùm alteri attribuat: ergo hoc potest facere, cùm non lædat Ecclesiam, eò quòd hæc obligatio cesset, si per mortem, vel mutationem illo officio decedat. *arg. Legis: Lex vectigalis ff. de pignor.*

Dico

6 Dico 2. Si primus Parochus per transactionem perpetuò, & respectu successorum quoque duraturam sine authoritate Episcopi, aut alterius Superioris, habentis Jurisdictionem quasi Episcopalem, jus decimandi etiam secundarium duntaxat in Laicum Nobilem transtulit, translatio hæc fuit invalida. Ita Rebuff *in tract. 1. de decimis. q. 13. n. 22.* Fagundez *in quinque Ecclesiæ præcepta. præcepto 5. l. 3. cap. 2. n. 3. & 4.* Barbosa *de officio & potestate Parochi part. 3. cap. 28. n. 25.* Prob. Parochus solus non potuit solum jus decimandi materialiter acceptum, & ut præcisum à jure formali transferre in Nobilem: ergo &c.

Probatur antecedens. Parochus sine consensu legitimi sui Superioris non potest hoc jus materiale separare à formali decimandi, hoc est à spirituali titulo, ratione cujus fideles solvunt Ecclesiæ decimas.

Probatur 2. Talis perpetuò duratura transactio est vera alienatio fructuum ab Ecclesia, & juris hos fructus percipiendi, ut habetur *in Lege 1. §. utrum ff. si quid in fraudem patrono*: sed Parochus solus non potest alienare tale jus in præjudicium suorum successorum, cùm juxta Covarruviam *l. 2. varia. cap. 15. n. 6.* Guttierez. *l. 1. qq. can. c. 36. n. 2.* Petrum Barbosam *in Legem si filiofamilias 26. §. fin. ff. soluto matrim. à num. 17.* successor in dignitate, vel officio non teneatur regulariter stare pacto antecessoris, casu quo istud causam continuam habeat, & successorem ad aliquid faciendum, vel patiendum obliget, nisi consensus Superioris adfuerit: sed hic: ergo &c.

Dein *cap. 8. de transactionibus* habetur, ut perpetua & successores etiam ligans transactio validè instituatur, Superioris consensum cum causæ cognitione necessarium esse, sine quo consensu *vi cap. 3. & 8. de transactio*: transigentes quidem non verò successores ligantur. Confirmatur. jus percipiendi decimas, & onus solvendi descendit ex jure universali Canonico, in quo Parochus nullus dispensare potest.

Dico 3. Ad perpetuò duraturam transactionem, quæ est vera, & propriè dicta quædam alienatio præter consensum Superioris insuper debuit adfuisse justa causa, urgens scilicet necessitas, pietas, incommoditas, sive inutilitates decimarum. Ita P. Schmalzgrueber *citans magnum numerum Authorum n. 54. de rebus Ecclesiæ alienandis.* Ratio est, quod juxta Glossam *V. nunc quæritur, causa 12. q. 2. ad* perpetuam alienationem rei immobilis ad Ecclesiam spectantis sunt saltem disjunctivè necessariæ prædictæ causæ: sed talis perpetuò duratura transactio decimarum est vera quædam alienatio perpetua rei immobilis ad Ecclesiam spectantis: ergo &c. 7.

8 Quin imò, quòd talis necessitas, vel alia ex allatis causis verè adsuerit. Probandum id erit non sola assertione partium transigentium, sed aliunde, prout volunt Redoan *de rebus Ecclesiæ alienand. q. 23. n. 38.* Ciarlin. *controv. for. c. 105. n. 60.* Petra *fol. 98. n. 4.* similibus etenim alienationibus jus ipsum resistit: ut ergo sustineantur, ipsius juris resistentis limitatio probanda erit.

9 Dico 4. Sine tali valida causa, etiam cum consensu Superioris celebrata transactio, perpetuò duratura absolutè est invalida. Ita Abbas, Covarr. Redoan. Azor, Molin. Wagn. Zœsius, Honor, Pirhing, König, Wiestner citati à Schmalzgrueber *de rebus Ecclesiæ alien. n. 70.* Probatur *in cap. dudum 1. de rebus Ecclesiæ non alien. in 6. Innoc. IV.* pronuntiat alienationem non solennem invalidam ex ratione, quòd evidens necessitas, quare fieri debeat, vel utilitas non subesset. Confirmatur ex *Clement. 1. & extravagante ambitiosa, de rebus Ecclesiæ non alienandis.* Probatur ratione: Prælati non sunt Domini, sed tantùm Administratores bonorum Ecclesiæ: ergo non possunt nisi juxta mentem, & voluntatem Pontificis alienare.

10 Neque opponas ejusmodi læsam Ecclesiam *vi cap. requisivit 1. & cap. 1. audiis 3. de in integrum restit.* in integrum restituendam esse: atqui non locus esset restitutioni, si contractus fuisset irritus: ergo &c. R. in locis citatis restitutionem talem Ecclesiæ concessam fuisse, quia alienatio ex justa causa facta fuit, per hanc tamen notabilem læsionem injuria eidem illata, quòd autem talis contractus valeat, constat *ex cap. cùm dilecti 3. & c. cum causa 6. de empt. & vendit.*

Dico 5. Si dubium fuerit, utrum cum authoritate, & sufficiente causâ facta fuerit transactio, ipsi Laico nobili incumbere probationem. Prob. Parochus circa jus decimandi habet suam intentionem fundatam in jure. Ergo onus probandi, quod ipse non habet, reijcit in Laicum. 2. Affirmanti incumbit probatio, sed de his plura dicemus inferiùs. 11

Dico ulterius 6. Prædictum jus decimandi nequaquam præfatus Nobilis potuit præscribere, licèt 100. & pluribus annis collegerit decimas ad Parochum per se spectantes. prob. ut præscripserit, necessarium erat, ut illud jus possederit & habuerit capacitatem possidendi. vi *Legis 25. ff. de usurp. ut usucap. & c. 3. de Reg. Juris in 6.* atqui non possedit. nam *in cap. causam. 2. de præscript.* habetur, *cùm Laici decimas detinere non possint, eas nulla valent præscribere ratione.* 12

Neque dicat Nobilis, citatum modo *capitulum causam* procedere duntaxat de jure spirituali, seu quatenus jus decimandi est fun- 13

da-

datum in aliquo titulo ſpirituali, non autem de mera utilitate & fructibus temporalibus, de quibus tamen ſolis hic movetur quæſtio: contra enim eſt Nobilis Laicus, de quo *in citato cap. cauſam* eſt quæſtio, ſolùm prætendebat fructus decimales: ergo cùm & iſte & alij Laici à Pontifice declarati fuerint ut incapaces, non tantum de ſolo jure ſpirituali decimandi fuit ibidem quæſtio. Confirmatur, ut Laici tales fructus decimales poſſent præſcribere & poſſidere deberent illi prius fuiſſe avulſi à titulo & jure ſpirituali: atqui non fuerunt avulſi, cùm ſolus Parochus hoc non poſſit, & Epiſcopus ob defectum ſui conſenſûs non avulſerit.

Dico 7. Præfatus Nobilis ante omnem ſententiam Judicis tenetur Parochum reſtituere in integrum quoad jus decimandi, probatur. talis ſcit, quòd tanquam incapax non poſſideat hoc jus neque unquam poſſederit, conſequenter neque præſcripſerit: ergo cùm neque tranſactio fuerit valida, ex nullo titulo (cùm alium prætendere nequeat) jus decimandi habet. 14

§. II.

Reſolvitur ſecundum Quæſitum.

Num pacto cum Parochis inito Nobilis potuerit eximi ab onere ſolvendi decimas ex proprijs ſuis bonis?

QUæ hactenus attulimus ſatis certò oſtendunt, jus decimandi Nobili tali laico in talibus circumſtantijs nequaquam competere: ſupereſt altera controverſia, an non ſaltem exemptus ſit ab onere ſolvendi decimas ex bonis ſuis, vi tranſactionis cum anteceſſoribus moderni Parochi peractæ. ad quod dubium.

15 Reſpondeo & dico 1. Etiamſi ſine conſenſu legitimi ſuperioris ſui unus vel plures anteceſſores ad tempus, quo tales Parochi retenturi eſſent Parochiam, ſub certo onere conceſſerint, immunitatem à decimis prædicto Nobili, ejuſmodi tamen tranſactiones fuiſſe validas. Ita communis DD. & probatur *ex cap. veniens 8. de tranſact.* ut *ſuper 8 de rebus Eccleſiaſticis alienan. cap. de cætero 5. de tranſact.* Dein hac ratione Parochus non ſuis ſucceſſoribus ſed ſibi tantum præjudicat, eſt inſuper hæc tranſactio à ſimoniæ labe immunis, cùm de ſolo temporali debito agatur, inſuper ſupponatur de honeſta ſuſtentatione

aliunde Clerico sufficienter prospectum esse.

16 Dico 2. Nullus ex antecessoribus moderni Parochi potuit sine authoritate legitimi sui superioris, transactionem in perpetuum, vel pro tempore, quo non amplius futurus esset Parochus, prædicto Nobili concedere exemptionem ab onere solvendi ex suis bonis decimas. Ita communis DD.

Probatur 1. Non potest aliquis Parochus suis successoribus præjudicare privando illos fructibus ab Ecclesia eisdem ob ministeria spiritualia concessis.

Probatur 2, Talis perpetuo duratura exemptio est vera quædam alienatio: ergo juxta dicta in conclusione 2. & 3. in priore §. non potest fieri validè, sine consensu legitimi superioris.

Confirmatur. generaliter transigere omnes illi & soli possunt, qui rerum suarum aut alienarum liberam administrationem. eásque alienandi potestatem habent, *juxta Legem in re mandata Cod. mandati*: sed Parochus sine solennitatibus & consensu sui superioris non habet hanc administrationem: ergo &c.

17 Dico 3. Si hæc transactio concedens perpetuam immunitatem à solvendis decimis non fuit merè gratuita & cum consensu legitimi superioris facta, potuit illa absolutè fuisse valida & obligare etiam successores, conclusio hæc probatur *ex c. 2. & 7. de transact. & c. 3. de decimis.* Dein ab experientia habemus, à legitimo superiore etiam integris comunitatibus remissum fuisse gratis onus solvendi decimas, quando Ecclesijs & harum ministris aliunde sufficienter prospectum fuit de sustentatione: ergo multò magis per transactionem.

Hucusque allata ostendunt Nobilem pro sui exemptione à solvendis decimis non posse allegare, transactionem cum antecessoribus moderni Parochi confectam, si illa requisitis solennitatibus consensu scilicet Episcopi vel alijs destituta fuit, & destitutam fuisse constet.

Consurgit modò alia quæstio 18 cuinam, Nobili, an Parocho probandum sit, quòd adfuerint vel non adfuerint solennitates debitæ, in casu quo de his, an adfuerint, dubium habeatur?

Ut huic dubio satisfiat, videndum, utrum Nobilis prætendat ipsum jus decimandi, & consequenter dubium sit, an in hujus concessione solennitates debitæ adfuerint, vel utrum agatur de sola immunitate à solvendis decimis, & solùm dubitetur, an ista cum consensu legitimi superioris fuerit obtenta?

Ad primum dubium Respondeo & dico, ipsi Nobili probandum esse, quòd adfuerint consensus legitimi superioris, & cæteræ requisitæ solennitates. probatur,

batur. Parochus etiam in petitorio agens ad decimas Novalium, duntaxat probare debet, se esse Parochum loci, intra cujus fines fructus decimales proveniunt: ergo ipsi Nobili incumbit probare, omnes solennitates adfuisse. probatur antecedens. Parochus etiam quoad decimas Novalium pro se habet fundatam in jure intentionem *vi c. 13. & 29. de decimis & c. 4. 22. 62. eodem. ac can. 5. causa 16. q. 7.* atqui omnis habens talem intentionem onus probandi in adversarium reijcit: ergo &c. Deinde juxta *Legem 4. Cod. de 30. vel 30. annorum præscriptione* immemorialis præscriptio omne jus tam privatum, quàm publicum præscribit: ergo cum Parochus sit in immemoriali quasi possessione juris colligendi decimas Novalium, hoc jus præscipsit contra Nobiles, etsi poneretur, quòd isti aliquando habuerint istud jus. insuper nulla lex civilis vel Ecclesiastica habetur, quæ decimas Novalium Nobilibus aut Principibus sæcularibus attribuat: ergo etiam debentur decimæ Novalium Parocho.

19 Dices: omnis possessor habet pro se præsumptionem, & ob hanc onus probandi in adversarium reijcit: ergo cùm Nobilis sit in possessione, onus probandi deficientium solennitatum in Parochum reijcit. R. dist. ant. omnis possessor habet &c. si eidem nulla præsumptio vel Lex obsistat: concedo, si obsistat, uti in nostro casu. nego. Quòd ad hoc, ut possessio pro se præsumptionem habeat & onus probandi reijciat in adversarium, requiratur, ut possessori nec præsumptio, nec lex obsistant, defendunt Joann. Andr. Alexand. Alicatus & communis DD, *cum* Curt. *jun. Consil. 90. n. 12.* Ruin. *l. 4. consil. 29. n. 9.* Gutierez. *l. 3. pract. q. 19. à n. 9.* Menoch. *l. 6. præsumpt. 69. n. 4.* Hart. Pistor. Treutler. ex altera parte pariter constat, laico prætendenti & quasi possidenti jus decimandi, obstare legem, cum omni, & hinc vel maximè Laico, qui non est Parochus loci, lex obsistat. Quia igitur sola immemorialis temporis possessio privilegij vim & præsumptionem inducit juxta communem authorum; hæc autem possessio est centum duntaxat annorum, nequaquam favebit huic Nobili tot annorum possessio ad hoc, ut præsumatur titulus: sed hic eidem probandus erit. Quòd si autem lis & controversia moveatur, num transactio circa immunitatem à solvendis decimis cum consensu legitimi superioris facta fuerit.

Dico 4. Etiam in hoc casu (si 20 tempus ad præscriptionem requisitum nondum impleverit) ipsi Nobili probandum esse, quòd hæc authoritas intercesserit, consequenter non præsumendum esse

titulum. Probatur 1. juxta Bartholum : Jason. Tyraquellum , Guttierez *l. 3. pract. c. 19. à n. 9.* & communem Doctorum. quasi possessio non relevat ab onere probandi illum , cui resistit primævus naturæ status : sed si consideratur primævus status naturæ decimarum, resistit iste quasi possessioni immunitatis à solvendis decimis quoad omnes , qui jure communi tenentur solvere decimas : ergo hæc possessio non relevat Nobilem ab onere probandi titulum. Probatur 2. *in cap. 1. de præscript. in 6.* Episcopus possidens in aliena Diœcesi decimas, jubetur allegare & probare prætensum præscriptionis titulum ex hac ratione: *cùm jus commune contra ipsum faciat* : ergo cùm exempto à decimis solvendis etiam resistat jus commune , debebit hunc titulum allegare & probare, si possessio non sit immemorialis. Probatur 3. *in cap. cùm persona 7. de Privileg.* habetur quòd possessio vel quasi non relevet contra eum, qui suam intentionem fundatam habet de jure communi sed probandus erit exemptionis titulus ab illo , qui talem exemptionem prætendit, juxta Covarruv, Guttierez, Em: Rodriquez : Barbosam , Friderich *de decimis n. 696.* atqui Parochus habet suam intentionem fundatam in jure : ergo &c.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An & quo tempore immunitas decimarum præscribi possit?

DIximus in hac ultima conclusione , quòd possessor titulum suum probare debeat , saltem si nondum tempus ad præscriptionem requisitum impleverit, videndum igitur restat, num immunitas decimarum , & quanto tempore præscribi possit.

21 Dico immunitatem à solvendis decimis absolutè etiam Laici possunt præscribere , ita cum pluribus Authoribus Laym. *l. 4. Theol. tr. 6. n. 10. dicens* , hanc sententiam esse veram & communiorem. Ratio est primò , quòd integra communitas per consuetudinem ab obligatione solvendi decimas possit eximi : ergo multò magis per præscriptionem particularis persona , cùm hæc non tantum damnum & præjudicium Parocho loci afferat. Dein ipsum decimandi jus potest præscribi : ergo etiam exemptio ab obligatione sol-

solvendi decimas, quæ solam obligationem solvendi tollit, non autem instar prioris tribuit aliquod jus contra Ecclesiam & Parochum, quòd longè aliquid plus est, quàm prius.

22 Ob. 1. Tali præscribenti Laico resistunt jura: ergo non potest præscribere. R. neg. cons. nam etiam Clerico præscribenti contra Parochum loci jus decimandi resistunt jura faciendia pro Parocho, & tamen ille potest contra hunc præscribere: ergo etiam laicus immunitatem, quæ est aliquid minus, & sola liberatio à quodam onere, si possessionis sit capax juxta *c. 4. de præscript. c. 1. eodem in 6.*

23 Ob. 2. Laicus non est capax talis possessionis: ergo cum sine hac non detur præscriptio, non potest præscribere, R. neg. ant. ratio est, quòd ista immunitas non sit aliquid spirituale, quale est ipsum jus decimandi; cùm enim talis immunitas sit mera privatio sacri juris & retentio vel recuperatio à natura concessæ libertatis, nihil sacrum continens, est per se illa aliquid merè temporale, consequenter possideri poterit.

24 Ob. 3. Talis immunis atque exemptus re ipsa colligit decimas ex suo fundo: ergo si jus decimandi non potest præscribi, neque immunitas. R. neg. ant. nam decimæ, quæ nondum dantur non possunt colligi, in præsenti autem casu nondum dantur, cùm necdum à cæteris fructibus actu aliqui separati, vel mente, ut separentur, designati sint, quod tamen ad essentiam decimarum requiritur: consequenter percipiens omnes sui agri fructus ante separationem colligit id, quod in ipsius dominio est.

Ob. 4. Tributa quæ ut signum subjectionis Dominis principibus sunt debita, non possunt præscribi: sed etiam decimæ sunt tributum Deo in signum subjectionis debitæ: ergo non possunt præscribi. R. nego minorem. ut enim aliqua habeant rationem tributi propriè dicti, requiritur ut solvantur Principi in signum superioritatis ad sustinenda communia Reipublicæ onera: decimæ verò privatis Ecclesijs persolvuntur in stipendium sacri Ministerij, in sumptus sacrificiorum & alia &c. 25

Ob. 5. Juxta S. Augustinum non solvere decimas est peccatum: ergo &c. R. hæc de illo dicta fuisse, qui mala fide non solvit decimas. 26

Ob. 6. Qui subtrahit decimas, subtrahit alimentum pauperibus, consequenter hos occidit: sed occidere pauperes non licet: ergo nec denegare decimas. probatur Major. *vi Can. 66. ca. 16. q. 1.* decimæ sunt egentium tributa. R. dist. Maj. subtrahit alimentum, ad quod pauperes habent jus, nego, ad quod nullum 27

jus

jus habent, concedo majorem. Dein cùm ante separationem nondum habeant rationem decimarum, necdum separati fructus non erunt alimentum seu tributum agentium.

28 Ob. 7. Decimæ sunt debitæ ex jure divino : sed juri divino non potest præscribi : ergo &c. N. dist. Maj. prout sunt necessariæ ad decentem Clericorum sustentationem : concedo, quatenus ad hunc necessariæ non sunt : negatur.

29 Dico 2. Tempus, quo quasi possederat hìc Nobilis exemptionem à solvendis decimis fuit sufficiens, ut hanc præscripserit contra Ecclesiam parochialem, si habuit justum titulum, probatur, cum titulo requiruntur 40. anni juxta Sylvestrum, Covaruv. Navarrum, Valent. Rebuff. & communem aliorum & *habetur in cap. 15. de præscript. & c. 1. eodem in 6. ubi* asseritur 40. annorum tempus esse necessarium & sufficiens, ut etiam illi, cui jura communia resistunt, præscribat.

30 Dico 3. Videtur Nobilis habuisse justum titulum ad præscriptionem, probatur. habuit pro titulo transactionem suorum majorum cum antecessoribus moderni Parochi super hac exemptione : ergo habet justum titulum.

31 Dices : transactio ob defectum præstiti à legitimo superiore consensûs fuit nulla : ergo &c. Respondeo nego consequentiam, si enim fuisset valida, non habuisset opus præscriptione : ad hanc cùm sufficiat titulus saltem coloratus, & præsens revera talis sit, ideo habet justum titulum.

32 Dices : non habuit bonam fidem : ergo neque justum titulum, qui supponitur à fide bona. Probatur, transigens primus habuit malam fidem, quia sine solennitatibus debitis transegit, & ignorantia juris in foro externo non præsumitur, sed notitia illius potiùs supponitur : ergo habuit fidem saltem juridicè malam. Respondeo. etsi primus ponatur, & concedatur habuisse fidem juridicè malam, potuerunt tamen successores mediati fuisse in fide Theologicè bona in quantum ignorârunt primam transactionem sine solemnitatibus debitis celebratam fuisse.

33 Urgebis, successor universalis reputatur in jure pro eadem persona : ergo si primus fuit in mala juridice fide, etiam posteriores erunt. R, distinguendo, successor universalis immediatus censetur esse eadem persona cum defuncto ; & habere malam fidem cum defuncto fingitur à jure concedo. Successor mediatus, nego. secundus possessor immediatè succedens primo transigenti, est successor immediatus primi possessoris ac transigentis, & hic solus fictione juris censetur esse in mala fide : ergo non debuit talis secundus vel tertius successor à jure fingi etiam esse in mala fide, quia ex uno eodémque capite fictio duplex à jure reprobata est juxta Bart. *in Leg. si is, qui*

qui pro emptore q. ultim. ff. de usucap. & habetur Lege 1. Cod. de dotis promissione : atqui fieret talis duplex fictio, quia primus, & immediatus successor fingeretur habere malam fidem ob malam fidem defuncti, & ex hujus ipsius mala fide fingerentur mediati successores in mala fide, ita docuit Joan. Crotus cum Covarruv. Molina, *disp. 5. versu illud etiam* Lessius *l. 2. cap. 6. dub. 13. n. 13.* Palao *disp. 1. de just. pu. 22. §. 9. n. 4.*

34 Dico 3. Licèt nobilis habuerit titulum coloratum transactionis si tamen habuit ignorantiam etiam invincibilem Juris, non præscripsit in foro externo, saltem ita illi omnes, qui docent, quòd cum tali ignorantia invincibili Juris, nec in foro externo nec in interno, seu conscientiæ præscribatur, uti sunt *Abbas Felinus, Andreas Fachinæus, Laym. lib. 3 summæ sect. 5. tract. 1. cap. 8. n. 12. probatur ex Lege nunquam in princ. ff. de usucap. ibi: nunquam in usucapionibus error juris possessoribus prodest, & Lege ita juris ff. de Juris & facti ignorantia ibi Juris ignorantia in usucapionibus negatur prodesse, facti verò ignorantia prodesse constat. item in Leg. quemadmodum Cod. de agricolis & censitis lib. 11. malæ fidei possessorem esse nullus ambigit, qui aliquid contra Legum interdicta mercatur. & cap. 2. §. contractus de rebus Eccles. alien. lib. 6. & Reg. qui contra jura mercatur de Regulis Juris l. 6.*

Dico 4. Primus transigens Nobilis non potuit præscribere hanc immunitatem à decimis. Probatur 1. ex priore conclusione. Probatur 2. habuit malam fidem, cùm enim fuerit homo literatus vel saltem ex literati cujusdam consilio hanc transactionem fecerit, ideo habuit etiam ignorantiam vincibilem, cùm debuerit inquirere in conditiones, quæ in alienandis rebus Ecclesiasticis sunt necessariæ. 35

Dico 5. Neque immediatus successor potuit præscribere, ratio est, quòd fuerit successor universalis, & hæres immediatus, hic autem non potest usucapere rem mala fide à defuncto possessam *vi Legis cùm hæres ff. de diversis, & temporalibus præscriptionibus;* nam fictione juris censetur eadem persona cum defuncto, ex quo colligitur, quòd tempus præscriptionis primùm inceperit à tertio possessore. 36

Dico 6. In foro externo nullus omnino ex istis Nobilibus. Imò omnes simul non præscripserunt, licèt 100. integris annis possederint hanc immunitatem. Probatur 1. *ex cap. hoc consultissimo, de rebus Ecclesiæ non alienandis in 6.* ubi de præscriptione rei Ecclesiasticæ absque legitimis solennitatibus alienatæ agitur, & hæc licèt quadragenaria fuerit, ut nulla declaratur his verbis, *quidquid ex eis secutum fuerit, decernimus adeò viribus omnino carere, ut nec* 37

jus aliquod tribuant, nec præscribendi etiam causam parent.

Probatur 1. Juxta regulam 2. *juris in 6. possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*, sed omnes isti Nobiles in foro externo fuerunt in mala fide : ergo &c. Prob. min. asservaverant apud se instrumenta authentica hujus contractûs, ex quibus poterant clarè cognoscere, quòd hæc alienatio non fuerit peracta cum debitis solennitatibus Juris : ergo fuerunt, & in foro externo præsumuntur, esse malæ fidei : pro talibus enim ejusmodi possessores habendos defendunt Cephalius *consil. 361. n. 33.* Tiraquellus *de retract. lign. §. 12. gl. 1. num. 9.* Wesenbechius *Consil. 8. num. 36.* Georgius Everhardus *vol. 1. Consil. 54. n. 134.* Arnoldus Rath. *tract. de usucap. cap. 2. n. 27.* Wiest. *de præscript. n. 66.* Schmalzgrueber cum alijs. Ratio est, quilibet præsumitur scire, & intelligere tenorem instrumentorum & scripturarum, quæ in scrinijs, & archivo suo asservat, præsertim eorum, quæ sua jura concernunt, prout defendunt Mascardus *concluf. 1300, n. 21.* Gaill. *lib. 2. observat. 27. n. 2.* Ratio horum omnium est, quia nemo censetur ignorare, quæ scire, & intelligere debet, & facilè insuper potest, ut habetur *Leg. non ferendus 12. ff de transactionibus*, scire enim, ac scire debere, ac facilè posse de jure paria sunt *Leg. quo te 5. in fin. ff. de rebus creditis*, & *Leg.* Julianus *29. ibi, qui scire, & scire potuisset : ff. ad S. C. Maced.* ideóque ignorans, quod scire debuit, nulla excusatione dignus judicatur, §. *ut itaque in fin. post can. ideo 14. & can. fin. dist. 37.*

Quæ omnia vel maximè in nostro casu locum habent, in quo ob non servatam, & sæpiùs imò constanter mutatam transactionem perpetuæ interpositæ protestationes fuerunt à Parocho moderno, & successoribus illius : non est ergo credibile, quòd nunquam tenorem conventionis factæ inspexerit, & defectum solennitatum debitarum non animadverterit.

Dico ulterius tamen 7. Præfati Nobiles non sunt obligandi ad perceptas à se decimas solvendas. quæ correspondent tempori cujuslibet Parochi, qui in talem transactionem voluntariè consenserat pro sua vita : si ipsis fideliter ex parte Nobilium transactio est observata. Constat ex dictis, quia pro tali tempore potuerunt alienare. 38

Interea Nobilis, & antecessores illius obligati sunt ad persolvendas decimas, quas invitis aliquibus Parochis extorserunt. Ratio est, quia fuerunt in mala fide. Dein licèt ponantur fuisse in bona fide, tamen præteritas perceptas sine voluntario consensu decimas persolvere ab annis 40. tenentur ; si enim non tenerentur, ratio foret, quia *vi §. 35. Instit. de rer. divis.* bonæ fidei possess- 39

ſeſſor fructus bona fide conſumptos non tenetur reſtituere : hæc ratio nulla eſt. Prob. min. non eſt eadem ratio decimarum , & fructuum : ergo hæc ratio nulla eſt. Prob. ant. poſſeſſor bonæ fidei habet dominium præſumptum, eatenus videlicet, ut excluſa actione in factum eos poſſit conſumere , quamdiu bona fides durat ; facítque ſuos interim : ex oppoſito Eccleſia non habet dominium fructuum in agro decimabili, niſi poſtquam decima pars fructuum ſeparata , vel deſignata fuerit: ergo ipſi Nobiles omnium perceptorum fructuum fuerunt Domini , obligati tamen fuerunt, ut Eccleſiæ ſolverent decimas,quæ obligatio perpetua eſt , & contra Eccleſiam uſque ad 40. annos durat, *princ. inſtit. de perpet. & tempor. act. juncta Lege omnes* : ergo &c.

Confirmatur. decimæ reſpectu Eccleſiæ non ſunt aliquid merè acceſſorium , ſed ipſæ ſunt principaliter obligatæ , & principalis obligatio non præſcribitur contra Eccleſiam , niſi 40 annis : ergo &c.

Confirmatur 2. Fructus percepti ſemper fuerunt ſub dominio Nobilis : ergo non primùm illos præſcripſit : ergo ſolum actioni , qua expetitur ſolutio decimarum præſcribit : ſed hæc non niſi 40. annis cum titulo præſcribitur : ergo &c.

Dices : decimæ ſunt res mobiles : hæ præſcribuntur 3. annis : ergo decimæ ſunt præſcriptæ. 40
R. concedo majorem & diſtinguo minorem. res mobiles contra Eccleſiam præſcribuntur triennio , ſi poſſidenti jus commune reſiſtat. nego minorem, ſi non reſiſtat , concedo minorem , & nego conſequentiam.

Dices : gratis hoc aſſeri. R. 41
nego. nam canones requirentes 40. annorum præſcriptionem cum titulo contra Eccleſiam , abſolutè loquuntur & univerſaliter : ergo tam de rebus mobilibus quàm immobilibus locuti fuerunt , ubi enim Lex non diſtinguit, nec nos debemus diſtinguere.

Dico 8. ſi immediatus ante- 42
ceſſor moderni Nobilis invito ſui temporis Parocho decimas non perſolvit , ad illas perſolvendas modernus Nobilis obligatus eſt. Ratio eſt ; quod hæres omnium bonorum defuncti dominium comparet , & ſimul etiam ad omnia ejus debita ſolvenda obligationem contrahat , cùm *vi Leg. 11. ff. de divis. temp præſcript,* eadem cum defuncto perſona habeatur : ergo juxta *cap. fin. de ſepult.* tenetur conſcientiam defuncti exonerare , & factum defuncti præſtare *vi Legis 14. Cod. de rer. divis.*

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

Utrum Parochus ob inopiam litigare non potens hoc pactum inire possit?

43 HOc quæsitum quod attinet illius solutio ex dictis facillima est, si enim Parochus cum Nobili velit pactum inire duraturum duntaxat ad tempus, quo modernus Parochus moderator hujus Parochiæ fuerit, & immunitatem à solvendis ex suo prædio decimis, & ipsum jus colligendi nomine Parochi decimas Parochiales cæteras, concedere Nobili poterit. minimè tamen Parocho facultas competit abalienandi ista etiam in perpetuum obligatione etiam suos successores astringente, ob rationes in decursu hujus resolutionis allatas.

§. V.

Resolvitur ultimum Quæsitum.

An Nobilis ex hoc novo pacto in conscientia tutus sit, cùm in illud Parochus tantùm coactus, & non liberè consentiat?

44 REspondeo, si modernus Parochus præcisè ex metu amittendi etiam hanc partem decimarum, & quia sumptus liti movendæ necessarios non habet, consentiat in tale pactum pro tempore snæ vitæ duraturum, nequaquam Nobilis tutus in conscientia erit, sed debebit hoc pactum rescindi, & omnes decimas moderno Parocho concedere tam præsentes quam futuras probatur. si ope novæ transactionis Nobilis posset acquirere jus ad retinendam partem decimarum, deberet adesse dubium, cuinam, Nobili aut Parocho competant decimæ: atqui nullum adest dubium, sed potiùs certum est, quòd non sint Nobilis. Probatur 2. cùm Parochus in hoc pactum consentiat præcisè ex metu amittendi omnes decimas, gravis injuria Parocho infertur à Nobili: cùm igi-

tur

tur Nobilis obligetur injuriam hanc removere, & ab illius continuatione desistere, quod aliter nisi solutione omnium decimarum fieri non potest, rescindere hunc novum contractum & omnes decimas persolvere Parocho tenebitur Nobilis. Ita sentiunt Covarruvias, Navarrus, Molina *tom. 2. de Just. tract. 2. disp. 262.* Thomas Sanchez *l. 4. disp. 9. n. 4.* Lessius, Rebellus, Palao *tract. 2. de peccatis disp. 1.* probatur insuper manifestâ instantiâ, si aliquis prædium ad alium pertinens vi & cum injuria huic abstulisset, dein autem dimidiam partem sibi retinere & dimidium vellet vero Domino restituere, licèt hic consentiat ex metu tamen, ne omnino omnia perdat: juxta omnes talis restitutio non faceret raptorem tutum in conscientia: ergo &c.

CASUS XXXII.

De obligatione successoris ad solvendas decimas ab antecessore non persolutas.

CAjus, quia ante aliquot menses agrum quendam à Cornelio acceperat, convenitut à suo Parocho super decimis ab antecessore Cornelio persolutis tam ex tritico, quàm ex rapis, quibus Cornelius suum agrum post collectum ex eo triticum illo ipso anno conseverat.

Q. 1. An teneatur Cajus solvere Decimas ab antecessore suo non persolutas, si agrum ex alio, quàm hæreditatis titulo aquisiverit?

Q. 2. Quid si hæres universalis?

Q. 3. Si Decimæ ex quodam agro jam sint solutæ etiam ex rapis, queis idem ager eodem anno fuerat consitus, sint persolvendæ?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An teneatur Cajus solvere Decimas ab antecessore suo non persolutas, si agrum ex alio, quam hæreditatis titulo acquisiverit?

1. *Definitio Decimarum, & quædam alia observanda præmittuntur.*
2. *Ex fundo unà cum fructibus indecimatis accepto debentur decimæ.*
3. *Secus non itidem successori particulari erunt persolvendi.*
4. *Decimæ non sunt tributa propriè dicta.*
5. *Num decimæ DEO in recognitionem supremi Dominij solvantur.*
6. *Aut tributa pauperum nominentur.*
7. *Non obest nobis* lex 13. *ff.* de impensis in res dotales factis.
8. *In quo sensu decimæ sint magis privilegiatæ ipsis tributis.*
9. *A fisco non fit semper bona argumentatio ad decimas.*
10. Cap. in quibusdam 32. de Decimis & can. si quis laicus 16. q. 1. explicantur.
11. *Decimæ prædijs inhærent ut virtualiter continentibus fructus.*
12. *Quandonam Ecclesia privilegijs Fisci & Reipublicæ gaudeat.*
13. *Sententia opposita non est probabilior ex authoritate.*
14. *Quare pagani & Judei ex agris principi catholico subjectis decimas solvant.*

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Quid si hæres universalis?

15. *Hæres universalis immediatus ad Decimas sui antecessoris persolvendas obligatur.*
16. *Idem videtur dicendum de successore universali mediato.*

§. III.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Quid si decimæ ex quodam agro jam sint solutæ, an illæ etiam ex rapis, quæ is idem ager eodem anno fuerat consuus, sint persolvendæ?

17. Cajus vi juris communis, & præscindendo à consuetudine contraria ad Decimas ex rapis tenetur.

18. 19. 20. Solvuntur rationes contrarium sentientium.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An teneatur Cajus solvere decimas?

1 PRo solutione casûs sciendum 1. Decimas definiri, quòd sint *Decima pars bonorum mobilium licitè quæsitorum Ecclesiæ ministris exsolvenda.*

Sciendum 2. An hunc fundum prædialem inceperit possidere, vel una cum fructibus nondum decimatis, vel sinè omnibus fructibus, in quantum hos antecessor collegerat. 3. An Cajus emptione, vel jure hæreditatis ejusmodi fundum acquisiverit.

2 His præmissis Dico 1. Si ipse fundus unà cum ipsis fructibus indecimatis transijt ad secundum possessorem Cajum, erit hic omnino obligatus ad solvendas decimas ex fructibus, quos una cum fundo accepit ita *teste illsung tract. 5. Disput. 2. q. 3. a. 2. n. 234. Doctores universim.* probatur autem ex *cap. tua nobis 26. de Decimis, item ex cap. pastoralis 28. ibi: fructus autem ipsos alienari posse non credimus, nisi cum onere decimarum*, uti & *ex cap. cùm non sit 33.* ibi *statuimus ut in prærogativam dominij generalis exactionem tributorum & censuum præcedat solutio decimarum, vel saltem hi, ad quos census, vel tributa indecimata perveniunt (quoniam res cum onere suo transit) ea per censuram Ecclesiasticam decimare cogantur Ecclesijs, quibus de jure debeatur.* Ratio est, quòd decimator habeat jus reale in ipsis decimis, ita ut huic juri activo correspondens jus passivum inhæreat ipsis fructibus: ergo hoc dabi-

dabitur, ad quemcunque Dominum transierint.

Conf. ex S. Thoma *2. 2. q. 87. a. 2. ad 4.* ibi, *de his, quæ furto, vel rapina tolluntur, ille, à quo auferuntur, decimas solvere non tenetur, nisi forte propter culpam, vel negligentiam suam damnum incurrit, si verò vendat triticum non decimatum, potest Ecclesia decimas exigere ab emptore, quia habet rem Ecclesiæ debitam, & à venditore, quia, quantùm est in se, Ecclesiam defraudavit.*

Dico 2. Si Cajus ex titulo venditionis, aut alio quàm hæredis universalis solum fundum sine ullis fructibus possidet, non erit obligatus ad solvendas decimas, quas annis prioribus antecessor, vel omnino nullas, vel non integras persolvit. Ita contra Panormitanum, Hostiensem, Joan. Andre, Frederic. Sen, Rebuffum, Azorium *tom. 1. l. 7. c. 24. q. 2. & 18.* Felinum Archidiaconum, Guttierez, Augustinum Barbosam, Fermorinum, Ludovic. Engl pluresque alios defendunt Suarez *tom. 1. de Religione l. 1. tract. 2. c. 38. num. 9.* Canisius, Layman. *l. 4. Theol. Moralis tract. 6. c. 2. n. 5.* Pyrhing. *hoc tit. n. 161.* Schambog. *eodem n. 51.* Zœsius Fagundez *Cod. l. 3. c. 6. n. 2.* Bern. Van Espen, Michaël du Perrus, uti & alij antiqui Canonistæ, quos Panormitanus citat *in c. 7. n. 6. & cap. 28. h. t. n. 5.*

Probatur concl. 1. Negativè: onus solvendi decimas præteritas illorum fructuum, quos Cajus non perceperat, est gravissimum, ac intolerabile: ergo, cùm nullum jus imponens hoc tam grave onus extet, non debet hoc tam intolerabile onus imponi Cajo, quòd autem nullum tale jus extet, probatur negativè.

Probatur concl. 2. Jus exigendi decimas annorum præteritorum nondum solutas, non est immediatè annexum fundo, sed fundi fructibus: ipsi autem fundo tanquam onus reale præcisè inhæret, quatenus fundus virtualiter in se fructus continet, hoc est, cum respectu, & ordine ad fructus, quibus solis propriè, & formaliter onus decimandi annexum est: ergo cùm apud Cajum non existant ipsi fructus, neque dabitur apud illud ulla obligatio. Ant. constat *ex cap. 24 26. & 33.* uti ex citato *cap. pastoralis 28. de decimis*; in his enim onus decimarum apertè annectitur solis fructibus; ab ijs etiam, qui fructus percipiunt, afferunt solvendas esse decimas: ergo cùm non annectatur jus istud fundo, hic ab isto onere erit immunis. Consequentia verò est æquè certa, si enim onus decimarum immediatè est annexum solis fructibus, tunc illæ solùm erunt solvendæ, quando, & quatenus fructus colliguntur, & ab illo, qui colligit:

git : ergo cùm Cajus non collegerit, non erit obligatus.

Conf. 1. Argumento *regulæ non debet 22. in 6. non debet aliquis alterius odio prægravari.* ergo minimè æquum videbitur, ut decimarum onus fructibus, & simul horum fundo uti & hujus possessori incumbat, eò quòd sic possessor antecessoris sui odio gravaretur.

Conf. 2. Nulla jura decernunt decimas solvendas esse à detinentibus prædia sine fructibus, sed obligationem istam alligant percipientibus fructus : ergo à sensu contrario benè infertur, decimas à non percipientibus fructus haud quaquam solvendas esse.

Conf. 3. Si sola possessio fundi obligaret ad solvendas decimas, licèt fructus à possessore non percipiantur, deberet v. g. Cajus solvere decimas ex suo fundo, licèt hunc pro solvenda mercede colendum locaverit Ambrosio : atqui hoc falsum esse constat ex *c. 8 28. & 33. de decimis.* ubi statuitur, ut decimas potiùs conductor solvat, quàm locator, licèt istud non fuerit specialiter in pactum deductum.

Conf. 4. Nemo me obligabit ad solvendas decimas ex meo fundo, si fructus inundatione, grandine, aut depopulatione hostili, alióve infortunio perierint : ergo non ipsi fundo est annexum onus solvendi decimas.

Conf. 5. Obligatus ad solvendas decimas debet istas solvere ultrò, & non rogatus : atqui Dominus solius fundi, etiam juxta adversarios non est obligatus ad illas præstandas, nisi ut rogatus : ergo omnino non erit obligatus.

Conf. 6. Argumento *Legis : factum cuique 155. ff. de R. J.* non decet, ut factum venditoris noceat Emptori.

Conf. 7. *cap. 28. & 33.* hoc titulo habetur, quòd in casu quo Dominus & prædium, & fructus indecimatos diversis personis vendiderit, decimæ solvendæ, & expetendæ sint ab emente fructus indecimatos, non autem ab emente solum prædium : ergo &c.

Contra hanc, quæ potissimè 4
controversa est, conclusionem, sic objiciunt obligantis sententiæ Patroni : decimæ in sensu Ecclesiastico sunt tributa, habéntque naturam tributorum : atqui onus non solutorum tributorum transfertur etiam in successorem : ergo etiam onus solvendi decimas transfertur in successorem. Prob. Maj. ex *verbis cap. tua nobis 26. de decimis :* ibi, *tributa egentium animarum vocantis.* Eadem Maj. constat etiam ex ratione : nomine tributi venit pensio solvenda juxta cujusque facultates præsertim prædiales ad recognitionem Principis, & communia impendia sustinenda : atqui juxta *Inn. 3. cit. cap. 26. decimas Deus in signum universalis dominij sibi reddi percipit.*

pit : ergo decimæ habent rationem tributorum. 3. Idem Pontifex in *cap. cùm non sit 33. h. t.* non solùm decimas tributis comparat, sed tanquam tributa altioris ordinis præfert quoad præstationem faciendam quibuscunque alijs tributis.

Verùm ad rationem istam, qua præcipuè nituntur adversarij, respondemus negando Majorem, quòd scilicet decimæ propriè rationem tributorum habeant : si autem in nullo vero, ac proprio sensu naturam tributi habent, tunc statuta de tributis non habent locum circa solutionem Decimarum, cùm taliter omnino ineptè à tributis argueretur ad aliud omnino disparatum, seu non participans naturam tributi. Non autem gratis à nobis majorem negatam fuisse, colligitur ex verbis *Glossæ in cap. tua nobis 26. V. tributa*, ubi habentur sequentia: *decimæ impropriè dicuntur tributa : quia in tributis non admittitur appellatio can. ei qui 44. causa 2. q. 6. sed super decimis benè admittitur, sicut in alijs causis ubicunque aliquis gravatur c. ut debitus 59. de appellat. item in tributis non currit præscriptio, 16. q. 3. c. placuit 15. §. potest. V. adhæc Ecclesia &c. sed in decimis benè currit c. de quarta 4. & c. ad aures 6. de præscript.* juxta Suarezium *itaque tom. 1. de rel. l. 1. tract. 2. c. 38. num. 9.* & Canisium *c. 4. n. 7.* aliósque sunt solùm metaphoricè tributa, præter enim allatas modò duas differentias decimæ à tributis etiam in eo differunt, quòd decimæ solvantur privatis Ecclesijs, ac personis tum in stipendium sacri ministerij, tum in sumptus sacrificiorum, ornamenta Ecclesiarum, egenorúmque subsidium. Tributa ex oppositio Principi sunt præstanda in signum superioritatis, item ad sustinenda communia Reipublicæ onera, prout testantur, Brisonius *de verb. significat. V. tributa Thesaurus loco : commun.* Barbosa, & Tabor *V. tributum.* Panormitanus *in c. ad audientiam 13. n. 18. de præscriptione cum* Bartolo *in Leg. 1. ff. de publicanis*, & *eruitur ex cap. 2. de censibus*, ibi : *ideo enim tributa præstatis, quia hæc est probatio subjectionis.*

Urgebit hic aliquis cum Emin. Card. de Luca *disc. 6. de decimis num. 12.* Decimas præstari Deo tanquam supremo Domino, ac Principi spirituali in recognitionem universalis dominij. Sed respondetur negando, hunc modum loquendi esse proprium : decimæ enim nequaquam immediatè præstantur Deo, sed solùm Ministris Ecclesiæ, in quantum per decimas, ut principale intenditur sustentatio Ministrorum in Ecclesia: cùm ergo isti præcipuè intendant cultum Divinum promovere, hinc quod illorum sustentationi attribuitur, aliquo modo etiam Deo dicitur præstari, & propterea accessoriè & quasi secundariò præstatio-

ſtationi decimarum eſt conjuncta quædam proteſtatio dominij; prout cujuslibet alterius Divinæ Legis obſervatio cultum Divinum promovet.

6 Urgebitur 2. In *cap. tua nobis* hoc titulo decimæ nominantur tributa pauperum, & egentium animarum: ergo &c. ℟. nomen tributi citato loco accipi latiùs, in quantum tributum quamlibet donationem, vel ceſſionem ſignificat, derivando hoc nomen à verbo tribuo: in quo ſenſu etiam alteri beneficium tribuere dicimur, uti & veniam, remiſſionem delicti: vocantur itaque decimæ tributa egentium animarum, eò quòd reſidua illarum pars à Miniſtris Eccleſiæ pauperibus ſit tribuenda. Nobis potiùs hæc objectio ſervit; ſicut enim decimæ non ſunt propriè tributa, licèt vocentur tributa egentium animarum, ita neque ſunt propriè tributa Dei, licèt taliter vocentur.

Conf. omne verum tributum immediatè præſtatur Principi, niſi etiam Eleemoſynas in honorem Domini ſupremi pauperibus erogatas velis verum tributum dicere: ſed decimæ non immediatè tribuuntur Deo: ergo &c.

Conf. 2. Tributa inhærent rebus, & propterea cum iſtis ad quemcunque poſſeſſorem tranſeunt: decimæ autem juxta probata annexæ ſunt fructibus.

7 Urgent 3. Etiam ex fructibus ſolvitur tributum, vi *Legis 13. ff. de impenſ. in res dotales factis*, & ſucceſſor licèt careat fructibus ab anteceſſore perceptis, ex his tamen tributa cogitur ſolvere, ergo ℟. neg. conſ. Ratio eſt: in citato loco, ſermo eſt de marito, & deciditur à Juris - Conſulto Paulo, *quòd neque ſtipendium, neque tributum ob dotalem fundum præſtita, exigere vir à muliere poſſit, onus enim fructuum hæc impendia ſunt.* ex quo colligitur maritum ad tributa teneri, eò quòd, & fundi dotalis, & fructuum quoque ex eo perceptorum poſſeſſor exiſtat: qualium tamen fructuum poſſeſſor non eſt Cajus: ergo non eſt paritas.

Urgebis 4. Magis ſunt privile- 8
giatæ decimæ, quàm tributa: ergo, ſi tributa ſunt à ſucceſſore ſolvenda, multò magis etiam præſtandæ erunt decimæ. Prob. ant. decimæ ſunt ſolvendæ ante tributa: ergo &c. ℟. diſt. ant. ſunt decimæ magis privilegiatæ ſimpliciter, negatur, ſunt magis privilegiatæ quoad hunc effectum, conceditur ant. & neg. conſ. cùm tributa non poſſint præſcribi, benè autem decimæ, ideo non eſt verum, quòd ſimpliciter magis ſint privilegiatæ decimæ, quàm tributa.

Urgebis 5. In multis alijs à fiſ- 9
co bonum argumentum deducitur ad Eccleſiam, & à tributis ad decimas: ergo etiam in præſenti caſu. ℟. neg. conſ. ibi enim ſolùm bona hæc illatio eſt, ubi han-

hanc expressè statuerunt jura, aut saltem non statuerunt contrarium, quod tantum circa solutionem decimarum factum fuit, cùm ex dictis constet, solis fructibus hoc onus annexum fuisse, neque decimæ eodem rigore, quo tributa, exigantur, cùm præscribi valeant, & per privilegium ab ijs personæ eximantur, etiam quæ percipiunt fructus: non ergo erit credibile, quòd obligare velint non percipientes fructus.

10 Ob. 2. Contra eandem secundam conclusionem; ex vi *cap. in quibusdam 32. de decimis* tenentur Domini prædia solis illis elocare, à quibus Ecclesiæ decimas sine contradictione percipiunt, item *can. si quis laicus 16. q. 1.* prædia ita alijs concedi permittit, ut decimarum proventus priori Ecclesiæ non subtrahantur: ergo &c. ℟. neg. cons. ratio est, quòd primus textus de solis decimis futuris sit intelligendus; loquitur enim de decimis solvendis non ab ipso Domino prædiorum, sed de horum conductoribus, sive colonis, qui utique ipsos fructus percipiunt, alter textus pari modo de futuris decimis loqui censeri potest.

11 Ob. 3. Decimæ prædiales sunt onus reale: ergo ipsis prædijs inhærent: ergo cum istis tanquam onus ad quemcumque possessorem transeunt, etiam quoad decimas antea solvendas, quia par est in hoc quoad utrumque ratio. ℟. dist. primum cons. ergo decimæ ipsis prædijs secundùm se sumptis immediatè, atque directè inhærent neg. cons. ergo ipsis prædijs ut virtualiter continentibus fructus, sunt annexæ, conc. hanc & nego alterum consequentiam.

Ob. 4. Regulariter Ecclesia dicitur gaudere privilegijs Fisci, & Reipublicæ, quoties casus est applicabilis. 2. à Jure Canonico *c. 1. de novi operis nuntiatione* approbatur, quod à Jure Civili statutum est in simili, præsertim in casibus Ecclesiæ favorabilibus. 3. Ecclesia dicitur gaudere privilegijs dotis, pupillorum, minorum: ergo sicuti bona mariti sunt uxori pro dote tacitè obligata, sic etiam prædia pro decimis erunt obligata Ecclesiæ. ℟. Ad primum à Fisco ad Ecclesiam bonam fieri argumentationem, juxta *Everardum loco 61. n. 18. quando eadem ratio militat in utroque, & quando contrarium non reperitur expressè decisum in jure, & quando privilegia fisci sunt talia, quòd congruunt Ecclesiæ vel causæ piæ, & ad eas applicabilia sunt.* Atqui casus in decimis diversissimus est à casu tributorum, insuper Jus Canonicum expressè aliud quid statuit de decimis, quas solis fructibus inhærere declaravit: ergo favor circa hoc in tributis concessus fisco, non est applicabilis ipsis decimis. Ad secundum Dico, licet Jus Canonicum statuta à Ju-

re

re Civili approbet, quia tamen Jus Civile nihil ſtatuit circa decimas, non ſequitur, quòd ſtatuta à Jure Civili circa tributa applicanda ſint decimis, eò quòd Jus Canonicum neque textu aliquo particulari, neque univerſali ullibi ſtatuat, decreta à Jure Civili circa tributa eſſe transferenda ad præſtationem decimarum, ſed potiùs contrarium definivit. Ad tertium aſſero, tunc ſolùm paritatem inter Eccleſiam & pupillos &c. intercedere, quando eadem pro Eccleſia pugnat quoque ratio in præſenti autem caſu magna eſt inter utrumque differentia, prob. min. univerſim fideles non habent erga Eccleſiam tam arctum vinculum, & tantam obligationem, quàm arctum vinculum, & quàm arctam obligationem inter ſe habent uxor & maritus: pupillus & tutor: ergo in præſenti caſu non eſt eadem ex utraque parte ratio, ſed magna differentia; conſequenter ab uno non licet argumentari ad alterum.

Confirmatur à favore, & privilegio ſingulari, quod reſpectu paucorum eſt conceſſum, non fit bona argumentatio ad favorem univerſalem reſpectu perſonarum plurimarum & bonorum omnium: ergo cum favor pupillis, uxori &c. conceſſus ſit particularis, & paucis tantùm perſonis conceſſus; ab illo non bene argumentabuntur adverſarij ad decimas, cùm hoc onus plurimas perſonas, & omnia harum bona, quæ adverſarij contendunt Eccleſijs ſpecialiter ratione decimarum obligata eſſe, concerneret, particularis autem, ac paucis duntaxat quibusdam perſonis conceſſus favor non eſt extendendus ad favorem univerſalem reſpectu plurimorum.

Ob. 5. Saltem ſententia oppoſita eſt probabilior ex authoritate, quæ ſat magna, & fortè noſtrâ major eſt: ergo &c. R. cùm ipſe Panormitanus aſſerat, veteres canoniſtas pro nobis ſtare, recentiores autem plures eandem teneant: ex altera verò parte oppoſitæ patroni videantur rem ex propoſito non examinâſſe, aliquot etiam horum ex mera quadam Reverentia Panormitani veſtigiis inhæreant; nonnulli etiam ſolùm aſſerant jus decimarum eſſe reale, quod verum eſt, ſi dicatur annexum fructibus, hinc illa non tanti æſtimanda erit, cùm fundamenta ab illis adducta facilè ſolvi queant nulláque obligatio ſine ſufficienti probatione ſit aſſerenda, præſertim ſi illa ſit tam difficilis, ardua, atque univerſalis, uti eſt iſta præſens. 13

Ob. 6. Si onus decimarum non eſt annexum ipſis prædijs, non habetur ratio probans, paganos, & Judæos eſſe obligatos ad ſolvendas decimas, ex agris Principi Catholico ſubjectis, hoc eſt falſum: ergo &c. Prob. Mai. ſi non eſt annexum prædijs, eſt 14

annexum personis ratione obsequiorum spiritualium, quæ istæ recipiunt à Ministris Ecclesiæ: Judæi autem nulla obsequia spiritualia ab istis recipiunt: ergo &c. R. dist. ant. si simpliciter & nullo modo decimæ sunt annexæ prædijs, tunc vera est sequela, con. si illis tantùm secundùm se sumptis atque immediatè non sunt annexæ, sunt tamen mediatè, & prout virtualiter continent ipsos fructus, & cum respectu ad istos, nego sequelam. Respons. cùm ex dictis pateat, ideo explicatione non indiget.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum?

An hæres universalis ad decimas à suo antecessore non solutas, teneatur?

15 Dico: si Cajus illud prædium tanquam universalis hæres immediatus possideat, eundem ad præstandas decimas tam personales, quàm reales à suo antecessore, seu testatore non solutas obligatum fore, ita communis.

Prob. omnia debita ex bonis hærditarijs ab hærede universali sunt solvenda: sed Cajus ponitur esse hæres universalis: ergo ab illo omnia debita antecessoris erunt solvenda. atqui solutio decimarum est aliquod debitum: ergo &c. Major probatur *ex cap. fin. de sepulturis: ibi sed ejus* (defuncti scilicet) *hæredes & propinqui, ad quas bona pervenerunt ipsius, ut pro eodem satisfaciant, censurâ sunt Ecclesiasticâ compellendi, nec non ex lege: ex facto 35. §. unde scio ff. de hæredibus Instit. ibi refert Papinianus, pro hæreditarijs partibus eos agnoscere æs alienum debere. item ex lege 37. ff. de acquirend. vel amittend. hæredit. hæres in omne jus mortui, non tantùm singularum rerum dominium succedit; cùm & ea, quæ in nominibus sint, ad hæredem transeant.* uti etiam ex *lege 59. ff. de Reg. Juris, hæredem ejusdem potestatis jurisque esse, cujus fuit defunctus, constat.* nec non *ex lege 62. de Reg. Juris, hæreditas nihil aliud est, quam successio in universum jus, quod defunctus habuerit. denique in lege 128. de Reg. Juris bi qui in universum jus succedunt, hæredis loco habentur.*

Præterea hæres universalis *vi legis 14. Cod. de rerum vendicat:* tenetur etiam factum defuncti præstare: ergo etiam æs alienum, & debita ejusdem exsolvere.

Ex

16 Ex hactenus allatis vidimus, hæredem univerſalem immediatum ad decimas ab anteceſſore ſuo non perſolutas, teneri, major difficultas habetur de obligatione, quam hæres univerſalis mediatus ad tales decimas ſolvendas habet: v. g. in propoſito caſu ponamus, quòd Cajus defuncti Cornelij hæres univerſalis decimas ab hoc perſolvendas, prout tamen tenebatur, non præſtiterit, in hoc autem ſtatu defunctus, Titium univerſalem ſuorum bonorum hæredem inſtituerit, eritne iſte ad decimas à Cornelio non præſtitas, nec ab hujus ſucceſſore Cajo perſolutas obligatus?

Difficultatem videntur movere, quæ de bona, & mala fide in præſcriptionibus habentur, in hac etenim materia quæritur, utrùm mala fides anteceſſoris noceat ſucceſſori aliàs in ſe bonæ fidei? Et communiter reſpondetur, quòd mala fides anteceſſoris noceat ſucceſſori immediato, non autem mediato: ergo videtur etiam dicendum, quòd ſolummodo hæres immediatus ad ſolutionem decimarum, quas anteceſſor ſuus non præſtiterat, ſit obligatus non autem hæres mediatus.

Sed reſpondetur, diſparitatem inter ſucceſſorem in ordine ad præſcriptionem, & inter ſucceſſorem univerſalem ratione obligationis ad ſolvendas decimas ab anteceſſore non perſolutas in eo eſſe ſitam, quòd mala fides ſucceſſori immediato, & habenti bonam fidem tantummodo per fictionem juris imputetur, qui in ſe ponitur habere bonam fidem, & id ex eo capite, quòd cum anteceſſore judicetur eſſe eadem perſona.

Cùm ergo ex altera parte jura duplicatam fictionem fugiant, & deteſtentur, hinc ſucceſſor mediatus non fingitur à jure eadem perſona cum primo defuncto, & conſequenter neque malæ fidei, aut propterea ad præſcribendum ex defectu bonæ fidei impotens eſſe. Ex oppoſito ad ſolvenda defuncti debita hæredi univerſali incumbens obligatio nequaquam innititur tantùm cujuſdam juris fictioni, ſed iſte à legibus verè, ac reipſa ad perſolvenda debita anteceſſoris ſui obligatur: cùm ergo Cajus, quem ponimus fuiſſe defuncti Cornelij hæredem univerſalem immediatum, verum debitum contraxerit ad ſolvendas decimas à Cornelio non præſtitas, ideo hoc æs alienum ejuſdem ſucceſſor univerſalis Titius debebit ſolvere, ad hoc obligatus, non quidem ex re accepta, aut ex injuſta acceptione ſed ex quodam contractu, quo ſucceſſor ex voluntate legum ſe obligat ad ſolvenda omnia ſui anteceſſoris debita, non minùs realia, quàm perſonalia, ſive dein hæc proveniant ex re accepta, ſive ex injuſta acceptione.

§. IV.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Si decimæ ex eodem agro jam sint solutæ, an illæ etiam ex rapis, queis idem ager eodem anno fuerat consitus, sint persolvendæ?

17 REspondeo, si consuetudine non fuerit sublatum onus solvendi Decimas ex rapis in aliquo loco, etiam in positis circumstantijs Cajum ad decimas ex ijs solvendas obligatum fore. ita cum communi P. Jacobus Wex in sua Ariadne part. 5. tract. de Decimis quæst. 6. n. 3.

Prob. conclus. ex *cap. Nuncios 6. de decimis*, ibi *nuncios mandamus quatenus parœcianos tuos de opibus & omni fructu decimas persolvere Ecclesiæ districtione compellas*, item *ex cap. ex parte 21.* ibidem *ex parte canonicorum Ecclesiæ tuæ nobis est querela proposita, quòd quidam agricultores, cùm simul vel diversis temporibus anni, in eodem horto, vel agro diversa semina sparserint, non nisi de unius illorum seminum fructibus Decimas illi persolvant &c. mandamus, quatenus si noveris, rem taliter se habere, agricultores illos, ut de omnibus prædiorum fructibus decimas absque diminutione persolvant, Ecclesiastica censura compellas. Item ex cap. 22. eodem titulo: de vino, grano fructibus arborum pecaribus, hortis, negotiatione, & de omnibus bonis decimæ sunt Ministris Ecclesiæ tribuendæ.*

Denique in c. 26. eadem Rubrica: de cunctis, omnibus provenientibus jubentur solvi decimæ.

Respondent ad hæc ex jure 18
Canonico adducta capitula, in ijs solùm sermonem esse de casu, in quo diversæ partes ejusdem agri diversis fructibus conseruntur, & de his singulis decimas solvendas decerni, sed contra est: in cap. *ex parte 21.* expresè legitur particula *vel: cùm simul vel diversis temporibus anni, in eodem horto, vel agro semina sparserint*, contra est secundò vi *cap. 6. 22. & 23.* sunt decimæ solvendæ *ex omni fructu & cap. 21.* asserit esse solvendas ex *frumento & grano:* & *cap. 3.* jubet solvere decimas *ex fabis aliisque leguminibus*, & nulla fit mentio, distinctio, aut exceptio de ortu horum fructuum, an prima vel secunda vice ex eodem fundo provenerint: ideo infertur, quòd in omni casu ex ijs sint solvendæ, nisi contraria consuetudine obligatio ista fuerit abolita.

Ob.

19 Ob. 2. ex eadem re non debentur bis decimæ : ergo nec ex eodem agro ℟. diſt. ant. ex eadem re non debentur bis decimæ, ita tamen, ut occaſione ejuſdem rei duplex decima debeatur conc. ant. non debentur ex eadem re bis, & neque occaſione ejuſdem rei poſſunt ex diverſis rebus bis deberi decimæ, neg. ant. & conſ. cùm Decimæ immediatè proximè, ac per ſe debeantur ex fructibus, non autem ex ipſo prato, fructus autem ſint diverſi, frumentum ſcilicet & Rapæ, ideo non ex eadem re, ſed ex diverſis dabuntur decimæ : quia tamen hi fructus ſunt in eadem agro conſiti, hinc occaſione ejuſdem agri, & rei bis debentur : ſunt igitur nomine rei, quando dicitur, quòd ex eadem re non debeantur decimæ bis, intelligendi fructus, ratio horum eſt, quòd non ager ſecundùm ſe ſpectatus, ſed ut ferens fructus ſit obnoxius decimis: atqui textus juris aſſerunt univerſaliter, ex omnibus fructibus eſſe ſolvendas decimas: ergo erunt iſtæ ſolvendæ etiam ex eodem agro, ſi hic ſucceſſivè plures fructus proferat.

Conf. etiam in productis ſecunda vice in eodem agro fructibus, reperitur ratio, ob quam ſunt decimæ ſolvendæ : ergo etiam debent ex ijsdem ſolvi prob. ant. etiam tales fructus provenerunt ex DEI munere, & neceſſarij poſſunt eſſe ad procurandas res conſervando DEI cultui neceſſarias, uti etiam ſuſtentationi miniſtrorum DEI : ſed hæc eſt ratio exigendi decimas : ergo &c.

Ob. 3. Hanc noſtram aſſertionem repugnare praxi conſultæ plurimorum locorum, in quibus ex rapis decimæ nunquam exiguntur : ergo &c. ℟. conc. ant. diſt. conſ. ergo non debent ex illis ſolvi decimæ in locis, in quibus obligatio iſta fuit extincta contraria legitima præſcriptione, conc. in quibus non fuit abrogata neg. noſtra reſponſio eſt conformis Juri communi, & quid vi hujus præſcindendo à contraria conſuetudine, faciendum in hac re ſit, declarat : ſicut itaque hæc ipſa conſuetudo, ubi illa invaluit, extinxit obligationem ſolvendi decimas ex fæno, & ex fructibus arborum, ita illa ipſa introducere potuit exemptionem ſolvendi ex ſecundis fructibus in eodem agro productis, optimè igitur advertit Eminent: Card. de Luca *diſc. 5. de decimis diſc. 18. n. 16.* & cum hoc Pater Jacobus Wex *n. 1. loci cit.* quoad plerasque quæſtiones materiam decimarum concernentes optimum judicem eſſe conſuetudinem & obſervantiam in particularibus provincijs, aut parochiis vigentem.

20 Quodſi autem ulterius promoveatur quæſtio, & cui ſubjecto ex rapis provenientes decimæ perſolvi debeant, indagetur; reponimus, attendendum eſſe, an

penes eundem sit universale jus omnes decimas tam majores, quàm minores percipiendi, vel penes plures? si primum, ille ipse habebit jus exigendi decimas ex rapis, qui illas colligit ex frumento quod si autem unus habeat decimas majores, alius autem minores tunc huic decimæ ex rapis præstandæ erunt, in quo tamen ipso etiam potissima ratio consuetudinis localis habenda erit, ut decidatur, quinam fructus minoribus, & quinam majoribus sint accensendi: habetur enim ab experientia, eosdem fructus in uno loco annumerari majoribus, in alio minoribus.

CASUS XXXIII.

De obligatis ad domum Parochialem reficiendam.

PArochus Paræciæ A. cùm tam stabulum, quàm horreum ipsius ob vetustatis vitium ruinam minitarentur, conadecimatores suos monet, ut pro rata illos concernente ad ædificationem novi stabuli & horrei secum concurrerent contribuere tamen aliquid cùm isti recusarent, ideo.

Q. 1. Quinam Ecclesiam parochialem reparare debeant?

Q. 2. Num etiam decimatores?

Q. 3. An obligati ad reficiendam Ecclesiam, reparare debeant ædes parochiales, horreum &c.?

Q. 4. Quomodo, & à quibus renuentes ad reficiendum Ecclesiam cogi possint?

SY-

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Quinam Ecclesiam parochialem reparare debeant?

1. *Quænam sub nomine refectionis comprehendantur?*
2. *Ad illius refectionem obligare solent consuetudo, statuta, conventiones.*
3. *Allegantibus tamen ista incumbit probatio.*
4. *Seclusis aliis, reparatio ex proventibus Ecclesiæ facienda.*
5. *His deficientibus tenentur parochus, & beneficiati.*
6. *Ex reditibus congruæ sustentationi superfluis.*
7. *Licèt incremento statûs ad clericalem impertinentis necessarij sint.*
8. *Non tamen ex bonis aliunde aquisitis.*
9. *Aut parochi sustentationi congruis, licèt ex alijs vivere hic possit.*
10. *Ad reparationem quoque tenetur Patronus proventibus Ecclesiæ fruens, aliàs non.*
11. *Non obstante* Tridentino sess. 21. cap. 7. de reformat.
12. *Aut alijs rationibus.*

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Num etiam decimatores ad reficiendam Ecclesiam sint obligati?

13. *Decimatores sunt triplicis generis*
14. *Patronus decimas percipiens tenetur.*
15. *Et Decimatores Ecclesiastici, seclusa consuetudine contraria.*
16. 17. 18. & 19. *Afferuntur fundamenta obligantium decimatores laicos.*
20. *Quibus non prodest, quòd decimæ laicales annumerentur bonis patrimonialibus.*
21. *Sunt enim proventus Ecclesiæ,*
22. *Nec obstat, quòd sint in patrimonio laicorum.*
23. *Cùm veri adhuc proventus Ecclesiastici habeantur.*
24. *Verò similior est sententia decimatores laicales obligans.*

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An obligatio reparandi Ecclesiam etiam se extendat ad refectionem Ædium Parochialium?

25. *Vi Juris communis Responsio est affirmativa.*
26. *Sub ædibus parochialibus continentur etiam horreum, stabulum &c.*
27. *Observanda tamen erunt statuta, & conventiones cujuslibet loci.*
28. *Quandonam decimatores ad magis sumptuosis ædes construendas teneantur?*
29. *Quorum non antea requisitorum sumptibus nihil est reficiendum.*

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

Quomodo, & à quibus renuentes ad Ecclesiam reficiendam cogi possint?

30. *Ad refectionem Ecclesiæ parochialis agere possunt, Prælati, Parochus, Præfecti Ecclesiæ.*
31. *Et obliqui ad reparandum urgeri possunt à judice ex officio.*
32. *Item populus, seu parochiani.*
33. *Etiam respectu laicorum in hac causa judex est Ecclesiasticus.*
34. *Num etiam secularis sit judex competens?*
35. *Compelli decimatores poterunt detentione decimarum.*
36. *Inflictione censurarum Ecclesiasticarum, & mulctarum temporalium.*

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Quinam Ecclesiam Parochialem reparare debeant?

1 NOmine Parochialis Ecclesiæ venit Ecclesia, cui præest presbyter ad curam animarum, intra certos limites ex officio exercendam, auctoritate apostolica constitutus. controversia itaque movetur, quibusnam incumbat onus reparandi ejusmodi Ecclesiam Parochialem, si hæc ob vetustatem, incendium, ruinam destructa, collapsa, vel diruta, iterum reparanda, & resturanda sit? licet autem verbum reficiendi, seu reparandi aliter, atque aliter pro natura, conditione, & qualitate materiæ accipiatur, in præsenti tamen casu idem sonat reficere, seu reparare, ac id, quod corruptum est, in pristinum statum restaurare. Ita Ulpianus *lege 1. §. deinde ff. de rivis.* optimè etiam advertit Dom. Petrus Peckius in *suo tract. de Sacrosanctis & Catholicis Christi Ecclesiis reparandis cap. 1.* hoc verbo *reficiendi* contineri tegere, substruere, farcire advehere, & ea, quibus ad eandem rem opus est apportare.

2 Dico 1. Ad Ecclesiæ parochialis reparationem concurrere, ac necessarios sumptus, atque operas conferre debebit populus, aut alij, quibus hanc obligationem recepta loci consuetudo, particularia statuta, aut conventiones imponunt. Ita in *cap. 1.* notant Hostiensis *n. 1.* Panormit. *n. 3.* Barbosa *n. 3.* Vallensis *in hunc titulum* Petrus Peckius *cap. 9.* citans Cardinal. Anchor. Joan. Andre *ad c. 1. de Eccles. ædif.* Ripa: Steph. Ceri *cons. 53. n. 4. lib. 1. decis. capellæ* Tholosan *penult.* prob. concl. ex antiqua consuetudine obligantur laici certis quibusdam diebus jejunare: externis concionatoribus ad eorum Ecclesiam accidentibus alimenta ministrare, pastoribus & rectoribus pro opere & labore honorarium præstare, & à certo anni tempore consuetam aliquam oblationem facere: *cap. consilium de observat. jejuniorum cap. ad apostolicam 42. de simonia.* & ibi Felinus *de simon.* Joannes Franciscus Ripa *tit. de lege & longa consuetudine: cap. 14. in fine.* ergo etiam hac ipsa antiqua consuetudine introduci poterit obligatio in populo reparandi Ecclesiam parochialem.

Conf. ex legibus Longobardorum *lib. 3. tit. de Episcop. & Clericis* constat, illorum tempore talem consuetudinem viguisse, & vi illius ad reparandas Ecclesias

populum officio judicis coactum, & compulsum fuisse.

3 Ad hoc autem, ut ex consuetudine populus ad reparationem Ecclesiæ obligatus censeatur, erit talis consuetudo alleganti eam probanda, prout habetur in Glossa *ad legem 1. in verbo probatis* & ibi Baldus in *1. not. cap. quæ sit long. consuet.* Bartolus *ad leg. 2. q. 27. in fine eadem rubrica* Alex. *consil. 67. lib. 7.* Hæc consuetudo, cùm ad causæ decisionem pertineat, sitque majoris momenti, requirit illa pleniorem probationem juxta Barto. *ad dictam legem de quibus in 4. princ. ff. de LL. Socin. consilio 39. lib. 4.* Dec. *consil. 402. n. 12.* Probanda autem ejusmodi consuetudinis existentia vel per instrumenta, quorum usus ex antiquo apparet, *lege vetustissimam Cod. de jure dom. imper.* Baldus *consil. 38. lib. 3.* vel per testes, qui de visu actûs, cujus consuetudo allegatur, deponant. nec non de actuum frequentia, diuturnitate temporis &c. Probandum autem his testibus erit, ejusmodi actus taliter factos fuisse, ut appareat, tacitum consensum populi, vel majoris ejusdem partis interveniisse. præterea etiam requiritur, ut constet populum exercendo reparationem Ecclesiæ, animum habuisse inducendi obligationem. Ratio hujus est, consuetudo habens rationem legis, & obligationis inducitur ex tacito consensu populi vi *legis de quibus ff. de LL.* ergo ubi defuit iste animus inducendi obligationem, non aderit consuetudo obligans *lege consensu: ff. de action. & obligat lege si per errorem ff. de Jurisdict. omn. Judicum.*

Dico 2. Secluſa tali consuetu- 4
dine, si ipsa Ecclesia parochialis proventus, seu reditus fabricæ deputatos habeat, reparatio Ecclesiæ parochialis ex illis proventibus facienda erit. Ita communis cum Lamber. *in de Jure Patronatûs lib. 3. q. 7. art. 2. n. 2. & 7.* Barbosa *de offic. Episc. alleg. 64. n. 1.* Gonzalez *ad cap. quicunque 1. de Eccles. ædif.* Wiestner *hac rubrica n. 42.* Clariss. P. Schmier *lib. 3. tract. 1. part. 2. cap. 2. sect. 2. §. 3. n. 63.* habetur conclusio *can. decrevimus causâ 10. q. 1. can. placuit 1. can. priscis 2. can. unio 3. quæ. 3.*

Dico 3. Si proprij Ecclesiæ Pa- 5
rochialis reditus, vel nulli, vel non nisi tenues, ac insufficientes habeantur, tum Parochus, & alij possidentes beneficium, ad Ecclesiam reparandam debebunt concurrere ex reditibus, qui deducta congrua sustentatione ijsdem superiunt. Ita habetur in *Trident. sess. 21. de reform. c. 7. item in cit. cap. quicunque 1. & cap. de his 4. de Eccles. ædificandis.* Trident. loco cit. Episcopos monet, *ut Parochiales Ecclesias collapsas resici, & instaurari procurent ex fructibus & proventibus quibuscunque, ad easdem quomodocunque pertinentibus.*

Ex

Ex his ita formamus argumentum pro noſtra concluſione. Quæcunque Parochus, uti etiam alij beneficium ex illa Parochia habentes, accipiunt, ſunt fructus, & proventus ad Eccleſiam Parochialem quomodocunque pertinentes: ergo, cùm Eccleſia Parochialis ſit reparanda ex quibuſcunque ad Eccleſiam Parochialem quomodocunque pertinentibus fructibus, etiam erit reparanda ex fructibus & proventibus; quos Parochus, & alij beneficium ex illa Eccleſia habentes recipiunt: ergo debebunt iſti ad reparationem concurrere.

Confirm. 1. Modò enumeratæ perſonæ habent, & ſentiunt commodum ab Eccleſia: ergo ad hujus reparationem ut concurrant, eſt æquiſſimum. Prob. conſ. qui ſentit emolumentum ab Eccleſia, non debet etiam detrectare onus: *Lege unica: Cod. de cadu. tollen.*

Confirm. 2. Clerici, dum vivunt, æquiparantur uſufructuarijs, *Gloſſa in cap. præſenti: de offic. ordin. lib. 6. & in cap. requiſiti. de teſtam. & cap. fin. de pecul. Clericorum.* atqui uſufructuarij tenentur ex fructibus res conſervare in bono ſtatu; ut colligitur ex definitione uſusfructûs, qui dicitur jus utendi, fruendi rebus alienis, ſalvâ eorum ſubſtantiâ *Leg. 1. ff. de uſufruct.* & ut ſarta tecta teneant. *Leg. hactenus. Leg. uſ. fruct. Lege: cum apud quem Cod. eodem tit.*

Diximus autem in concluſione, reparationem faciendam eſſe ex reditibus, qui deducta congrua ſuſtentatione tum Parocho, tum alijs beneficium in Eccleſia reparanda poſſidentibus ſuperſunt. Quòd enim congrua ſuſtentatio ejuſmodi in Eccleſiæ commodum occupatis perſonis non ſit ſubtrahenda, deſumitur *ex cap. de his 4. de Eccleſijs ædificandis;* ibi, *quòd ad reparationem, & inſtitutionem Eccleſiarum cogi debent, cùm opus fuerit, de bonis, quæ ſunt ipſius Eccleſiæ, ſi eis ſuperſint, conferre, ut eorum exemplo cæteri invitentur.* Secundò: nemo unquam militat ſtipendijs ſuis: ergo neque Parochus, aut cæteri beneficiati obligari poterunt, ut ſua obſequia gratis exhibeant Eccleſiæ; cùm omnis operarius dignus ſit mercede ſua: conſequenter, ſi deducta ſuſtentatione congrua non ſuperſit, quòd ad Eccleſiæ reparationem conferant, vel quod ſupereſt, in eam collatum non ſufficiat, tenebuntur alij. 6

Sicuti autem Parochus, & cæteri beneficiati, cogi nequeunt, ut fructus, qui ad congruam ſuſtentationem Parochi, ac cæterorum Beneficiatorum neceſſarij ſunt, ad reparationem Eccleſiæ impendantur, ita in hanc impendendi ſunt, qui congruæ ſuſtentationi ſuperflui, ne eſſarij tamen ſunt conſervationi, aut incremento ſtatûs, qui ad Clericalem ſtatum, qualis eſt nobilitas, habet 7

ſe

se prorsus impertinenter. Ita Lambertin. *de jure Patronatûs lib. 3. q. 7. art. 2. n. 7.* Riccius *in prax. Neapol. p. 4. decis. 293.* Comilotus *lib. 1. Respons. q. 82. num. 2. concel. 3.* Barbosa *in cap. de his: citatum n. 3.* Ratio est, quòd beneficiorum fructus ad Ministrorum Ecclesiæ sustentationem, & ad alendos ex superfluis pauperes, ipsiúsque Divini cultûs promotionem ordinentur; & cum hac obligatione Ministris Ecclesiæ distribuantur.

8 Cùm autem Ecclesiæ Rector, vel cæteri beneficiati, præter fructus ab Ecclesia reparanda provenientes, habere possint etiam alia quædam bona, patrimonialia scilicet, quasi patrimonialia, aut accepta ex alio distincto beneficio, quod unà cum Rectoria possidetur, ideo sciendum, Doctores communiter docere cum Anthol. ad *c. fin. de his, quæ fiunt à majore parte*, & D. Petro Peckio *de Eccles. repara. cap. 20. n. 5.* ex bonis patrimonialibus, & ex alio beneficio acceptis nullos sumptus ad reparationem talis Ecclesiæ suggerendos, eò quòd hæc ex suis tantummodo bonis, ac fructibus reficienda, & hinc pro rata beneficiorum contribuendum sit ad mentem Abbatis Genuensis *in manual. Pastor. c. 36. n. 3. & in praxi c. 54. n. 5.* Sperelli *for. Eccles. decis. 67. n. 7.* dein si etiam ex proventibus ab alio beneficio perceptis deberent aliquid contribuere, pluribus oneribus in pluribus locis simul gravarentur.

Ex hoc tamen aliud novum dubium exoritur: ponamus enim 9 fructus ex reparanda Ecclesia Rectori, aut alij beneficiato obvenientes præcisè ad congruam horum sustentationem sufficere: ex altera autem parte Rectorem vel beneficiatum se congruè posse sustentare ex alijs, quæ possidet, bonis: in hoc casu cogendine erunt Rector, aut beneficiatus, ut fructus ad solam sui congruam sustentationem sufficientes reparationi Ecclesiæ impendant, viventes interea ex alijs suis bonis? R. cùm Parochus residere, alia onera Parochiali curæ annexa obire, & tam altari, quàm suis Parochianis inservire debeat, hinc alimenta Parocho à paræcianis debita, reparationi templi videntur præferenda, cùm, uti diximus, operarius sit dignus mercede sua, & nemo suis stipendijs militet. Idem tenendum erit, de alijs beneficiatis in obsequijs Paræciæ occupatis, ac residentibus; tantum etenim & istis relinquendum est, ut honestè adhuc vivere possint, *vi cit. cap. de his can. si monachus 22. causa 16. q. 1.* Contrarium dicendum de beneficiatis non residentibus nullúmque beneficij onus implentibus, cùm enim in istis ratio Parocho, cæterísque occupatis beneficiatis favens non detur, nisi alimentis aliun-

aliunde petitis isti careant, destinata ad illorum sustentationem portio, fabricæ reparandæ applicanda erit; quòd autem etiam istis egentibus, & sufficientibus facultatibus destitutis, Ecclesia victum, & vestitum debeat, docent Panormit. *in repetit c. cùm esses q. 2.* & Socyn. *cons. 32. n. 1.* Porcius *cons. 34. n. 19.* Petrus Peckius *cit. cap. 20. n. 7.*

Vidimus hucusque, quando & in quantum Parochus, & cæteri beneficiati ad reficiendam Ecclesiam, ex cujus fructibus sustentantur, obligentur; superest examinandum, an, & quinam adhuc alij concurrere debeant? dubium autem non modicum est de patrono ejusmodi Ecclesiæ, eò quòd Tridentinum *sess. 21. c. 7. de reform.* dicat, si fructus, & proventus ad Ecclesiam, quomodocumque pertinentes non sufficiant, patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesijs provenientes percipiunt, opportunis remedijs ad prædicta, reparationem scilicet Ecclesiæ, cogendos esse, hæc controversia optimè distinctionis auxilio decidetur. Vel enim patronus fructus quosdam ex bonis Ecclesiæ reficiendæ percipit, vel nullis ejusdem unquam fructibus sustentatus fuit?

10 Dico quartò: Patronus, percipiens fructus ex proventibus Ecclesiæ, ad hujus refectionem obligatus erit: absque horum perceptione nihil tenebitur contribuere. Ita sentiunt Lambertin *de Jure Patron. lib. 3. q. 7. art. 2. n. 5.* Pyrhing. *ad præsentem Rubricam n. 20.* Wiestner *de ædific. Eccles. n. 45.* Clariss. P. Schmier *lib. 3. tract. 1. pag. 2. §. 3. n. 66.* Schmalzgrueber *de Eccles. ædif. n. 51.* citans Zypæum, prima pars conclusionis probatur ex Trident. *cit. cap. 7.* asserente, omnes ad reparationem faciendam cogendos esse, qui fructus aliquos ex Ecclesijs dictis provenientes percipiunt.

Ratio secundæ partis est, beneficium grande alteri præstitum non debet suo Authori in præjudicium cedere, & esse oneri: ergo cùm Patronus educendo Ecclesiam ex suo non esse, huic grande beneficium præstiterit, hoc non debebit eidem præjudicare; atque onus quoddam imponere: ergo neque obligationem reparandi à se extructam, aut dotatam Ecclesiam. Confirm. hæc obligatio jure merito fideles à fundandis, atque erigendis Ecclesijs absterreret: ergo.

Neque obstat, quòd *Tridentinum cit. cap. 7.* universaliter dicat, *patronos teneri:* nam hoc nomen generale restringit particulis subsequentibus: *& alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesijs provenientes percipiunt.* Dein de illis patronis loquitur, qui juxta *cap. præterea 23. de jure patronatûs* in fundationis exordio sibi reservârunt perceptionem quorundam

11

ex fundato à se beneficio provenientium fructuum.

12 Neque obstat secundò, quòd patronus videatur obligatus Ecclesiæ reparandæ, prout ista obligatur ad sustentandum patronum suum ad paupertatem redactum; hoc enim gratitudo Ecclesiæ erga suum patronum & benefactorem exigit. Tertiò cùm aliud sit cura, ut conservetur Ecclesia, & aliud sit onus; hinc, licèt cura illius Patrono incumbat, non tamen incumbet onus reficiendi Ecclesiam. Quartò, cùm nomine fructuum Tridentinum intellexerit reditus, & proventus temporales, qui reparationi Ecclesiæ sint utiles & apti, jus præsentandi, prærogativa in sede, processionibus (quæ omnia Patrono competunt) non habenda erunt pro fructibus, ex quorum perceptione Tridentinum Patronum obligat. Denique quia per omnimodam destructionem Ecclesiæ jus Patronatûs constructionis titulo acquisitum totaliter destruitur, quod tamen non fit in sola hujus reparatione; ex eo, quòd Patronus desinat esse, si destructam non reædificet, malè infertur, quòd Patroni titulum omittat, si ruinosam reficere ex suis impensis omiserit, si nihil de proventibus Ecclesiæ percipiat.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Num etiam decimatores ad reficiendam Ecclesiam sint obligati?

13 Decimatores in tres classes possunt dividi: in Patronum, decimas provenientes ex prædijs intra Parochiam sitis percipientem; dein in decimatores Ecclesiasticos; ac denique in decimatores Laicos.

14 Dico primò: Patronus percipiens decimas tenetur ad Ecclesiæ à se fundatæ reparationem: ita *communis vi Tridentini sess. citatæ cap. 7.* Ratio est, quòd naturæ & rationi sit convenientissimum, ut sentiens commoda, & proventus Ecclesiæ, hujus etiam onera sentiat, ac laboranti succurrat.

15 Dico secundò: ad ejusdem reparationem, nisi consuetudo contrarium doceat, etiam decimatores Ecclesiastici sunt compellendi. Ita sentiunt cit. Peckius *de reparat. Eccles. cap. 14.* Guttierez. *practic. qq. lib. 1. cap. 17. n. 4.* Laym. *lib. 4. tract. 3. cap. 13. num. 47.* Clariss. P. Schmier, Schmaizgrueber, Pichler, *vi Tridentini capit. 7. sess.*

7. seſſ. de reformat. & cap. de his cit. tales etenim decimatores percipiunt decimas: ergo, cùm iſtæ ſint bona, & fructus ex Eccleſia provenientes, percipient decimatores & fructus &c. conſequenter vi *citati capitis 7.* obligabuntur ad reparandas Eccleſias; cùm decimæ vi ſuæ inſtitutionis, & ſpectato jure communi debeantur Parochiæ: *cap. cùm ſint 18. cap. tua 26. princ. de decimis* ut in fabricæ conſtructionem, tuitionem, nec non Miniſtrorum ſuſtentationem, ac cultum Divinum impendantur. Juxta deciſionem *cap. ſtatuto 2. §. ubi autem: ad finem de decimis in 6.* Confirm. hoc ex praxi, ac plurium locorum conſuetudine, decimatores Eccleſiaſticos ad reparationem talem compellentibus.

16 Major controverſia eſt de decimatoribus Laicis, num & iſti ad reparationem ſint obligandi? Obſtrictos etiam hos agnoſcunt Zypæus in *Analyſi ad tit. de Eccleſijs ædificandis n. 2.* Gonzalez *ad cap. quicunque 1. de Eccleſ. ædificand. n. 2.* Peckius *cap. 14. n. 2.* Wieſtner *n. 47. loci citati:* Clariſſ. P. Schmier *lib. 3. tract. 1. pa. 2. §. 3. n. 74.*

Rationibus ad hoc aſſerendum moventur ſequentibus: ſine omni diſtinctione inter decimatores Eccleſiaſticos, & Laicos in *cap. quicunque 1. de Eccleſijs ædificandis* præcipitur, ut *quicunque Eccleſiaſticum beneficium poſſident, omnino adjuvent ad tecta Eccleſiæ reſtauranda, vel ipſas Eccleſias emendandas:* atqui etiam decimatores Laici, quocunque demum ex titulo decimandi jura aquiſiverint, poſſident beneficium Eccleſiaſticum, ergo ad reparationem tenentur. Prob. min. in cit. textu nomen beneficij non accipitur pro titulo Miniſterij ſpiritualis, ſed pro qualibet utilitate ex juribus, & rebus Eccleſiaſticis percepta: ergo etiam decimatores Laici poſſident beneficium Eccleſiaſticum: ant. probat Gonzalez *ad cap. quicunque 1. de Eccleſ. ædificand. n. 2.*

Secundo: hanc obligationem 17
deſumunt *ex cit. Trident. ſeſſ. 21. de reform. cap. 7.* in hoc enim *omnes, qui fructus aliquos ex Eccleſijs provenientes percipiunt*, adſtringuntur ad Eccleſiæ reparationem: ſed decimatores Laici accipiunt fructus ex Eccleſijs provenientes: Prob. min. decimæ proveniunt ex Eccleſijs Parochialibus: ergo &c. Prob. ant. ex *cap. cùm ſint 18. cap. tua 26. in princ. cap. cùm contingat, 29. de decimis.*

Tertiò: Ipſum jus decimis an- 18
nexuit; onus non tantùm ſuſtentandi Parochum, ſed etiam hunc ſublevandi, ut alia onera faciliùs poſſit ſupportare: cùm ergo inter alia onera ſit obligatio reparandi Eccleſiam, etiam hujus reparationis onus erit decimis annexum. Ant. prob. ex *cap. ſtatuto 2. de decimis in 6. §. ubi autem*, ibi: *provideatur per locorum ordi-*

narios, & ordinetur taliter, quod eisdem Rectoribus tantùm de illarum relinquatur proventibus, quòd exinde competentem sustentationem habere, & Episcopalia jura subire valeant, aliáque onera debita supportare.

19 Confirm. Laici jus decimandi acceperunt sub illo onere, quod à juribus, & summis Pontificibus ipsis decimis est annexum, & saltem tacitè ad hoc se obligârunt: ergo, si aliunde probetur, hoc onus à juribus esse annexum decimis, in hoc consenserunt, cùm decimandi jus acceperunt.

20 Audivimus rationes obligantium decimatores, ut pro rata sua concurrant ad refectionem Ecclesiæ, de qua decimas percipiunt. Ab hoc onere eosdem ex opposito eximunt Navarrus de *Reditib. Eccles. num. 57.* Molinæus *de consuetud. Paris. &c. n. 104. & §. 68. n. 24.* Schmalzgrueber *de ædific. Eccles. n. 56* Pichler *eadem Rubrica n. 5.* asserens id doceri à plerisque Doctoribus. Probant autem hoc suum assertum hac ratione: decimæ Laicales referuntur inter bona patrimonialia Laicorum, eadémque gaudent, & possidentur immunitate, qua gaudent, ac possidentur cætera illorum Laicorum bona: sed cætera gaudent immunitate concurrendi ad reparationem Ecclesiæ: ergo etiam gaudebùnt decimæ. Responderi tamen potest: dist. Maj. gaudent eadem immunitate, qua cætera bona, nisi cum hoc onere fuissent decimæ in Laicos translatæ, neg. Maj. & conc. min. sub eadem dist. conc. & neg. cons. cùm possimus aliqua sine onere, alia cum onere possidere ut nostra, malè infertur, omnia nostra bona esse immunia, ex eo, quòd aliqua illorum sint talia.

21 Ratio illorum secunda: illi solùm vi jurium sunt obligati ad reparandam Ecclesiam, qui ex proventibus Ecclesiæ aliquid percipiunt: cùm ergo decimæ Laicales non ampliùs sint proventus Ecclesiæ, qui hos percipiunt, non percipient aliquid ex proventibus Ecclesiæ: consequenter neque obligabuntur ad reparandam Ecclesiam, quòd autem decimæ Laicales non ampliùs sint proventus Ecclesiæ. Probatur: sunt abstractæ ab Ecclesia, & in Laicos transtæ, vel privilegio Apostolico, vel præscriptione immemoriali: ergo &c. Responderi potest, cùm etiam Laicis solvantur decimæ intuitu Ecclesiæ, cui ut perpetuò, ac stabiliter prospectum esset, & congrua sustentatio ejusdem Rectoribus haberetur, decimæ primitus institutæ fuerunt, & hinc ad illam per se spectarent, per accidens autem deinde in Laicos translatæ sint: ideo innegabile videtur, in quodam sensu easdem esse proventus Ecclesiæ: cùm ergo Tridentinum *sess. 21. cap. 7. de Ref.* velit, ut Ecclesiæ collapsæ reficiantur ex fructibus, & proven-

ventibus NB. *quibuſcunque, ad eaſdem quomodocunque pertinentibus:* etiam ex Laicalibus erunt reficiendæ Eccleſiæ. Laici itaque nomine Eccleſiæ decimas percipiunt: ſed ſicut uſufructuarius colligens fructus ex agro Petri, hujus fructus percipit, quia ex agro Petri colligit, ita etiam Laici decimas percipiendo proventus Eccleſiæ colligunt.

22 Dicent: jus colligendi decimas eſt in patrimonio Laicorum: ergo percipiendo decimas, ex ſuis bonis, non autem ex proventibus Eccleſiæ percipiunt. ℟. qui habet uſumfructum in agro Petri, habet hoc jus in ſuo patrimonio, & tamen dicitur colligere ex proventibus Petri, quia ex agro Petri, ergo cùm etiam ſolutio decimarum fundetur in jure, quod Eccleſia habet ad decimas, hìc & nunc autem tranſtulit quaſi uſumfructum decimarum in Laicos, tamen colliguntur decimæ ex proventibus Eccleſiæ.

23 Conf. decimæ laicales verè adhuc ſunt proventus Eccleſiaſtici, ergo cùm ex *quibuſcunque* fructibus, & ad Eccleſiam *quomodocumque* pertinentibus, collapſæ Eccleſiæ ſint reficiendæ, erunt etiam ex iſtis laicalibus. prob. ant. quæ à ſede pontificia, vel ante lateranenſe concilium anno 1179. celebratum ab ipſis quoque Epiſcopis conceſſæ fuerunt laicis, iſtis ſolummodo in feudum conceſſæ ſunt, & ratione hujus ſæculares & laicæ vocantur; ita quæ etiam donatæ, emptæ, aut permutatione ab Eccleſia comparatæ laicis fuerunt, illarum ſola utilitas iſtis fuit conceſſa remanente dominio directo apud Eccleſiam: ergo adhuc ſunt veri proventus Eccleſiaſtici. hinc optimè advertit P. Fridrich *de decimis n. 2.* ejuſmodi decimas laicis ex privilegio Eccleſiæ conceſſas, ad hanc denuo redire, ſi laicus poſſeſſor nihil de illis diſponat, & hærede carens decedat: ergo ſtatum primævum conſtanter retinent nec penitus Eccleſiaſticæ eſſe deſinunt; cùm nullibi conſtet, decimas ipſis laicis abſolutè donatas, & pleno jure in laicos ab Eccleſia translatas, ſed tantùm quoad feudum. Accedit, quòd ejuſmodi alienationes in laicos ita explicandæ ſint, ut omnium minimè juribus Eccleſiaſticis præjudicent.

Omnibus igitur in utramque 24
partem expenſis rationibus ſententia obligans laicos ad reparationem Eccleſiæ, de qua percipiunt decimas, præſcindendo à conſuetudine cujuſcumque loci privati videtur nobis veroſimilior. Quo autem ordine, & in quorum defectum concurrere decimatores laici teneantur, hîc non examinamus.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An obligatio reparandi Ecclesiam etiam se extendat, ad refectionem ædium Parochialium?

25 Dico 1. Obligatos ad reparationem Ecclesiæ Parochialis pariter ad refectionem Parochialis ædis per se, vi juris communis, ac præscinendo à peculiaribus statutis cujuscumque privatæ paræciæ obstrictos esse, ita sentiunt Barbosa *in c. 4. de ædificat. Eccles. n. 5.* Lambertin. *cit. q. 7. art. 3. à n. 1.* Spereili *decis. 68. n. 4.* Pirhing *n. 16.* Schambogen *hic n. 15.* Wiestner *n. 45.* Clariss. P. Schmier *loco cit. n. 87.* Schmalzgrueber *n. 46.* Pichler *n. 4.* cum alijs. Prob. conclusio 1. ex declaratione S. Congregationis, quam ista testante Barbosa *cap. 13. n. 12. de officio Parochi:* circa hoc punctum fecit. Prob. 2. qui ad reparationem Ecclesiæ tenentur, etiam obligantur ad refectionem Sacristiæ, turris, cum campanili, cæmeterij: ergo etiam ad reficiendas ædes Rectoris. prob. conf. ad Sacristiam, campanile &c. Tenentur, tum quia ista sunt accessoria ad Ecclesiam Parochialem: tum quia *arg. Regulæ Accessorium: 42. in 6. Accessorium naturam sequi congruit principalis:* ergo cùm etiam domus Parochialis sit quid accessorium, tenebuntur etiam ad istius reparationem. Quòd autem ædes istæ sint quid accessorium, patet; cùm nulla dari Parochia possit, quæ Parochum non habeat, Parochia enim est illa solùm Ecclesia, cui præest prebyter, prout cathedralis dicitur, cui præest Episcopus. Prob. 3. obligati ad reparationem Ecclesiæ etiam tenentur ad alimenta Parochi, ita ut hæc ab illis, si ei desint, possit expetere: ergo etiam tenebuntur ad refectionem domûs, & habitationis Parochialis. Prob. conf. habitatio venit sub nomine alimentorum juxta *legem legatis 6. ff. de aliment. legat:* ergo qui tenentur ad alimenta, etiam ad domûs refectionem tenebuntur, uti sentiunt Berojus *lib. 2. conf. 44. n. 11.* Surdus *de aliment. Tit. 4. à q. 1.* Menochus *lib. 4. præsumpt. 57. n. 27.*

Alia adhuc movetur controversia, quænam omnia sub nomine ædium Parochialium comprehendantur, num hæ includant stabulum, horrea, domunculam lotoriam suppositio quòd ista & alia similia à propria habitatione Rec-

to-

ctoris sint separata, ad sustentationem autem equorum, vaccarum, boum, ovium &c. sint necessaria? sunt enim nonnulli hujus sententiæ, ut judicent, solam habitationem, quam in persona incolit, nomine domûs Parochialis intelligi, ita ut ad hujus solius refectionem, sint obligati decimatores, Parochus autem solus stabulum, horreum &c. ædificare & reparare suis solius sumptibus teneatur.

26 Dico secundò: sub ædibus Parochi (germanicè Pfarr-Hof) comprehendi etiam cætera ad sustentationem sui & suæ familiæ, item equorum, boum, vaccarum &c. triturandum & asservandum triticum necessaria, licèt ista ab ædibus à Rectore inhabitatis sint distincta. prob. illud venit sub nomine Eines Pfarr-Hofs, quod venit sub nomine Eines Baurn-Hofs: sed sub nomine Eines Baurn-Hof non venit sola habitatio, quam ipse agricola cum suis liberis, servis, atque ancillis inhabitat, sed insuper stabula, ac cætera asservatoria colendis agris, & asservandis fructibus necessaria: ergo etiam sub nomine des Pfarr-Hofs &c. prob. min. communi opinione & judicio omnium. item qui vendidit alteri seinen Baurn-Hof, non vendit solas ædes, quas ipsius persona cum reliqua familia inhabitat, sed omnia artinentia; aliàs posset insuper aliquid exigere ratione stabuli, horrei ultra summam circa quam convenerunt in venditione des Baurn-Hofs deinde utique ab omnibus ut minùs sapiens exploderetur, qui postquam suam villam, vulgo den Baurn-Hof certo pretio vendidit, emptori solas ædes, quas ipse agricola, hujus uxor, liberi, ac famuli incoluerunt, vellet extradere, stabulum verò, horreum &c. sibi reservare, aut novum quoddam pro his pretium ab emptore exigere?

Prob. 2. Reliqua ædificia ponuntur Parocho necessaria ad sui, suæ familiæ, & suorum animalium sustentationem: ergo etiam ad istorum reparationem erunt obligati decimatores, aliàs obligati ad reparandam Ecclesiam, & habitationem Rectoris. prob. conf. istæ personæ sunt obligatæ ad sustentationem Parochi: ergo etiam ad illa, sine quibus sustentare iste se non potest. Confirm. nomine Ecclesiæ comprehenduntur Sacristia campanile, cæmeterium, & murus, quo istud clauditur, quia sunt quid accessorium, & ad templum Parochiale requisitum: ergo cùm etiam reliqua ædificia sunt quid necessarium ad ædes Parochiales, & accessorium, etiam illa sub nomine domûs Parochialis comprehendentur.

Confirm. 2. Ex praxi, & consuetudine; si enim omnia ad ædes Parochiales spectantia incendio fuerint absumpta, qui debent concur-

currere ad ædificandas ædes Parochiales, tenentur non tantùm ad ipsas ædes, quas in persona Rector incolit, construendas, sed ad reliqua ædificia eidem ad sustentationem necessaria.

27 Monitum autem hîc volumus lectorem, quæ in duabus hisce conclusionibus decidimus, procedere duntaxat *de jure communi*, sicut enim circa obligationem reparandi ipsam Ecclesiam, an, quid, & quantum, & à quibus sit aliquid ad illius refectionem contribuendum, consideranda est praxis in diæcesi, cujus pars est Ecclesia, observata, uti etiam pacta, & conventiones privatæ, ita hæc ipsa consuetudo, quæ in diversis locis est diversa, attendenda erit, atque juxta hujus vigorem, quinam, & ad quantum contribuendum sint obligandi, erit determinandum, non ab ipso Rectore, sed à judice Ecclesiastico, seu diæcesano. unde cum in quibusdam diæcesibus Rectores Ecclesiæ singulis annis 10. 20. aut adhuc plures in reparationem suæ domus ex voluntate diæcesani debeant impendere infertur, decimatores & reliquos ad reficiendam Ecclesiam Parochialem obligatos non teneri ad singulas quasvis minutas, quæ impensis à parocho annuatim in refectionem suæ domûs convertendis restaurari possunt. Quòd si autem parochus, quæ singulis annis in reparationem fabricæ impendere ex jure debuisset, quòd impensæ fuerint, ostendere non posset, & à pluribus annis debita, nunquam tamen in fabricam jam impensa, præstatio eam summam efficeret, quæ de novo ædificando stabulo sufficeret, judicio decimatores, ut partialiter concurrerent, non fore obligandos.

28 Quòd si autem Rector Ecclesiæ non tantùm intenderet suam habitationem, stabulum &c. reficere, sed his casu fortuitò, aut vetustatis vitio destructis, ædificare vellet novum ædificium capacius, altius, & ex materia pretiosiore v. g. ex lapidibus, cùm antea stabulum merè ligneum fuerit, quæstio moveri potest, num ad hanc ampliorem, & magis sumptuosam habitationem construendam, quæ utique majores sumptus expostulat, cogi possint etiam inviti decimatores, atque alij ad reparationem istarum aliàs obligati? ad hoc dubium judico respondendum cum proportione, quod de ampliatione, & magis sumptuosa ædificatione ipsius Ecclesiæ dicitur; attendendum scilicet etiam in reparatione & ampliatione ædium Parochialium esse, utrùm necessitas adsit ampliandi, & commodiores, ac splendidiores ædes extruendi? item num celebrior forma in noviter ædificandam domum introducenda sit æqualis aliorum Rectorum in illa provincia habitantium ædibus, vel his nobilior futu-

futura ? si veteres ædes non fuerint sat capaces, valdè incommodæ, & aliorum illius viciniæ Parochorum ædibus multùm inferiores, obligarem decimatores, & similes alias personas vi juris communis ad reficiendam Rectoris domum obstrictas, ut pro rata eadem concernente ad ampliationem, & celebriorem novarum ædium formam concurrant, nisi vel contrario Regionis more, vel communi Ecclesiæ statuto, aut amicabili, & contraria pactione aliud receptum sit. Si autem istæ circumstantiæ non darentur, ad sumptus in ampliorem, aut nobiliorem domum Parochialem faciendos decimatores obligati non videntur; iniquum etenim jure merito videtur, has personas compelli ad restitutionem sumptuum, quos Parochus commoditatis suæ causa, aut ad ornatum non necessarium fecit, aut facere decrevit. Confirm. qui domum, vel parietem communem suæ domûs causâ reficit, non potest vicinum compellere ad contribuendum pro factis impensis: ergo neque talis Parochus.

Quòd si autem Parochus judicet domum suam esse ampliandam, redigendam in formam celebriorem; decimatores autem, & alij ad refectionem obligati oppositum æstiment, periti artis erunt consulendi, & ex horum assertione lis determinanda erit; ne isti nimio sumptu onerentur, aut nimium istorum avaritiæ concedatur.

Cæterum optimè advertit Peckius in suo *de reparandis Eccles. tract. cap. 16. n. 1.* ipsius juris atque æquitatis rationem postulare, ut à Parocho, ædituis, aliisque Ecclesiæ administratoribus nulla fiat reparatio, nisi illis, ad quos onus refectionis pertinet, etiam priùs requisitis; & si reficere neglexerint, aut recusaverint, vocatis. Ratio hujus fundatur *in Lege de unoquoque ff. de re judicata* vi cujus unusquisque citari debet ad eum actum, ex quo damnum sentire potest. Exemplum hujus reperimus in usufructuario, qui vi *Legis 15. qui fundum ff. de usu, & usufructu lega.* vocandus est, quando circa proprietatem aliquid innovatur. Quòd, si vocatio ista omissa fuerit ex eo, quòd non vocati fuerint, ab impensarum factarum solutione excusare nequaquam se poterunt, juxta citatum Peckium: licitum tamen ijsdem erit allegare, plus in fabricam & refectionem impensum esse, quàm oporteret, *arg. Legis: si quis negotia ff. de negotijs.* Hinc talibus Parochis, ædituis, administratoribus articulandæ erunt expensæ, & quòd necessariæ, atque utiles fuerint, item quòd animo repetendi factæ, demonstrandum: dixi eisdem probandum, quòd animo *sumptus repetendi*, hoc est, communi, & non suo duntaxat sumptu, ædificium commune refecerint, aut ampliaverint; si enim suo nomine, & sumptu duntaxat 29

reparaverint, de sumptu facto à cæteris nihil exposcere poterunt, ut habetur in *Leg. fin. cod. de ædific. priv.* multò magis tamen decimatores, & alij similes ad refusionem Parocho faciendam tenebuntur, si priùs interpellati in mora, & illorum nomine expensæ factæ fuerint.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

Quomodo, & à quibus renuentes ad Ecclesiam reficiendam cogi possint?

30 Dico primò: ad refectionem Ecclesiæ Parochialis agere possunt Prælatus, seu Parochus, æditui, seu Præfecti Ecclesiæ, si ad populum, vel decimatores, vel illius destructorem refectio pertineat. Ita præter alios Didacus *ad cap. peccatum 1. parte relect. versu: incipit, nono à supradictis deducitur.* Peckius *de Eccles. reparand. cap. 27. n. 5.* Prob. concl. *ex Canon. in Canonibus 57. causa 16. q. 1.* vi enim hujus Canonis Prælati bona, & patrimonium Ecclesiæ tenentur repetere ab iniquis possessoribus, & ea servare illæsa: ergo etiam debent, & possunt agere contra eos, qui ad reparationem Ecclesiæ, & bonorum ad hanc spectantium obligantur; cùm hæc actio ad finem istum sit necessaria, & qui obligatur, vel jus habet ad finem, etiam obligetur, & jus habeat ad media, ut obtineatur talis finis necessaria.

31 Dico secundò: ad reparationem talem obligatos urgeri etiam posse à Judice ex officio, licèt pars non petiverit, ita Alciatus *consil. suo 43. incipit: non videtur dubitandum.* Prob. si non ex officio, sed tantùm à partibus requisitus Judex posset renitentes compellere, plura templa corruerent, & suo debito splendore fraudarentur, ergo necessarium est, ut Judex ex officio solo possit compellere venientes. Prob. ant. illi, qui ex officio deberent agere contra tales morosos dilatores, possunt esse negligentes in odium Religionis, vel in hæresin esse prolapsi, aut ex iniquo affectu erga obligatos ad reparandam Ecclesiam negligere suum officium, & consequenter restauratio Ecclesiæ omnino intermitti: ergo plura ejusmodi templa corruerent.

Confirm. vi *Legis nec quicquam §. ult. versu plerumque: & vi eorum, quæ hic notat* Bartol. *§. de offi-*

officio Proconsulis in cautis pijs potest Judex nemine petente officium suum impertiri ; imò videtur etiam debere , prout contendit Tiraquell. *in tract. de pia causa privileg. 152.* plures recitans,& allegans alios : ergo &c.

Confirm. 2. Robertus Maranta in *lib. de ord. judic. p. 6. n. 142.* advertit , Judicem ex officio suo inquirere de omni crimine , & injuria contra Ecclesiam , & Ecclesiasticas personas commisso ; item de omni crimine in Ecclesia commisso vi *Legis : si quis in hoc genus* , & ibi Bald. *Cod. de Episcop. & Clericis :* atqui recusantes coruere ad reparationem Ecclesiæ, licèt obligentur, inferunt huic injuriam : ergo in illos Judex poterit ex officio inquirere.

32 Dico tertiò : ad refectionem Ecclesiæ etiam agere potest populus , seu Parochiani. Ita Alciatus *cons. suo 43. incipit : non videtur dubitandum.* Peckius *cap. 27. de sacros. & Cathol. Christ. Ecclesijs.* Prob. actio ad refectionem Ecclesiæ est popularis ; ergo actio ad refectionem Ecclesiæ potest à populo instituì : prob. ant. actio popularis est , quæ datur ex causa populari, hoc est ex aliquo facto , vel re , quæ concernit populum, & totam communitatem, sed talis est ista actio : ergo actio ista est popularis : prob. min. publica utilitas in sacris consistit vi *Legis 1. §. publicum ff. de Just. & Jure.* Deinde Religio Deum respicit , consequenter populo , & communitati debet omni commodo esse pretiosior , *juxta Legem: sancimus in fide Cod. de Sacrosanct. Ecclesijs :* Denique Ecclesia est communis Domus omnium : ergo Ecclesia concernit communitatem & populum.

Dico quartò: competens in hac causa est Judex Ecclesiasticus , licèt laici sint obligati ad reparandam Ecclesiam. Ita communis , & certa. prob. Ecclesiastici etiam contra laicos cognoscunt de omni causa pia , & personarum miserabilium , saltem per præventionem : ergo multò magis cognoscent de reparatione Ecclesiarum. ant. constat : ex *cap. significantibus* & ibi Panormit. & alij *de officio judicis deleg.* item Ecclesiastici cognoscunt de omni spoliatione Ecclesiarum per laicos facta : ulterius *vi §. scire autem in Authent. de non alien.* Ecclesiastici Judices possunt Emphytevtam laicum compellere, ut rem Ecclesiasticam Emphytevticam debite reficiat : ergo etiam ad reparationem Ecclesiæ. 33

Num autem etiam sæculares saltem Reges , aut Regij Judices ejusmodi renitentes laicos ad reparationem Ecclesiarum cogere possint, si obligatio eorum sit certa , non examinamus. Tractat hanc materiam prælaudatus Peckius *cap. 28.* ubi vult , hanc actionem esse mixti fori ipsi que auctori Parocho urgenti reparationem Ecclesiæ opucnem dari , 34

coram quo morosos debitores velit convenire citat in hujus probationem Tiraquellum *in tract. de pia causa privileg. 150.* afferentem multa juris responsa, nec non Doctorum argumenta: adducit etiam *cap. ultimum 96. dist.* ubi Pontifex ait, quòd boni Principis sit Ecclesias contritas, & consciſſas instaurare, non onerare. item *cap. sicut Excellentiam circa finem causa 23. q. 4.* ubi habetur: *Excellentia principum apud creatorem majori gloria proficere non potest, quàm si per eam dispersarum Ecclesiarum potuerit societas restaurari*: adducit insuper Ulpianum *de officio proconsul. lege si in aliquam*: sequentia dicentem *ædes sacras, & opera publica circumire, inspiciendi gratiâ, an sarta rectáque sint, vel an aliqua refectione indigeant, & si quæ cæpta sunt ut consummentur, prout vires ejus Reipublicæ permittunt, curare debet.*

Quod remedia concernit, quibus nolentes reparare domum Dei compelli possint, æquum, & honestum, si non omnino necessarium est, ut Judicium præcedat monitio, qua Episcopus, Archi-Diaconus, aut alius in istis rebus competens Judex tales debitores moneat, ut suo officio circa reparationem Ecclesiæ satisfaciant: quòd si ob reparationem populo collecta quædam fuerit imposita, contra defectuosos executivè ac summariè procedi poterit, prout in cæterorum onerum exactione fieri consuevit: *vi §. coges in Authent. de mand. Princip.* si decimatores ac fructus ex bonis Ecclesiæ percipientes reficere Ecclesiam etiam admoniti recusent, illorum fructus detineri, sequestrari, vel arrestari possunt; cùm similes fructus pro hujusmodi reparatione instar tacitæ hypothecæ sint privilegiati, ita referente prælaudato Peckio decidit Joann: de Athon: *constitutione: quæ incipit: improbum: ad verbum de fructibus: in constitut. Anglic.* quæ vocantur *constitutiones Domini Othoboni*: item Glossa *ad cap. statuimus, ad verbum converti facias: tit. de Eccles. ædific.*

Contra eosdem morosos debi- 36
tores etiam censuris Ecclesiasticis procedi poterit, item per pœnas, & mulctas arbitrarias ex sententia Judicis Ecclesiastici infligendas. Peckius *in citato tract. cap. 29.*

CA-

CASUS XXXIV.

De vi consuetudinis in solvendis decimis.

PArochiani Paræciæ A. loco decimarum linariarum annuatim singuli persolvunt decimatori duntaxat tres aut quatuor, jam tamen confectas, linarias oves, vulgo drey Flachs-Reisen/ sive dein multum, sive modicum linum collegerint. Parochus, quòd se non modicè læsum ex hoc modo decimandi agnosceret, Parochianis indicit, ut imposterum in ipso agro statim decimum manipulum linarium persolvant. Recusant imperata exequi Parochiani, eò quòd jam à quinquaginta annis hoc & non alio modo linariæ decimæ in illis locis sint solutæ adit itaque hac super re Judicem sæcularem Parochus, & consuetudinem 50. annorum nequaquam obesse suis commodis contendit, eò quòd documenta sua doceant, ante octoginta annos loco lini certas pecunias persolutas fuisse.

Q. 1. Utrùm obligatio solvendi decimas vel in totum, vel quo ad partem consuetudine aboleri possit?

Q. 2. Quanti temporis hæc consuetudo debeat esse?

Q. 3. Quæ forma in solvendis decimis sit observanda?

Q. 4. Quid in præsenti controversia sit judicandum?

Q. 5. An sæcularis possit esse Judex competens hujus actionis?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrùm lex solvendi decimas consuetudine tolli possit?

1. Discrimen inter consuetudinem ac præscriptionem affertur.
2. Obligatio solvendi Decimas omnino tolli, vel etiam mitigari potest.
3. Non tamen respectu omnium fidelium.
4. Nec debentur jure Divino decimæ.
5. Ministris Ecclesiæ debetur quidem sustentatio, non autem determinatè ex decimis.
6. Si Ministris Ecclesiæ sit aliunde prospectum, legitima consuetudine aboleri decimæ poterunt.
7. Quia potest hæc consuetudo esse rationabilis.
8. Exemptio à non solvendis Decimis non est jus decimandi.
9. Decimæ non sunt tributum divinum.
10. Conditiones ad legitimam consuetudinem requisitæ explicantur.
11. Ex actibus peccaminosis legitima consuetudo introduci potest.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Quot annorum consuetudo Exemptionem à Decimis conferat?

12. Consuetudo 40. annorum exemptionem hanc confert.
13. 14. 15. 16. Rationes volentium sufficere 10. annos.
17. Tot anni requiruntur, ut consensus legislatoris præsumi possit.
18. In dubio quæ multitudo annorum sufficiat, ex prudentis Judicis arbitrio decidendum est.
19. Diuturnitas temporis à Juribus usurpatur etiam pro 40. annis.
20. Hinc isti ad exemptionem à decimis probabilius erunt necessarij.
21. Sine omni tamen titulo.

§. III.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Quæ forma in solvendis decimis sit observanda?

22. *Solent, & possunt istæ esse variæ.*
23. *Juri communi satisfacit separatio in agris facta.*
24. *Jus Bavaricum modum decimandi relinquit arbitrio decimatoris.*
25. *Observanda tamen ubique erit legitima consuetudo.*
26. *Ad instantiam tamen decimatoris subinde invalidari ab ordinario poterit ejusmodi consuetudo.*
27. *Idem præscriptione legitima introduci potest.*

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

Quid in præsenti controversia sit judicandum?

28. 29. 30. 31. 32. 33. *Rationes pro Parocho decimatore offeruntur.*
34. *Sententia fertur in favorem Parochianorum.*
35. *Solvuntur rationes oppositæ.*

§. V.

Resolvitur quintum Quæsitum?

An sæcularis possit esse judex competens hujus actionis?

36. *Circa Decimas, & quæstio juris, & facti potest institui.*
37. *Agi etiam in petitorio, & possessorio.*
38. *Præsens actio instituenda erit in petitoris.*
39. *Et coram solo Ecclesiastico Judice facultas cognoscendi hanc causam non nisi privilegio Pontificio à sæcularibus est obtinibilis.*
41. *Licet ponatur agi in possessorio retinendæ immunitatis à parochianis.*
42. *Hinc contraria praxis invito vel ignaro Pontifice alicubi exercetur.*

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Num consuetudine exemptio à decimarum persolutione obtineri possit?

1 CONsuetudinem cum præscriptione nequaquam coincidere, præter alios ostendunt Baldus *p. 1. de præscript. q. ult.* & Moneta, *de decimis c. 5. q. 4.* etenim nomine consuetudinis intelligitur jus quoddam moribùs utentium approbatum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex. ita habetur *c. 5. dist. 1.* & sumitur *ex c. 6. de test. cog.* ex oppositio per usucapionem intelligimus adjectionem dominij per continuationem possessionis temporis à lege definiti. Ita Modestinus *l. 3. ff. de usurp. & usucap.* alias adhuc plures diversitates inter consuetudinem ac præscriptionem ex Baldo, Innoc. Hostiensi, Butrio, Joan. Andrea Felino, adducunt Balbus & Moneta: inter quas præcipua est, quòd consuetudo à communitate introducatur, & jus immediatè communitati tribuat, privatis verò solùm, ut sunt pars communitatis, ex oppositio præscriptio solùm à privatis fit, vel universitate, Collegio, aut Ecclesia solùm prout istæ habent rationem privatæ personæ. Tota itaque controversia modò in eo versatur, num obligatio solvendi decimas omnino aboleri, emolliri, aut saltem in aliquo temperari possit consuetudine contraria.

2 Dico 1. Legem de solvendis decimis latam absolutè emoliri, temperari, aut certo modo ita aboleri posse, ut ab ea certæ personæ, aut integra communitas eximatur. ita communior: & probatur ex *capitulo 24 hoc tit.* ubi Innocentius III. hujus nominis Pontifex asserit, quemlibet teneri decimas solvere: postmodum verò addit: *nisi à præstatione earum specialiter sit exemptus.* prob. concius. 2. quotidiana praxi, docente plures personas à solutione decimarum esse exemptas. prob. 3. obligatio solvendi decimas dependet his nostris temporibus à præcepto Ecclesiastico; non autem divino, vel naturali: nisi sermo sit de illa portione, quæ ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ necessaria apparet: sed omnis lex Ecclesiastica potest tolli: ergo &c. prob. min. Pontifex aufferre saltem validè potest legem Ecclesiasticam: ergo. prob. 4. lex antiquo

tiquo in testamento de solvendis decimis à Deo lata in novo testamento fuit sublata, nec ulla alia de novo à Christo substituta: ergo non datur obligatio divina ad solvendas decimas, quæ ab homine tolli non posset: prob. 1. membrum: omnia præcepta veteris Ecclesiæ tam cæremonialia, quàm judicialia pro populo hebraico data, fuerunt lata ad tempus adventûs Christi ut habet D. Paulus *ad Galat. 3.* ac Christo veniente cessârunt: ergo &c. prob. etiam 2. membrum: juxta D. Thomam *1. 2. q. 108. art. 1. & 2.* & communem D. D. Christus Dominus nullum præceptum divinum Judiciale, aut cæremoniale tulit, prærer illa, quæ ad fidem, Sacramenta, & Sacrificia pertinent: atqui præceptum de solutione decimarum non est tale: ergo non fuit à Christo latum.

3 Etsi autem summus Pontifex præceptum de decimis, quoad partem: hoc est, respectu quorundam fidelium abrogare valeat, totum tamen, seu respectu omnium fidelium aufferre nequaquam poterit ad mentem Suarezij *tom. 1. de Relig. lib. 1. tract. 2. c. 14. n. 10.* Pala. *tract. 10. de decimis d.sp. unica part. 3. n. 4.* ratio est, quòd talis omnimoda abrogatio dissipatio potiùs bonorum Ecclesiasticorum esset, quàm dispensatio, cedens in gravissimum totius Ecclesiæ damnum, quæ exigit, ut sui ministri inopes non sint: accedit, quòd etiam spirituale damnum ex tali omnimoda abrogatione resultaret, eò quòd cultus divinus quoad maximam sui partem hac ratione diminueretur, absque decentia & debito ordine perageretur, personæ Ecclesiasticæ vilescerent, & cum illis etiam ipsorum labores ac functiones contemptui forent expositæ.

Ob. 1. Decimæ debentur jure divino: hoc autem non potest 4
aufferri à Pontifice: ergo &c. Major probatur effatis Patrum, conciliorum, ac summorum Pontificium. ℟. dist. debentur jure divino, si hoc sumatur in sensu quodam latiore: con. etiam in stricto: negatur. dicimus autem illa esse constituta jure divino strictè tali, quæ ipse Deus immediatè per se, & non solùm per suam Ecclesiam constituit: quæ autem statuta fuerunt authoritate & potestate Ecclesiæ à Deo eidem immediatè concessa, dicuntur esse juris divini latiùs accepti.

Ob. 2. Jure divino & natu- 5
rali debetur ministris Dei atque Ecclesiæ sustentatio: atqui solutio decimarum ordinatur ad illorum sustentationem: ergo &c. ℟. dist. Majorem: debetur ijsdem sustentatio determinatè per solutionem decimarum facienda: negatur: vel per harum, aut aliarum rerum applicationem procuranda: conc. adeoque jus natu-

rale dictat quidem, ministris Dei à nobis sustentationem tribuendam, non autem dictat, nec exigit, ut ad illam decima pars fructuum determinatè impendatur. Ex eo autem, quòd ministris Dei ac Ecclesiæ debeatur sustentatio vel per decimarum, aut aliarum rerum applicationem, sequitur, nulla consuetudine induci posse, ut ab aliqua communitate Parocho, & alijs Ecclesiæ ministris nec decimæ, nec loco harum alij reditus assignentur: ratio hujus sequelæ est, quod ejusmodi consuetudo foret irrationabilis, contraria legi divinæ, naturali, & positivæ, quæ dictat, operarium esse dignum mercede sua, & de altari debere vivere, qui altari deservit.

5 Dico 2. Obligationem solvendi decimas etiam consuetudine posse tolli, aut diminui, consequenter aliquam communitatem, & ratione hujus particulares illius personas, à debito solvendi decimas esse exemptam, posito, quòd aliunde ministris Ecclesiæ de sustentatione sua sufficienter provisum sit, ita sentiunt Covarruv. *l. 1. c. 17. n. 8.* Lessius *lib. 2. c. 39. dub. 5. n. 29.* Guttierez *l. 2. can. qq. c. 20. n. 64.* Suarez *lib. 1. cap. 12. n. 7.* Fagundez *de præceptis Eccles. l. 3 c. 1.* Palao, Melchior, Friderich *de decimis cap. 3. q. 1. n. 260.* citans pro hac sententia Glossam *in c. 6. causa 10. q. 3. & in c. 32. h. t.* Abulensem, Menthacam, Sotum, Covarruv. Ferd. Vasquez, Gabriel Vasquez, Barbosam, Antonium Faber: Delbene, Gonzalez. Probari potest conclusio *ex c. 32. h. t.* hîc enim dicitur, quod ab aliquibus gentibus decimæ non solvantur, quamvis censeantur nomine Christiani; neque hæc earum consuetudo reprobatur. Probatur ratione lex obligans ad decimas juxta dicta non est Divina, sed Ecclesiastica: ergo legitima consuetudine poterit aufferri, vel minui, prout alias humanas leges consuetudine contrariâ abrogatas fuisse novimus.

Obij. 1. Sola rationabilis consuetudo potest tollere legem humanam: atqui hæc non foret rationabilis: prob. min. vi illius deberent Ecclesiæ ministri gratis sua obsequia fidelibus præstare: sed hoc est irrationabile: ergo &c. 7

Ry. 1. hoc argumento probari neminem à Pontifice eximi ab hac lege posse saltem licitè. Ry. 2. negando minorem, & probationis subjunctæ suppositum: cùm enim aliunde prospectum ponatur de sustentatione ministris Ecclesiæ, gratis nequaquam suam operam præstarent: cùm plus quàm sui sustentationem expetere nequeant, Ry. 3. ejusmodi consuetudinem ex alijs circumstantijs suam honestatem accipere posse.

Obij. 2. Laici non possunt consuetudine obtinere jus decimandi: 8

di : ergo neque exemptionem ab ijs solvendis. prob. cons. immunes à decimis solvendis aquirunt jus ad decimas ; quia non solvere, sed retinere decimas per se præstandas, idem est virtualiter, ac illas colligere. R. conc. ant. neg. cons. in probatione negatur ant. qui enim jus colligendi decimas habet : potest alios obligare, ut isti ex suis bonis sibi solvant partem decimam fructuum : qui autem duntaxat immunis est à decimis præstandis, non habet jurisdictionem, & facultatem obligandi alios ad præstandas sibi decimas ex bonis alienis, sed immunis duntaxat habetur à præstatione decimarum ex propriis suis bonis alioquin decimatori faciendа.

9 Ob. 3. Decimæ sunt tributum Divinum, atqui à solutione tributorum non possumus consuetudine liberari : ergo &c. R. disparitatem inter tributum, & decimas esse, quòd Pontifex tanquam plenus Dominus consuetudini legitimæ noluerit adimere virtutem annullandi obligationem solvendi decimas. Qualem tamen vim ex oppositо respectu tributorum sibi solvendorum sæculares Principes cuicunque consuetudini derogâsse legimus. 2. Si decimæ haberent rationem tributi, deberent illæ immediatè solvi in recognitionem Divini dominii ; cùm tributa sæcularia immediatè solvantur in recognitionem Regiæ potestatis : atqui hoc non fit, cùm illæ solvantur immediatè, ac per se in sustentationem, & commodum Ministrorum : ergo non habent rationem tributi. Hinc R. Negando Majorem.

Ob. 4. Non sufficit quæcunque consuetudo ad abolendam Legem Superioris : ex altera parte nequit explicari quales conditiones ad veram consuetudinem sint requisitæ : ergo &c. R. neg. ant. & dico illam sufficere, atque necessariam consuetudinem esse, quæ sit usus communis, seu à communitate factus, & illo tempore à communitate prolongatus, quod jura & leges ad stabiliendam consuetudinem requirunt. Ita *ex cap. fin. de consuetudine* deducunt cum Panormitano *n. 11.* communiter Doctores. Ex hoc Palao *tract. 10. de decimis disp. unica pu. 4. n. 1.* accuratissimè deducit, ad illam 1. requiri, ut à communitate proveniat, ne quilibet privatus habeat potestatem abrogandi, & dispensandi in lege Superioris, aut aliam introducendi. 2. Debere illam rationi conformem esse, qualis erit, si nulli juri naturali, aut Divino opponatur, juxta Navarr. *lib. 3. consiliorum tit. de consil.* Sotus *lib. 1. de Just. q. 7. art. 2. §. quòd verò longum* : affirmat, consuetudinem legitimam meritò nominari, de qua fieri poterat lex, vel dari privilegium, non obstante priori le-

10

ge. Taliter enim habebit honestatem legis, cujus vim consuetudo possidet.

11 Ob. 5. Omnis consuetudo abrogans legem est introducta mediantibus actibus peccaminosis, eò quòd conscij legis hanc fuerint transgressi: ergo non poterit esse rationabilis: R. transt. ant. neg. cons. etenim in omni consuetudine abrogante legem, si hæc sit moribus utentium recepta, hoc necessariò evenit; in hoc enim casu, si contrarios legi actus subditi exerceant, & ab ignorantia non excusentur, necessariò peccabunt. Quòd si autem ejusmodi legi contrarij actus fuerint exerciti, & Princeps ijsdem non contradixerit, ex illis malis, atque prohibitis actibus introducetur consuetudo derogans legi. Ratio hujus est, quòd consuetudine, quæ legi naturali, aut Divinæ, vel bono publico, non erit contraria, vigente, non ampliùs expediat vigere legem, eò quòd hæc populo, & communitati foret scandalo, præbens occasionem peccandi, & hinc non ampliùs in bonum communitatis, quod tamen ad legem requiritur, fuisset lata.

Dices: ut consuetudo habeat vim tollendi legem, debet per istam nulli aliquod jus fuisse quæsitum: per legem autem decimarum est aliquod jus acquisitum Clericis: ergo non poterit lex imperans decimas consuetudine aboleri. 2. Per diuturnam possessionem juris decimarum quæsitum, quoddam jus est ipsis Parochis. R. 1. Non minor vis inest consuetudini, quàm præscriptioni: hæc autem potest tollere hoc jus: ergo etiam consuetudo. R. 2. neg. ant. si enim jus decimandi à Parochis obtentum per hanc legem solummodo fuit, tamdiu isti retinebunt hoc jus, quamdiu durabit hæc lex: ergo si lex fuit sublata privilegio, præscriptione, aut consuetudine: etiam jus tali lege quæsitum extinctum erit.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum 1.

Quot annorum consuetudo Exemptionem à decimis conferat?

12 Dico 1. Si consuetudo derogans obligationi solvendi decimas duraverit 40. annis, immunitas ab ijs solvendis introducta fuit: ita sentiunt Panormit. Felinus, Paris. Archidiac. Alex. Balb. De-

Decius, Covarruvias *lib. 1. variar. c. 17. n. 8. §. decimo his.* Suarez *c. 13. n. 7.* cum omnibus illis, qui tenent, consuetudinem, quæ legem latam, atque usu receptam tollit, necessariò debere esse 40. annorum. Ratio est, quia tantum tempus utique sufficit, ut superior in ejusdem abrogationem consentiat. Diximus in hac conclusione, sufficere, quòd duraverit 40. annis consuetudo ab obligatione solvendarum decimarum eximens: major difficultas & controversia movetur, utrum non sufficiat minus tempus v. g. decennium.

Consuetudinem 10. annis durantem abunde sufficere tuentur del Bene *de immun. Eccles. 8. dub. 29. sect. 2. n. 17.* Palao *tract. 10. disp. unica pu. 4 n. 2.* de Lugo *de Just. disp. 7. sect. 6. n. 94. asserens ad Legem Ecclesiasticam consuetudine abrogandam sufficere 10. annos.* Haunold. *de Just. tract. 1. proœmio c. 3. n. 130.* Lassius *l. b. 2 de Just. dub. 14. cap. 6. circa finem cap. 6.* Gibalinus *lib. 6. scient. Canon. c. 2. q. 2. num. 22. in fine,* nituntur sequentibus rationibus.

13 Prima: ut abrogetur Lex Civilis, sufficit consuetudo decem annorum: ergo etiam, ut abrogetur Lex Canonica. Prob. conf. quantum tempus ad abrogandam Legem Canonicam sit necessarium, nullibi legimus expressum: ergo debet desumi ex dispositione Juris Civilis, sed hoc non majus tempus, quam 10. annorum exigit: ergo &c.

14 Secunda: illud tempus sufficit, quod præbet prudens fundamentum judicandi, Principem consentire in abrogationem latæ à se Legis: sed: ergo: Prob min. in Principe sæculari decennium sufficit ad hunc finem: ergo etiam in Ecclesiastico, ad quem magis spectat invigilare subditis, & illorum modum agendi accuratiùs observare.

15 Tertia: Leges requirentes 40. annos loquuntur de præscriptione, non autem de consuetudine: & nulla adduci potest, quæ etiam ad hanc exigat tot annos: ergo.

16 Quarta: juxta Legem *1. 2. ac 3. Cod. de præscript. long. temp.* item juxta Bart. Baldum, Angel. Panorm. ac alios tempus longum requirit 10. annos, & non plures: ex alia verò parte Jus Civile duntaxat longum tempus requirit in *C. quæ sit longa consuet.* ergo 10. anni sufficient.

Ex opposito 40. annos necessarios esse, defendunt Panormitanus, Felinus, Paris. Archidiac. Covarruv. Suarez Alexander Balbus, Decius, Corsalez ad *c. 1. de consuet. n. 11.* Pyrrhing *de decimis n. 132.* Wiestner *de decimis n. 57.* citans Lessium *l. b. 2. de Just. c. 6. n. 47.* ubi asserit requiri annos 40. ad consuetudinem, quæ sit aliquo modo contra jus Ecclesiæ: hinc quando eodem *in cap. & dubit. 14.* asserit sufficere de-

cem annos, ut abrogetur Lex Ecclesiastica, de illa duntaxat Lege fuerat locutus, quæ de alio, quàm de jure Ecclesiæ lata fuit. Hoc ipsum, & non plus asserit Lugo *de Just. disp. 6. n. 94.* ab adversarijs pro se citatus. Ipse etiam Haunoldus, quem superiùs pro decennalis consuetudinis sufficientia ad exemptionem à solvendis decimis adduci vidimus, locutus duntaxat fuerat de consuetudine eximente à Lege in favorem communitatis, non autem ipsius Ecclesiæ lata: cùm ergo Lex statuens solutionem decimarum sit privilegium Ecclesiæ concessum, decennium sufficiens ad exemptionem à Lege Civili, non erit sufficiens eo ipso ad immunitatem à solvendis decimis.

17 Ratio illorum est, tantum tempus debuit durâsse consuetudo vim Legis cujusdam abrogans, quantum necessarium est, ut præsumatur Legislator consentire in abrogationem suæ Legis: atqui ad hoc in Lege decimarum est necessarium tempus 40. annorum: ergo: prob. min. consuetudo hæc est contraria Legi Ecclesiasticæ, uti & juri, quod decimatoribus competit, & ideo in grave horum detrimentum cedit: ergo prudenter præsumi non potest, quòd illius Legislator Pontifex in minus, quàm 40. annorum tempus consentiat, ut talis consuetudo habeat vim abrogandi Legem.

Conf. non est præsumendum, quòd Pontifex ad tollendum jus reale Ecclesiarum, & suorum Ministrorum tam facilè consentiat, quàm facilè ipse consentit in abrogationem Legis, cujus abrogatio nulli jus suum auferat: ergo, licèt ad abrogationem aliarum Legum Ecclesiasticarum, quæ nullum jus subditis concedunt, sufficiat decennium, ex hoc tamen non sequitur, quòd etiam illud sufficiat ad abrogationem hujus Legis. Prob. conf. Legislatores suis Legibus, statutis, & privilegijs censeri quidem possunt præjudicare suis juribus, non autem ipsorum subditorum: ergo consuetudini abroganti subditorum jura non concedunt eandem brevitatem temporis, quam permittunt consuetudini præjudicanti duntaxat ipsorum juribus.

Ratio secunda est, quantum 18
tempus requiratur, ut Lex præjudicans alterius cujusdam subditi juribus abrogetur, est dubium, & nullis LL. expressè stabilitum: ergo debet prudentis Judicis arbitrio definiri; sed hoc sine læsione justitiæ non potest permittere, ut 10. duntaxat annorum consuetudo extinguat jus tertii: ergo requirentur 40 anni. prob. ant. Leges, quæ asserunt sufficere decem annos, solùm loquuntur de abrogatione Legum, quæ nulli subditorum jus quodpiam concedunt: ergo est dubium, utrum hi ipsi decem anni ex dis-

posi-

positione jurium sufficiant ad abrogationem Legis decimalis, tribuentis jus quoddam ipsis Ministris Ecclesiæ.

Conf. ad consuetudinem legitimam requiruntur tam rationabilitas illius, quam duratio certi temporis : ergo sicut illius rationabilitas prudentis arbitrio judicis relinquitur , ita etiam relinquenda eidem erit longitudo temporis.

19 Conf. 2. Si decem anni sufficerent , ratio foret , quia Jura Civilia requirunt longum tempus, & hoc est decem annorum juxta *Legem 1. 2. ac 3. de præscript. longi temp.* atqui longum tempus non est semper decennium : ergo &c. prob. min. in *Lege qui in provincia §. 1. ff de ritu nuptiarum* diuturnitas etiam usurpatur pro 40. annis : ergo diuturnitas temporis non dicit universim tantummodo decem annos. Hoc totum Cujacius *lib. 18. observat. cap. 28.* ex alijs Legibus deducit , qui lib. 2. observar. cap. 1. affirmat diuturnitatem hujus temporis prudentum judicio permittendam, Cujacio in hoc puncto assentiuntur , Duaren. *de LL. c. 11.* Gabr. Vasquez *1. 2. disp. 177. c. 5.* Valent. *1. 2. disp. 7. q. 5.* Salas *de Legibus sect. 4.* Molina *tract. 2. de Just. disp. 77.* Basilius Pontius *lib. 6. de matrim. c. 5. n. 9.* Gibal. *lib. 6. scienti Can. cap. 2. q. 2. n. 22.*

20 Perpensis pro utraque parte rationibus , probabilior nobis appareret posterior Authorum opinio quadraginta scilicet annos exigentium , ut jus decimandi abrogans consuetudo introducatur. Nec difficilis videtur solutio rationum, quas pro se prima opinio attulerat. Ad 1. enim respondetur , conc. ant. dist. conf. ergo etiam ad abrogandam Legem Ecclesiasticam, quæ nulli tertio jus quoddam proprietatis attribuit , sufficiunt decem anni : conc. quæ tale jus tertio tribuit , nego. Secunda ratio ex eodem fundamento dissolvitur. In tertia ratione concedimus , quòd nulla Lex allegari valeat , quæ expressè 40. annorum consuetudinem requirat , ut latum à Principe statutum vel Lex aufferri queat : ostendimus tamen , ad illam requiri tempus longum , & sub hoc etiam intelligi à Legibus 40. annorum tempus , quod ipsum fundamentum ultimo loco adductam adversariorum rationem enervat. Dein decem annorum tempus, ut præsumatur,Pontifex derogare juri tertij , nobis haud videtur sufficiens.

Opponit hactenus dictis aliquis : ex hoc quod decennalis consuetudo non sufficiat ad immunitatem à solvendis decimis , malè infertur , ad hunc finem esse necessariam consuetudinem annorum 40. cur enim non sufficiant consuetudo 20. aut 30. annorum? R. consuetudo omnem suam vim accipit ex dispositione Jurium : ergo si hæc consuetudini decem, vel quadraginta annorum duntaxat tribuunt virtutem abolendi Legem

gem Canonicam ; & nullibi asserunt, ad hunc finem etiam sufficere consuetudinem viginti, aut triginta annorum ; optimo jure dicitur consuetudinem abrogantem Legem decimarum debere esse 40. si non sufficiant decem anni : quòd autem viginti anni non sufficiant, quando non sufficiunt decem, probamus negativè, quòd nulla Lex, nullus Author hoc asserens afferri possit.

21 Interrogit non immeritò hìc aliquis, utrum consuetudo inducens immunitatem à decimis persolvendis ultra requisitos annos, etiam titulum, ad modum præscriptionis, requirat?

Eundem haudquaquam necessarium esse defendunt Felinus, Anton. Covarr. *loco cit.* Suarez *cit. n. 13.* Gabriel Vasquez *tract. de Benef. c. 1. dub. 3. n. 19.* Molina *tract. 2. de Just. disp. 75. n. 6.* Lessius *lib. 2. de Just. c. 30. n. 26.* Palao, Reginaldus Delbene, Diana : moventur ex eo, quòd jura nullibi requirant titulum aliquem : cùm frequens & diurnus communitatis alicujus usus, si illi ipsius Principis consensus legalis accesserit, vim Legis, ad quam nullus titulus est necessarius, judicetur habere.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Quæ forma in solvendis decimis sit observanda?

22 Dico 1. Diversas dari rationes atque formas, queis solvi absolutè decimæ possunt Primò possunt præstari in manipulis in agro separatis ac relictis. Secundò in manipulis in æde jam reconditis, Tertiò si loquamur de frumentis in his à stramine jam separatis. Quartò in segete vel fructibus, adhuc pendentibus, Quintò linum potest vel infectum, & crudum adhuc, vel jam factum persolvi : ita communis ex quotidiana praxi comprobata omnium opinio.

Dico 2. Si juris communis ratio habeatur satisfacit suæ obligationi debitor, si decimas in agro separet. Ita docent Suarez *c. 37. n. 7.* Coninck *c. 7. n. 2.* Laym. *c. 5. n. 2.* Friderich, *de decimis parte 4. cap. 2. q. 3. n. 547.* cum aliis. 23

Probatur : hac ratione jam solvuntur decimæ : ergo cùm ex nullo textu juris communis alius modus possit probari, erit ista separatio in agro facta sufficiens. 2. Illa praxis sufficit, quæ est minùs subjecta fraudibus, atqui hæc nostra

nostra est minùs subjecta fraudibus, quàm quæ invehit fructus horreis, & domibus Parochianorum: ergo &c.

24 Dico 3. Spectato jure Bavarico vi *tituli 28. art. 1.* esse penes decimatorem exigere decimas, aut in agris, aut in horreis: prob. verba sunt ista: Es soll auch in eines jeden Zehend-Herrn freyen Wahl / und Willen stehen / setnen Zehend auf dem Feld / in dem Stadl / oder da er sich mit den Bauren deshalben vergleichen wolte / in den Sack an Körner Zusangen ꝛc. ergo &c.

25 Dico 4. Non obstantibus ordinationibus tam juris communis, quàm Provincialis ille modus decimandi erit observandus, qui legitimè præscripta consuetudine introductus fuit. Ita sentiunt Hostiensis, Anfrer: Parisi: Rebuff: *q. 13. n. 49. & 50.* Suarez *c. 37. n. 7.* cum alijs passim.

Prob. teste Palao *de decimis disp. unica pu. 8. n. 10.* omnes Doctores tradunt, legitimè præscripta consuetudine introduci posse omnimodam vel inadæquatam exemptionem ab obligatione solvendi decimas: ergo multò faciliùs poterit consuetudine induci certus modus præstandi decimas, licèt iste à jure patrio sit diversus, præsertim cùm à jure communi nullus determinatus in specie fuerit.

26 Dico 5. Quodsi tamen ejusmodi consuetudo solvendi certo modo decimas: v. g. in manipulis in horreo jam reconditis: in segete, ac fructibus adhuc pendentibus &c. invaluerit, ut decimator probare possit, se multoties inde læsum & quantitatem sibi debitam sæpiùs non accepisse ob fraudem & dolum Parochianorum ab ordinario expetere decimator poterit, ut talem consuetudinem invalidam reddat, ita docent. Engel *de decimis §. 1. n. 13.* Friderich *de decimis n. 536.* prob. talis consuetudo est irrationabilis: ergo potest ab Episcopo abrogari: prob. ant. præbet occasionem peccandi & defraudandi decimatorem re alias eidem debita, in quantum non integra eidem fit solutio, cùm ponatur ex tali modo defraudatus: hinc speculat: *de decimis ad finem* ex varijs legibus probat, à decimatore colonis inhiberi posse, ne decimas, nisi se, vel suo ad colligendas nomine suo decimas deputato præsente ab agro separent. speculatori consentiunt Covarruv. *lib. 1. var. c. 17. n. 8. v. octavò* Panormit. ac communis aliorum *in cap. 10. de decimis.*

Dices: si talis consuetudo quoad modum solvendi decimas est irrationabilis, & ab Episcopo tollenda, quando illius occasione decimator sæpius fuit læsus, omnis consuetudo sublativa decimarum vel quoad totum, vel quoad partem erit irrationabilis: prob. seq. hac ratione etiam læduntur jura decimatorum. ℟. dist. ant. erit etiam

irrationabilis consuetudo simpliciter sublativa decimarum, quamdiu requisito annorum spatio illa non fuerit continuata; transf. si tempore præscripto fuerit continuata, & hinc completa, negatur: si consuetudo jam fuit completa, ad decimas tali consuetudine præscriptas nullum amplius jus habet decimator: ergo non potest prætendere, quòd suo juri obsit negatio decimarum post completam consuetudinem: ex opposito, si occasione certi modi solvendi decimas decimator privetur decimis sibi adhuc debitis, & necdum à Parochiano præscriptis, tunc actuale decimatoris jus læditur, consequenter etiam tanto tempore continuata consuetudo est irrationabilis.

87 Dico 6 Non sola consuetudine sed etiam legitima præscriptione introduci certus modus solvendi decimas poterit, ita Covarruvias *loc. cit.* Gravetta. *consil.* 21. Gutierez *can. qq. l. 2. c. 21. à n. 45.* cum alijs. Probatur. præscriptione potest induci omnimoda exemptio à solutione decimarum: ergo etiam, ut hoc & non alio modo præstentur decimatori. Prob. 2. in præscriptione hujusmodi non agitur de jure aliquo spirituali; neque alicui juri spirituali Ecclesiæ præscribitur: ergo præscriptione certus quidam modus introduci poterit. Primum membrum antecedentis patet: alterius veritas ex eo deducitur, quòd remota consuetudine, aut præscriptione Ecclesia probare nequeat, sibi determinatum quendam modum solvendi decimas competere. Secundò: tantumodo præceptum est, ut decimæ solvantur: sed hæc solutio potest absolutè fieri, quocunque demum modo præstentur decimæ. ergo per se, ac præscindendo à consuetudine ac praxi non est necessarius determinatus quidam modus solvendi decimas, quia nullum novum onus alicui imponendum venit.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

Quid in præsenti controversia sit judicandum?

PRiusquam ad finalem conclusionem procedamus afferimus rationes decimatori Parocho faventes.

Quòd integrè, & nullis ex- 91
pensis deductis ex omnibus fructibus prædialibus decimæ persolvendæ sint, invenimus statutum

6. 40,

8. 4. 5. 8. 21. 23. & 32. de decimis: in his præcipitur, ut absque diminutione aliqua, cum integritate, & plenarie &c. Decimæ persolvantur. atqui non solvuntur integrè, si quilibet subditus solvat duntaxat tres, aut quatuor aves linarias, vulgo Flachs-Reisen / cùm incredibile ut singulos parochianos æquales semper fructus linarios, præsertim diversis annis, ex suis agris colligere: ergo Parochus videtur hactenus, minus justo accepisse, consequenter potestatem habere obligandi suos Parochianos, ut decimum semper linarem manipulum sibi in ipso agro persolvant.

29 Secundò: non possunt Parochiani quidpiam è fructibus perceptis detrahere, ac pro se retinere in compensationem expensarum, quas in colendis agris facere debuerunt. Ratio est, quòd decimæ juxta SS. Canones sint solvendæ ex omnibus fructibus terræ, ac nullibi addatur, deducendas antea esse expensas, aut tributorum solutionem, eò quòd in assignatione partis decimalis, sola commoditas decimatoris spectata fuerit *cap. tua nobis: de decim.* consentientibus Innoc. *in cap. pastoralis* & Panormit. *ibidem n 5.* Suarezio *lib. 1. cap. 35. n. 4. 5. & 6.* Lessio *lib. 2. de decimis cap. 29. dub. 3. n. 16.* Fagundez *de 5. Ecclesiæ præcepto lib. 1. cap. 4 n. 6.* Bonacina *disp. ultima de 5. Ecclesiæ præceptis q. 5. p. 3. in fine* Palao *de decimis disp. unica pu. 8. n. 21.*

Tertiò; frumentum, postquàm 30
à solo est separatum, etiam antequam inferatur horreo, est solvendum: ergo etiam linum crudum, & adhuc imperfectum erit in prato, postquam à solo separatum fuit, decimatori præstandum: cùm etiam habeat rationem fructuum prædialium.

Quartò decimæ non tantùm ex frumento, sed etiam ex omnibus cæteris fructibus sunt præstandæ: ergo non possunt prætendere Parochiani, quòd ex lino illas persolvere non teneantur, ant. constat, quia decimæ solvuntur in recognitionem divini dominij, sed hoc se extendit ad omnes fructus.

Quintò ex actis & documen- 31
tis decimantis Parochi constat, quòd ante octoginta annos loco lini certæ pecuniæ fuerint à Parochianis persolutæ: ergo sicut non obstante hac praxi loco pecuniæ postea linum in natura potuit decimator exigere: ita non obstante moderna praxi, quæ solvit linum jam factum in eadem semper quantitate, poterit imposterum exigi linum infectum & crudum, itaut ubi hoc à solo erit separatum, & quidem decimus semper manipulus.

Sextò. decimatori etiam favet 32
ipsum jus patrium seu Bavaricum, nam juxta statuta Bavarica *tit 28. a. 1.* in potestate decimatoris

est, decimas aut in agris, aut in horreis exigere: ergo etiam manipulos lini in ipso agro adhuc jacentes poterit exigere.

33 Septimò, sicuti invalida est emptio, in qua aliquis est læsus ultrà dimidium, ità etiam quælibet alia conventio, & contractus erit nullus, quando alter contrahentium ultra dimidium est læsus: ergo, licèt antecedentes decimatores contraxissent taliter cum Parochianis, ut singulis annis tres linariæ aves vulgo Flachs-Reisen persolvantur, quia tamen per hoc ultra dimidium decimator læsus fuit, contractus ille nullus erit, atque invalidus.

Hæc sunt potissima fundamenta, quæ pro se afferre decimator Parochus poterit, quæ, an satis firma sint, postmodum videbimus.

34 Cæterum ex principijs, quæ in decursu hujus controversiæ hactenus stabilivimus, non difficilis accedit præsentis casûs decisio: etenim juxta dicta in primo §. constat, legitima & rationabili consuetudine exemptionem solvendarum decimarum vel quo ad totum, vel quo ad partem abrogari posse, supposito, quòd decimatori Parocho aliunde sufficienter de sustentatione sit prospectum. In §. 2. & 2. quæsiti resolutione concluximus, consuetudinem, quæ exemptionem à solvendis decimis inducit debere esse annorum ad summum quadraginta. Resolutio tertij in §. 3. propositi quæsiti nobis innuit, etiam formam, qua solvi possint, ac debeant legitima consuetudine posse induci: restat ergo, ut omnes circumstantias in præsenti lite perpendamus.

Primò itaque notandum, Parochianos non abnuente decimatore Parocho affirmare, ad minimum 50. annos effluxisse, ex quo quælibet familia ex linarijs fructibus, sive dein hi multi, seu modici extiterint, annuatim tres aut quatuor duntaxat linarias aves vulgo Flachs-Reisen persolverit abunde itaque constat, consuetudini huic nequaquam deesse requisitum quadraginta annorum tempus.

Eandem pariter rationabilem esse, nemo inficias iverit, eò quòd nulli juri divino, naturali, aut statuto cuidam Ecclesiastico sit opposita. His accedit, quòd praxis ista videatur ortum habere ex quadam conventione Parochianorum cum decimatore Parocho quondam inita; si enim iste in suis actis & documentis invenit, quòd ante annos octoginta certa quantitas pecuniæ loco lini in natura persoluta fuerit cum fundamento asserimus, ac præsumimus, decimatori, quando ista praxis introducta fuerat, acceptius fuisse, ut imposterum linariæ decimæ jam factæ in ipsa natura persolverentur: præterea cùm videret decimator, multum laborem, & expen-

pensas sibi faciendas fore, si manipuli linarij in ipso agro crudi & necdum confecti decimatori solverentur, convenerat cum Parochianis, ut tres duntaxat aut quatuor aves linarias, vulgo Flachs-Reisen singulæ familiæ, quæ linum collecturæ essent, pro illo anno sibi solverent, ita ut in compensationem laborum, quos in conficiendo, & præparando lino Parochianos facturos prævíderat, aliquid de consueto numero manipulorum linariorum eisdem remiserit, vel potuit contingere, ut quantitas pecuniæ ante octoginta annos solvi solitæ adeo modica fuerit, ut hæc pretium, quæ ordinariè & communiter tales tres aves linariæ comparantur, non excesserit, & Parochiani novis sub conditionibus in alium novum, atque inusitatum tunc temporis modum solvendi scilicet decimas linarias in natura, consentire recusaverint, nisi decimator, universim singulis annis in solutionem talium trium linariarum avium consenserit, atque ob istam causam, hanc formam, & quantitatem solvendarum decimarum decimator acceptaverit.

Quidquid autem horum evenerit, manifestum est, ejusmodi consuetudinem rationabilem, & hinc legitimam esse, habere etiam vim, communiter receptam formam, & quantitatem solvendarum decimarum abrogandi, consequenter Parochianos ad majorem quantitatem, vel aliam novam quandam formam linariarum decimarum à Judice competente compelli hîc & nunc non posse.

Rationes, quas decimator Parochus pro se num. 28. & sequentibus attulerat nequaquam videntur insolubiles. ad propositam itaque num. 28. primam rationem reponimus, ibidem adducta habere locum per se, ac præscindendo à contraria praxi per legitimam consuetudinem inducta: qualem in his partibus vigere Parochiani, nequaquam contradicente Parocho probare & affirmare possunt. numero 29. allato fundamento satisfaciamus dicendo, minoris quantitatis solutionem nequaquam ut justam ex eo deduci, quòd in colendo, & serendo agro expensas facere Parochiani debeant, sed de hac nonnihil remissum fuisse ob indebitum laborem, quem Parochiani in faciendo, & præparando lino subeunt: nemo enim dicit, quòd præscindendo à vigente praxi contraria linum factum decimatori sit solvendum: ergo Parochiani compensationem exigere poterunt, si ipsimet linum præparent; cùm constet, quantus labor mulieribus in conficiendo lino sit subeundus. 35

Num. 30. Proposita ratio tertia habet locum vi juris communis, & præscindendo à legitima consuetudine contraria, quam observandam ubique esse, superiùs

probavimus. Idem reponimus ad quarto loco adductam rationem.

Quod quinto loco, & n. 31. fuit propositum, solvitur, si dicatur, posse quidem mutationem quandam in hoc fieri non obstante praxi contraria, si liberrimus Parochianorum consensus accesserit, & isti sponte jure suo cedere decreverint. Hinc asserimus mutationem illam de qua in cit. n. 31. mentio fuit facta, cum voluntario tunc temporis viventium Parochianorum consensu fuisse institutam. Quòd si decimator contendat etiam invitos, ac repugnantes Parochianos ad mutandam illius temporis consuetudinem compulsos fuisse. Eidem tanquam affirmanti incumbet probatio, quòd si hoc ipsum quoque ostendat factum fuisse, dicimus, ex errore, ac jurium ignorantia in hanc mutationem consensum à Parochianis præstitum fuisse. Item potest dici, quòd praxis illa solvendi certam pecuniam loco linariarum decimarum ex conventione à Parocho cum Parochianis inita profluxerit: quæ cum consensu Parochianorum ad certum tempus facta, dein expiraverat.

Num. 32. Pro sexta ratione allatum fuit jus Bavaricum, decimatori relinquens facultatem eligendi modum colligendi decimas: reponimus, hæc locum habere, ubi nulla adhuc determinata consuetudo in colligendis decimis invaluerit.

Ultimo loco allatum ex eo videtur nobis esse inefficax, quòd consuetudo suam vim obtineat dependenter à consensu legislatoris non autem à voluntate contrahentium: ex legibus autem habemus, superiorem Ecclesiasticum in valorem legitimæ consuetudinis in ordine ad inducendam exemptionem à decimis consensisse.

Præter hactenus allata Parochianorum Exemptioni obstare videtur, quòd jus ipsi Parocho assistat, & resistat Parochianis quoad exemptionem: ergo Parochus decimator contra Parochianos erit manutenendus: verum Respondetur cum distinctione, erit manutenendus, si ipsi parochiani non forent in notoria possessione suæ exemptionis, quoad majorem quantitatem, aut aliam formam solvendi decimas linarias: conc. si sint in hac notoria possessione 50. annis ad minimum continuata nego.

§. V.

§. V.

Resolvitur quintum Quæsitum.

An sæcularis possit esse Judex competens hujus actionis?

36 CIrca decimas instituì potest vel quæstio facti, vel quæstio juris, hæc datur, quando Ecclesia prætendit jus decimandi ex una parte, ex altera verò laicus; in quantum asseritur ab isto decimas sibi competere per investituram: aut illas mediante privilegio fuisse concessas: item immunitatem à solvendis decimis consuetudine, aut præscriptione fuisse obtentam, quando autem duntaxat quæritur, num is, quem constat ad solvendas decimas esse obligatum, istas solverit, vel non: num in illarum solutione fraus aliqua commissa fuerit: num furto sublati fructus ante vel post decimationem fuerint: præterea quando obligatus ad decimas fructus indecimatos, qui juxta consuetudinem in agris essent decimandi horreo intulit, aut fraude vel negligentia corrupit; in istis ac alijs similibus casibus quæstio facti mota fuisse dicitur.

37 Item potest circa decimas agi in petitorio, vel in possessorio, in petitorio agetur, quando controversia de jure decimandi fuerit mota: possessorium fuit intentatum, si agatur de adipiscenda possessione, quam aliquis nunquam habuit, vel de retinenda, dum aliquis in sua possessione turbatus fuerat: vel de recuperanda, quod contigit, cùm ex hac dejectus restitui à Judice desiderat.

His præmissis ad particularẽ nostrum casum descendendo, videndum, num lis in petitorio, possessorio, aut denique in actione mixta ex petitorio, ac possessorio instituenda veniat, saltem ad mixtam quandam ex actione in petitorio ac possessorio quæstionem, (si non tota in solo petitorio moveatur) hanc actionem revocandam exinde deducitur; quia laici parochiani immunitatem à solutione decimi manipuli linarij in ipso agro statim facienda prætendunt, contendente vicissim Parocho sibi jus ad hunc decimum manipulum linarium in agro colligendum competere: ejusmodi quæstiones in petitorio moveri defendunt speculator Calderinus, Fridericus, Sen, Cassandus Fulgosus, Guttierez, Petrus Barbosa in legem *Titia 35. ff. sol.* 38

fol. matr. cum alijs apud Friderich *de decimis n. 578.*

Prob. per se parochiani non sunt exempti à solvendo decimo manipulo: ergo ut se immunes ostendant, fundamentum ac titulum suæ immunitatis afferre debebunt, ac videndum, num iste sufficiens sit: sed hæc est quæstio Juris. prob. subsumptum, quæstio Juris est, an & qualis, seu quot annorum consuetudo eximat parochianos à decimis.

Confirmatur, quando quæritur, num aliquis ad solvenda tributa per se obligatus ex certo quodam titulo, quem prætendit, ab illorum solutione sit immunis, est quæstio Juris: ergo etiam quærere, utrum consuetudo valida, vel eximens à solutione decimi manipuli revera detur, erit de Jure.

Confirmatur secundò, quando parochiani se totaliter immunes à solutione decimarum linariarum vi legitimæ consuetudinis profiterentur, foret quæstio Juris: ergo etiam quæstio Juris erit, quando ob consuetudinem dicunt se immunes ex parte; prob. cons. vi legis ex *Asse. ff. de hæred. Instit.* eadem est ratio de parte, quæ de toto, item æquè est quæstio de Jure, quærere utrùm parochus simpliciter habeat jus ad decimas linarias, ac utrùm habeat jus ad majorem quantitatem, ad quemlibet scilicet manipulum linarium, & non tantum ad tres linarias aves vulgò Flachs-Reisen.

Confirmatur tertiò, quænam conditiones ad validam, & obligationi solvendi decimas derogantem consuetudinem requirantur; & num hæ dentur in quadam consuetudine, involvit quæstionem Juris: atqui in præsenti controversia de hoc movetur quæstio: ergo &c.

Confirmatur quartò, an consuetudine extingui obligatio solvendi decimas possit, pendet ex eo, an hæc sit divino, naturali, aut tantùm Ecclesiastico Jure introducta, cùm solo Jure Ecclesiastico inducta obligatio contraria consuetudine abrogari possit: ergo quæstio, utrùm aliqua consuetudo obligationem decimarum extinxerit, est quæstio de Jure, utrùm scilicet hoc jus sit divinum, naturale, aut Ecclesiasticum.

Dico: hæc causa coram solo ju- 39
dice Ecclesiastico agitanda erit, ita sentiunt, quicunque tuentur causas decimarum in petitorio, seu in quæstione Juris à judice Ecclesiastico eventilandas esse, sunt autem hujus opinionis omnes etiam legistæ, qui speciatim authores istos inspicere desiderat, inveniet plures citatos apud Azorium *Instit. Moral. p. 1. lib. 7. cap. 36. q. 1.* Prob. cons. Instituitur hîc quæstio de re ac Jure Ecclesiastico, sive spirituali: sed de istis cognoscere sæcularis Judex non potest: ergo &c. major constat ex priore nu-

mc-

mero, item ex *cap. parochianos, de decimis Glossa in cap. ex tenore; de foro competente item cap. 2. de Jur. calum.* causa decimarum dicitur spiritualis juxta *cap. fin. de rerum permut.* jus decimandi est spirituale prob. itaque min. sæcularis non potest de spirituali hac obligatione, aut exemptione solvendi decimas cognoscere per se, quia Ecclesiastica cognoscere ad Ecclesiasticum duntaxat judicem pertinet vi *Clement. Dispendiosa de Judicijs*, & *cap. decernimus de Judicijs*: quin imò vi *cap. contingit de arbitris*: Judex civilis etiam simul cum Ecclesiastico de causa Spirituali cognoscere ac judicare nequit, etiam ratione compromissi idem habetur *c. 2. & 3. de Judi. c. 3. de ordin. cognit. cap. 6. & 7. qui filij* sint legitimi, *Trident. sess. 24. can. 12. de matri.*

Prob. eadem concl. 2. teste Gaill *lib. 1. observat. 38. n. 2.* Harttman. *pract. for. lib. 2. c. 2. Miscell.* §. 11. Camera Imperialis hac praxi utitur, ut causas decimales in petitorio non recipiat: sed hæc causa est in petitorio: ergo &c.

40 Dices forsitan cum nonnullis, sæcularem judicem non posse de decimis cognoscere ordinariè, & in quibuscunque quæstionibus super Jure decimandi motis, eidem tamen competere hanc facultatem, si postulatus laicus immunitatem decimarum opponat ex consuetudine, prout hîc contingit contra enim est: cognitio talis causæ competeret sæculari, vel quia non est spiritualis: vel si etiam est spiritualis, attamen ex privilegio pontificio, consuetudine, aut præscriptione, hæc facultas sæcularibus Judicibus aquisita fuit, neutrum potest dici: non primum, quia probavimus, quæstionem esse de Jure quodam spirituali: non secundum, quia tale privilegium Pontificum, deberent exhibere, & non possunt: præscriptionem hujus Juris prætendere nequeunt, cùm jus spirituale à laico præscribi nequeat, eò quod illud non possidere valeat vi *cap. causam: quæ de præscript. & cap. prohibemus: de decimis.* denique neque ex consuetudine, quamvis longissima: hæc enim capacem juris non efficit, qui hujus est incapax, qualis est sæcularis. Joan. And. Abbas, Glossa & alij in *cap. causam: quæ de præscription.* Confirmatur: communis sententia docet consuetudinem plus authoritatis, & Juris non conferre hujus Juris incapaci, quàm quòd authoritatis, & Juris confert Romani Pontificis privilegium: ergo tale privilegium exhibendum ab ijsdem erit, & à Judice Ecclesiastico examinandus exhibiti privilegijs valor, atque ex hoc accedens privilegiato jus immunitatis à solvendis decimis: ergo sæcularis Judex non poterit ista decidere.

41 Ob. 5. In hoc casu agitur in possessorio retinendæ immunitatis à decimis : ex parte verò decimatoris in possessorio recuperandæ decimationis, sed in causis talibus potest cognoscere Judex laicus ergo: ℟. transmissa majore à nobis posse neg. min. oppositam enim opinionem , quæ docet in possessorio recuperandæ decimationis , & retinendæ immunitatis à decimis solvendis cognitionem causæ soli Ecclesiastico Judici competere , defendunt Guttierez & Gaill. asserentes hanc esse communem : eò quòd in istis causis afferendus sit titulus, & de re aliqua spirituali cognoscendum , insuper sacra Jura *cap. 2. & 3. de Judic.* & *Clem. 2. eodem* absolutè ac sine discrimine inter quæstionem facti , & Juris cognitionem causarum de rebus Ecclesiasticis judici laico denegent,

Ob. 2. In pluribus Provincijs permittitur ab ordinarijs , ut laici Judices in similibus casibus controversias decidant: ergo ℟. D. 2. hoc permittitur, quia commodè impediri non potest , vel ignorante Pontifice , invito aut etiam positivè reclamante conc. permittitur animo lubenti, & approbante neg. 42

Potissima verò ratio, ob quam soli judici Ecclesiastico in causa immunitatis à solutione decimarum cognitio competat , est hæc, quia est quæstio Juris , dum prætenditur immunitas à solvendis decimis vi consuetudinis , præscriptionis , aut contractûs obtentæ : ergo debet de valore hujus consuetudinis cognosci, consequenter est quæstio Juris. 2. Decimator prætendit se habere jus ad decimas quod est quid spirituale , de quo solus Ecclesiasticus cognoscit.

CASUS XXXV.

De præscriptione immunitatis à jure solvendi decimas integras in agro.

NOn obstante praxi, vi cujus à 50. annis Parochiani certo monasterio ordinis mendicantium annuatim persolverunt singuli ex suis agris tantùm tres aves linarias jam confectas, modernus superior prædicti monasterij meditatur colligere decimum manipulum lini necdum confecti in ipso agro, ex ratione, quòd hæc continuata praxis fundetur in conventione, quæ ab antecessoribus moderni superioris cum parochianis facta, successoribus præjudicare non possit, sed ad liberum istorum arbitrium sit revocabilis.

Q. 1. An, & qualiter decimator cum obligatis ad decimas convenire possit?

Q. 2. An conventio cum uno ex antecessoribus facta parochianis prosit.

Q. 3. An & qualis immunitas à solutione decimarum præscribi possit?

Q. 4. Num parochiani, de quibus hîc est quæstio, hanc formam solvendi decimas præscripserint?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An & qualiter Decimator cum obligatis ad decimas convenire possit?

1. *Compositiones istæ possunt esse variæ*
2. *Gratuita remissio decimarum non potest laicis concedi sine pontificis consensu.*
3. *Onerosa tamen, licèt perpetua cum consensu Episcopi.*
4. *Etiam Abbatis, provincialis, si horum monasterijs decimæ incorporatæ fuerint.*
5. *A Decimis ad suam vitam eximere quilibet parochus poterit.*

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An perpetua conventio uno ex antecessoribus parochis celebrata parochianis suffragetur?

6. *Non videtur moderno parocho obesse conventio tam revocabiliter quam irrevocabiliter facta.*
7. *Eò quòd quilibet antecessor ad solum tempus suæ vitæ convenerit.*
8. *Et conventio perpetua sine consensu Pontificis.*
9. *Aut sine solennitatibus Ecclesiasticis non valeat.*
10. *Neque probare parochiani possint consensum Episcopi interveniisse.*
11. *Obstant insuper parochianis* cap. 8. de confirm. utili, can. 1. causa 16 Q. 7. atque extravagans ambitiose de rebus Eccles. alien.
12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. *Satisfit argumentis Monasterio favorabilibus.*

§. III.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An, & qualis immunitas à solvendis decimis præscribi possit?

19. *Immunitas à solvendis decimis à laicis quoque præscribi potest.*

20. *Ex præsumptione Juris malæ fidei possessor quomodo præscribat.*

21. *Immunis à solvendis decimis ex hoc non colligit decimas.*

22. *In quo sensu decimæ sint tributa pauperum.*

23. 24. 25. *Solvuntur cæteræ objectiones.*

26. *Præscribuntur modo cæteris præscriptionibus communi.*

27. *Adversus illum, cui jus commune non assistit cum titulo ac tempore ordinario præscribitur immunitas decimarum.*

28. *Immunitas à decimis contra parochiam præscribitur 40. annis.*

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

Num parochiani, de quibus hic est quæstio, hanc formam solvendi decimas præscripserint?

29. *Affirmanti conventionem olim initam fuisse incumbit sui asserti probatio.*

30. *Perpetua, & debitis solennitatibus instructa favet parochianis.*

31. *In dubio præsumitur adfuisse debita alienationi solennitas.*

32. *Quid Juris Monasterio competat si constet conventionem solennitatibus fuisse destitutam.*

33. *Hujus defectûs ignari parochiani immunitatem à decimis præscribere potuerunt.*

34. *Non tamen si illius consij extiterit.*

35. *Quin actu immunitatem dictam præscripserunt, si nesciverint defuisse solennitates.*

36. 37. 38. 39. *Satisfit argumentis contrarijs.*

40. *Nullus locus præscriptioni datur apud parochianos revocabilitatis admonitos.*

41. *Vel documenta de revocabilitate conventionis asservantes.*

42. *Parochiani ignari revocabilitatis probabilius præscribere.*
43. *Nec obest Parochianis error circa revocabilitatem suæ conventionis.*
44. *Aut* Lex Celsus 27. *ff.* de usurpat. &c. & Lex nullo 24. Cod. de R. V.
45. *Multò certius valebit hæc præscriptio contra Monasterium, si de ulla conventione quidpiam ab hoc probari possit.*
46. *Contra omittentem exercere suum jus currit præscriptio.*
47. *Qualis possessio ad præscribendam immunitatem sit necessaria?*
48. *Parochianis etiam favet* Lex sicut 3. cum Lege omnes 4. Cod. de præscription.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An, & qualiter decimator cum obligatis ad decimas convenire possit?

1 SUpponimus primò, compositionem super decimis posse instituì, ut Parochiani ab ijs totaliter liberentur. Secundò ut non totaliter, sed duntaxat quo ad partem, vel solumodò quoad circumstantias; v. g. ut ex his bonis in hac mensura, hoc tempore, huic Ecclesiæ, & non alteri priori, decimæ solvantur. Tertiò compositionem posse fieri in futurum, & in perpetuum, aut ad certum duntaxat tempus, hócque longius aut brevius. Quartò Parochum & Parochianos convenire inter se posse non super jus, sed super fructus, quos Parochus vel decimator colligere potest; vel super ipso hoc jure colligendi ejusmodi fructus. Denique compositionem potuisse factam fuisse super decimis jam debitis pro tempore anteriore: aut de solvendis ex fructibus primùm futuris, his prænotatis.

2 Dico primò totalis aut etiam partialis remissio solvendarum decimarum in perpetuum non potest Laicis ex conventione gratuita, & sine omni compensatione concedi absque authoritate Pontificis ita habetur in *cap. veniens 8. de transact.* idem sentiunt Barbosa *n. 2. cap. venerabilis 8. de confirmatione utili vel inutili* Moneta *de decimis cap. 5. n. 135* P. Friderich *de decimis n. 316.* Schmier *lib. 3. decret. tract. 1. part. 3. cap. 3. sect. 4. §. 4. n. 153.* Delbene *cap. 8. dub. 29. sect. 6. n. 2.* Rebuff. *q. 13. n. 36.*

Prob.

Prob. concluſ. obligatio ſolvendi decimas reſultat ex jure communi & univerſali Canonico: ergo exemptio perpetua à ſolvendis decimis eſt exemptio ab obligatione proveniente ex lege univerſali Canonico, atqui in hac obligatione non poteſt diſpenſare Epiſcopus, aut alius inferior Pontifice: ergo in obligatione ſolvendi decimas non poterit diſpenſare Epiſcopus, ſed ſolus Pontifex. Major conſtat: nam præceptum ſolvendi decimas integras eſt toti Eccleſiæ commune, à ſummis Pontificibus, & concilijs latum *can. 1. cauſa 13. q. 1.* minor ſubſumpti etiam conſtat *ex cap. 16. de majoritate, & obedientia. Clement. 2. de elect.* in quibus habetur, quòd inferior non poſſit diſpenſare in lege ſuperioris ſine hujus conſenſu.

3 Dico ſecundò ut valida ſit conventio, vi cujus Laici in perpetuum, & ultra decimatoris vitam à decimis eximantur, non tamen gratuitò, ſed mediante aliqua tranſactione, permutatione compenſatione, Epiſcopi auctoritas erit ſufficiens. Ita ſentiunt Moneta *dicto loco n. 24.* Delbene *de immunitate Eccleſ. cap. 8. dubit. 29. ſect. & n. 6.* Decius *in ſcap. 3 de conſirm. utili.* Layman: Friderich *n. 317. de decimis* P. Schmier *n. 154.*

Prob. concl. *ex cap ſtatuimus 3. de tranſact. item ex cap. multiplici 3.* de decimis.

Prob. ſecundò ſi non gratuitò Laicis exemptio à ſolvendis decimis conceſſa fuit, tunc vinculum juris non fuit abſolutè ſublatum; aut obligatio ſolvendi decimas extincta; ſed potiùs alterata tantùm: ergo quia modicum duntaxat præjudicium Eccleſiæ affert ejuſmodi conventio, non erit iſta ſummo Pontifici reſervata.

Confirm. ejuſmodi conventio ſuper diminutione decimarum, ut iſtæ non ſolvantur integræ, in hac menſura, in hoc loco, ſpectat ad circumſtantias decimarum: ergo Pontifex conceſſit poteſtatem Epiſcopis confirmandi conventiones circa mutationem ejuſmodi circumſtantiarum initas. Prob. conſ. utilitas Eccleſiæ exigit, ut Epiſcopus habeat facultatem confirmandi pacta, in quibus partes conveniunt ſuper ejusmodi circumſtantias in perſolvendis decimis impoſterum obſervandis.

Conf. ſecundò Innoc. Decius in *capit. 8. de tranſact.* Rebuff. *q. 13. n. 29.* Moneta *c. 5. n. 125.* Fagundez *in præcept. Eccleſiæ 5. lib. c. 3. n. 18.* Barboſa *de officio Parochi c. 28. §. 4. n. 24.* Delbene *loc. cit. n. 6.* cum alijs paſſim defendunt, ex conſenſu Epiſcopi fieri poſſe compoſitionem cum Laicis ſuper, modo, loco & tempore ſolvendarum decimarum: ſed quando vi compoſitionis Laici eximuntur, non gratuitò, ſed

per

per transactionem, permutationem, compensationem, ab onere decimarum, fit sola compositio cum Laicis super modo, loco, & tempore: ergo ad hanc compositionem sufficiet authoritas Episcopi.

Confirm. tertiò. Circa transactionem in solutione decimarum non fuit aliquid singulare, & à reliquis alienationibus Ecclesiasticis diversum, in jure statutum: ergo si ad aliarum rerum Ecclesiasticarum alienationem à jure non requiritur ordinariè consensus Pontificis, sed ipsius Episcopi sufficit; etiam hic erit sufficiens ad transactionem circa decimas. Atqui ad alias tales alienationes non est necessarius ipsius Pontificis consensus: ergo neque in causa decimarum. Minor subsumpti probatur ex *cap. 1. de rerum permutatione can. 4. causa 12. q. 3. cap. cùm Laicis 12. seu ult. de rebus Ecclesiasticis alien. cap. 7. & 8. de his, quæ fiunt à Prælatis.*

4 Dico tertiò. Si componens cum Laicis suis Parochianis decimator fuit ex ordine Religioso, tunc ipsius Abbatis authoritas cum cæteris solennitatibus facta sufficiebat, ut valeret hæc compositio super decimis pleno jure Monasterio incorporatis. Item si fuerit ex ordine mendicantium, ipsius sui Adm. R. Provinc. ita Engl *de decimis §. 3. n. 15.* Melchior Friderich *hic n. 322.* Prob. ex tali incorporatione pleno jure ipsi Monasterio facta Abbas, aut Provincialis Jurisdictionem quasi Episcopalem aquisiverunt: ergo etiam obtinuerunt potestatem interponendi suam authoritatem in alienatione rerum ad Ecclesiam pertinentium. Ita sentit Panormitanus *in cap. 2. de transact.* Confirm. hoc totum ex communi praxi: non enim ejusmodi alienationes solent ab Episcopis confirmari: ergo &c.

Dico quartò: ut valeat compositio dans exemptionem à decimis ad tempus, & vitam decimatoris singularis extensam, solius Parochi habentis jus in decimas consensus sufficit. Ita cum P. Schmier communis: Prob. conclusio ex *cap. de cætero 5. cap. veniens 8. de transact.* Prob. 2. ratione: quilibet Parochus est moderator, & arbiter suarum rerum, commodorum, & emolumentorum: ergo de istis potest ad suum beneplacitum disponere: & decimæ sunt aliquod emolumentum ipsius Parochi: ergo istarum erit moderator, & poterit de illis juxta suum beneplacitum disponere. Prob. 3. in hoc casu non agitur de alienatione cujusdam juris Ecclesiastici: sed de rebus solius decimatoris Parochi: ergo cùm tantùm alienationes rerum Ecclesiasticarum exigant consensum legitimi superioris: alienatio decimarum ad vitam alienantis decimatoris extensa poterit fieri ex consensu solius decimatoris Parochi.

§. II.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An perpetua conventio cum uno ex antecessoribus Parochis facta Parochianis prosit?

6 REverendus dominus decimator pro se contra Parochianos ita argumentatur: ex meis documentis constat, quòd ante 80. annos pecuniæ pro decimis lini solutæ fuerint: ergo cùm ab aliquo tempore, loco pecuniarum tres aves linariæ fuerint persolutæ, probabile est, quòd nova conventio fuerit inita: sed si nova conventio fuit inita, tunc decimatori convenit jus mutandi hanc ex conventione inita deductam praxin; ergo. Prob. subsumpti minor: vel conventio inita fuit perpetua, & à nullo successore Parocho revocabilis, vel fuit à quocunque successore revocabilis? Si dicas illam esse à quocunque successore revocabilem, tunc poterit à moderno decimatore revocari, & sic habetur intentum. Si tuearis initam illam ante tot annos compositionem fuisse irrevocabilem, hoc ipso erit nulla, & hinc novus, & ordinarius modus solvendi decimas denuo introduci poterit, nullitatem verò talis irrevocabilis, & omnes successores decimatores obligantis compositionis ex sequentibus fundamentis decimator ostendere aggreditur.

7 Primum fundamentum pro se ita proponit. Quilibet ex antecessoribus Parochis super decimis hoc modo solvendis tantummodo convenerat ad tempus suæ vitæ, & quamdiu ipse fuerit Parochus: ergo ejusmodi compositio nullum ex successoribus potuit obligare, consequenter neque modernum. Prob. ant. nullus ex antecessoribus Parochis potuit præjudicare suis successoribus, neque hos ad aliquid obligare: ergo quilibet ex antecessoribus Parochis tantùm convenerat ad dies suæ vitæ. Prob. cons. si etiam pro posterioribus temporibus ultra suam vitam cum Parochianis super hoc convenisset, tunc præjudicâsset suis successoribus, qui non amplius haberent libertatem colligendi decimas ordinariè sibi debitas: ergo &c.

8 Secundum pro se fundamentum modernus Parochus in hunc modum adornat. Parochi, aliique decimatores Ecclesiastici non possunt cum Laicis componere in perpetuum supra decimis absque consensu Pontificis. Prob. *ex cap.*

8. de transact. ubi habetur, transactionem super decimis factam non consistere, nisi authoritate summi Pontificis sit confirmata: ibi *mandamus, quatenus, nisi præfati Monachi transactionem præscriptam authoritate Apostolica confirmatam esse docuerit, &c.* ergo ut compositio ista ab antecessoribus Parochis inita successores Parochos in perpetuum obliget, Parochianis probandum erit, quòd ista compositio authoritate summi Pontificis confirmata fuerit.

9 Tertiò, Parochus ita pro se argumentatur. Compositio ista habet rationem cujusdam alienationis Ecclesiasticæ: ergo ad illius valorem requiritur, ut omnes solennitates ad validam Ecclesiasticam alienationem necessariæ in illo contractu intervenerint: ergo hoc totum erit Parochianis probandum, ut valorem suæ cum antecessoribus initæ conventionis perpetuum, & à nullo successore Parocho revocandum cum solido fundamento tueantur.

10 Quartò, modernus Parochus pro sua causa ita argumentatur. Etsi consensus summi Pontificis non foret necessarius, ad ejusmodi tamen conventionem, ut ista etiam successores obliget, necessariò requiritur Episcopi consensus: ergo ut illa habeatur pro valida, ostendendum Parochianis erit, Episcopi consensum in dato casu nequaquam defuisse. Ant. prob. *ex cap. 2. de transact.* ibi: *statuimus, ut inter decimas inter vos, & aliquam personam Ecclesiasticam de assensu Episcopi, vel Archi-Episcopi sui compositio facta fuerit rata, & inconcussa perstitat.* In hoc textu, quòd Pontifex Laicos alloquatur, defendunt Glossa, Immola cum Hostiensi, & Boich *in cap. ex litteris de transactio.*

Quintò: favent Parocho jura 13
Pontificia: nam *cap. 8. de confirm. utili vel inutili* ad amicabilem partium compositionem super decimis requisitus fuerat ipsius Pontificis consensus, & *can. 1. causa 16. q. 7.* authoritate Apostolica prohibetur, ne decimæ à Laicis possideantur.

Denique in Extravagante *Ambitiosæ: de rebus Eccles. alienandis* ut decimæ non solùm perpetuæ; sed etiam ad quodcunque tempus triennio longius remittantur, requiritur justa causa cum solennitatibus ad rerum Ecclesiasticarum alienationem à jure requisitis; atqui Parochiani non possunt ostendere, quòd hæc omnia observata in sua conventione cum antecessoribus Parochis fuerint, ergo illis non erit in hac causa quidpiam deferendum.

Quæ hucusque attulimus, sunt 14
præcipua fundamenta, quæ videntur evincere, conventionem olim initam Parochianis nostris obesse; dissolvi tamen illa poterunt sequentibus responsis, in prima etenim ratione negatur antecedens; quòd quilibet Parochus

neces-

necessariò ad tempus suæ vitæ, vel temporis, quo ipse futurus esset Parochus, convenerit: in prob. dist. ant. nullus ex antecessoribus potuit præjudicare successori sine consensu legitimi superioris (cujus accessio tamen in his circumstantijs potuit à Parochianis prudenter supponi) conc. ant. non potuit præjudicare accedente consensu legitimi superioris: neg. ant. & cons. eo ipso, quòd tam multi succedentes sibi invicem ex eodem ordine religiosi decimatores Parochi introductæ semel praxi solvendi decimas acquieverint, quin ullus de novo renovaverit; fundamentum sufficiens aderat, primam compositionem cum legitimi superioris Religiosi authoritate celebratam fuisse.

13 Ad secundum fundamentum numero octavo propositum n. dist. ant. non possunt sine authoritate Pontificis decimatores Ecclesiastici convenire cum Laicis, ut istis omnino gratuitò sine ulla compensatione totaliter remittant, & condonent decimas: conc. ut remittant partem, non gratuitò, sed ex permutatione: &c. nego ant. & cons. hæc autem compositio juxta dicta nequaquam fuerat gratuita.

14 In tertia ratione numero nono negatur, quòd habeat rationem cujusdam alienationis Ecclesiasticæ: & si haberet hanc rationem, ex dictis constat, nequaquam ad quaslibet istas alienationes non gratuitas requiri ipsius Pontificis consensum, sed sufficere aliorum inferiorum superiorum authoritatem.

Quartæ rationi satisfaciùt ostendendo legitimi superioris consensum probabilissimè non defuisse, cùm illius temporis superior sine consensu Reverendissimi sui Provincialis nullam mutationem fecerit. 15

Quod concernit *cap. 8. de confirm. utili vel inutili* reponimus, ibidem ex speciali conventione partium ad amicabilem illam super decimis compositionem requisitam fuisse Apostolicæ Sedis confirmationem, ut hæc peteretur, & hac obtentâ compositio executioni mandaretur. 16

Ad *Canonem 1. causa 16. q. 1.* reponimus, ad illam transactionem requisitam fuisse authoritatem Pontificis, quia in illo casu de gravi præjudicio, solvenda scilicet tertia parte loco decimæ agebatur: vel quia nulla causa utilitatis intercesserat, aut necessitatis: ergo si tales circumstantiæ desint, Pontificis authoritas non erit necessaria. 17

Ultimo loco fuit allata *Extravagans ambitiosæ: de rebus Ecclesiast. alien.* ad quam reponimus, solennitatem à jure requisitam probabiliùs in hac compositione observatam fuisse: quòd si autem hæc defuerit, nihilominus Parochiani ad novam formam observan- 18

vandam in solvendis decimis obligari non posse, cùm isti se non fundent in valore olim initæ compositionis, sed in legitima consuetudine, aut consummata juxta tenorem legum præscriptione: si enim ipsa conventio irrevocabilis in se fuisset valida, nulla opus fuisset præscriptione, cùm illa per se jam exemisset Parochianos ab onere solvendi decimum manipulum.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An, & qualis immunitas à solvendis decimis præscribi possit?

19 Dico primò: immunitas à solvendis decimis tam quoad totum, quàm quoad partem; nec non etiam quoad formam à Laicis quoque præscribi potest, quod Clerici possint Covarruvias *lib. 1. variarum cap. 17. n. 10.* testatur, esse communem ita sentiunt Azor *p. 1. Inst. lib. 7. c. 26. q. 4.* Lessius *lib. 2. c. 39. n. 26.* Palao *tract. 10. disput. unica: pu. 5. n. 2.* Valentia *tom. 3. disp. 6. q. 5. pu. 2.* Laym. *lib. 4. theol. moral. tract. 6. c. 6. n. 10.* præter plures canonistas & T. T. alios apud Patrem Friderich *de decimis n. 291.* adductos.

Prob. concl. 1. Immunitas decimarum potest à tota quadam communitate per viam consuetudinis obtineri, uti experientia & consensus DD. docent: ergo etiam præscriptione, si ministris Ecclesiæ aliunde sufficienter sit provisum, prob. cons. consuetudo concernit immunitatem totius alicujus communitatis: præscriptio autem solas personas privatas: ergo si totæ communitates possunt ab obligatione solvendi decimas eximi, etiam poterunt personæ privatæ ope præscriptionis.

Prob. 2. Ipsum jus colligendi decimas est quid longè majus, quàm immunitas solutione decimarum, & tamen potest præscribi, præscriptione tamen solùm impropria, quando videlicet defenditur solùm ex præsumptione tituli, quam inducit quasi possessio immemorialis, prout docet P. Friderich *de decimis num. 413.* prout hîc non immeritò supponimus: ergo etiam potest præscribi immunitas solvendi decimas: ant. prob. jus colligendi decimas obligat alios ad solvendum tali personæ decimas: immunitas autem ab illarum solutione tantumo-

modo eximit : est autem longè quid plus , aquirere jus obligandi alterum ad aliquid sibi præstandum , quàm obtinere immunitatem à solvendo alteri quidpiam. prob. etiam consequentia : si ope præscriptionis saltem impropriè talis potest plus , & quod est fortius, acquiri, etiam poterit taliter acquiri , quod est minus : ergo si jus ad colligendas decimas est quid fortius , quàm immunitas , & potest ita acquiri præscriptione saltem impropriâ ; etiam poterit immunitas solvendi decimas. Confirm.vi legis Arrianus *ff. de Ac. & ob.* est longè favorabilior liberatio , quàm acquisitio.

Prob 3. Si immunitas ista non posset præscribi, ratio foret, quia hæc immunitas , eò quòd sit quid spirituale , non possit possideri à Laico , & consequenter neque præscribi : sed non est aliquid spirituale : prob. min. obligatio solvendi decimas , est purè temporalis , pro objecto suo habens aliquid merè temporale , fructus scilicet decimabiles : ergo &c. ant. agnoscunt Covarruvias *lib. 1. variar. c. 17. n. 10.* Fern. Vasquez *lib. 2. controv. c. 89.* Schmier *de decimis §. 4. n. 168.* Friderich *de decimis n. 294.*

Confirm. si onus solvendi decimas esset quid merè spirituale , non posset illud imponi prædijs , neque personis Laicorum inhærere , nec absque simonia possent conventio , aut transactio quædam circa decimas præteritas, aut etiam futuras ad tempus Parochi viventis , & contrahentis institui: ergo cum hæc censeantur licitè fieri, immunitas ista non erit quid spirituale.

Confirm. secundò : jus spirituale competens decimatori nequaquam transfertur in Parochianos immunitatem à decimis præscribentes , sed in ipso decimatore expirat , atque perimitur , ergo non sequitur aliquid spirituale possessum iri à sæcularibus immunitatem istam præscribentibus.

Ob. primò : qui non solvit decimas est possessor malæ fidei , saltem ex juris præsumptione sed *possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit regul. 2. Juris in 6.* ergo &c. Maj prob. *ex Lege 7. Cod. de agricolis. & c. 82. de Reg. juris in 6.* agit enim contra jus. N. transs. Maj. dist. min. possessor : qui re ipsa est malæ fidei , ullo tempore non præscribit : conc. qui tantùm ex præsumptione juris est , subdist. non præscribit tempore ordinario præscriptionis , concedo , non præscribit etiam tempore longissimo cum titulo & sine hoc immemoriali : neg min. & conseq. *cap. 4. & 6. de præscript. c. 1. eodem in 6.* tradunt , etiam illum , cui jus resistit , posse præscribere , si possessionis non incapax existat : atqui Clericus non est hujus possessionis incapax : ergo &c.

21 Ob. secundò, qui est immunis à solvendis decimis, istas colligit ex suo agro: ergo qui non potest possidere jus colligendi decimas ob hujus spiritualitatem, ob hanc ipsam non potest possidere immunitatem, consequenter neque præscribere. sed Laicus non potest possidere jus decimandi ob hujus spiritualitatem: ergo neque immunitatem. ℟. neg. ant. aliud enim est fructus suos integros percipere, quin ex istis detrahantur decimæ: & aliud ex alienis fructibus decimam partem colligere. tamdiu fructus sunt in dominio possidentis agrum, nec habent rationem decimarum, quamdiu à cæteris nondum fuerunt separati: ergo non potest dici, quòd Dominus immunis à solutione decimarum has colligat.

22 Ob. tertiò juxta *can. 66. causa 16. q. & c. 26. de decimis* decimæ tributa egentium animarum, seu alimenta pauperum dicendæ sunt: ergo non poterunt præscribi: prob. cons. non possunt alimenta pauperibus subtrahi, & præscripta immunitate subtraherentur: ergo. ℟. dist. ant. sunt tributa animarum, ad quæ pauperibus jus quoddam competat, negatur: ad quæ eisdem nullum jus competat conc. ant. & neg. cons. dein hæc alimenta possunt pauperibus ex alijs decimis, eleemosynis, & redditibus Ecclesiasticis subministrari.

Ob. quartò *Lege 7. §. fin. Cod. de præscript. 30. annos*: asseritur, præstationibus annuis præscribi non posse, & decimæ sunt præstationes annuæ: ergo &c. ℟. neg. primum membrum antecedentis, quòd ibidem scilicet hæc asserantur. insuper oppositum habetur *ex cap. 4. & 13. de præscript. & leg. 22. Cod. de usur.* 23

Ob. quintò, contra jus divinum non potest præscribi, decimæ autem sunt juris divini: ergo non potest contra illas præscribi. ℟. dist. ant. sunt juris divini, in quantum sunt necessariæ ad decentem Clericorum sustentationem conc. quatenus ad hanc non sunt necessariæ: negatur 24

Ob. sextò. juxta Sanctum Augustinum longè pejus peccatum est non dedisse decimas, quam illas dare tardiùs: ergo quia cum peccato nemo præscribit, decimarum immunitas non poterit præscribi. ℟. dist. ant. longè pejus peccatum est non solvere decimas mala fide, conc. bona fide non solvere decimas, est longe majus peccatum, negatur. 25

Dico secundò, ad præscribendam immunitatem à decimis necessaria fore illa omnia, quæ ad præscriptionem in communi sunt necessaria hoc est, bonam fidem, justitiam tituli, tempus possessionis à lege definitum. Conclusio est omnium: ratio est, quòd jura exigentia certas conditiones ad præ- 26

præscriptionem sint generalia, & generale dictum generaliter etiam sit intelligendum, hinc *lege 10. de pretio* dicitur, *est communissimum illud, ubi lex non distinquit, neque nos distinquere debemus.*

27 Dico tertiò, ut præscribatur immunitas contra illum, cui jure communi non competit, jus decimandi, sufficit cum titulo tempus ordinariè ad præscriptionem requisitum, deducitur hoc ex *lege penult. §. 1. Cod. de usufructu & lege ult. Cod. de præscript. longi temp.* accedit Glossa *in cap. 1. de præscript. in 6. & c. 2. de restit. spoliat.* ita sentiunt etiam Alex *in c. 17. de præscript. n. 53.* Layman *in cit. cap. 1. de præscript.* Engl, Friderich, Schmier, Schmalzgrueber, ex quo ultimi duo inferunt, ut contra personam singularem vel Clericum præscribatur, inter præsentes sufficere decem annos, viginti autem contra absentes: permoti ad hoc dicendum *ex cit. lege penult. §. 1. Cod. de usufruct. & lege ult. Cod de præscript.* prob. insuper conclusio ratione: quotiescunque possessori non resistunt jura, toties eidem ad præscribendum sufficit tempus ordinarium, sed jura non resistunt possessori volenti præscribere contra illum cui ista non assistunt, ergo iste poterit tempore ordinario præscribere: prob. min. si jura petenti non assistunt, tunc non dabitur præsumptio malæ fidei contra possessorem, respectu ejusmodi petitoris: sed si non datur hæc præsumptio, jura non resistunt: ergo possidenti jura non resistunt, si petenti non assistunt: prob. min. resistentia hæc juris, est nihil aliud, quàm vehemens ac specialis præsumptio juris cum gravi prohibitione conjuncta: ergo &c.

Confirmatur: si illi contra quem præscribitur, jura non assistunt, tunc ille non habet pro se præsumptionem in jure communi fundatam: si non habet pro se præsumptionem in jure communi fundatam, potuit contra ipsum possessor præscribere immunitatem à decimis: ergo, si illi contra quem præscribitur jura non assistunt, potuit contra illum præscribere quasi possessor. Prob. Mai. præsumptio in jure communi fundata oritur & resultat ex assistentia juris communis: ergo si hæc assistentia non datur, neque dabitur ex hoc orta præsumptio, prob. itaque minor, si ille contra quem præscribitur non habet pro se ejusmodi præsumptionem, tunc neuter eorum habet pro se præsumptionem in jure fundatam: si neuter hanc habet, possessor potest præscribere: ergo si illi contra quem præscribitur, non assistunt jura, potest contra illum præscribi. prob. min. si neuter pro se habet talem præsumptionem, tunc est melior conditio possidentis, sed si hæc est melior, poterit possessor præscribere: prob. min.

min. melior est conditio possidentis cæteris paribus.

28 Dico quartò: ut præscribatur immunitas contra Parochiam, cui jus commune decimas attribuit, si adsit titulus, sufficiunt 40. anni, ita sentiunt Molina *de Just. tract. 2. disp. 75. n. 2.* Lessius *lib. 2. de Just. cap. 39. n. 26.* Sylvester, Covarr. Navarr. Valentia, Moneta, Sylvius, Fagundez, Reginaldus & alij: prob. concl, ut compleatur præscriptio ab illo, cui resistunt jura, vi *cap. Episcopum 1. de præscript. in 6.* requiruntur 40 anni cum titulo: atqui præscribenti contra Parochum resistunt jura: ergo dicti anni requiruntur, sine titulo autem juxta multos necessarium erit tempus immemoriale.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

Num Parochiani, de quibus hìc est quæstio, hanc formam solvendi decimas præscripserint?

EX formatione casûs colligimus, Parochianos juxta monasterij assertum non obstante hac quinquaginta annorum praxi nequaquam jus quoddam præscripsisse ad decimas in tali forma, & quantitate solvendas, ita ut hactenus observatus modus præstandi decimas ad placidum monasterij aboleri, & consuetus aliàs & communis reassumi de novo possit: causam autem hujus licitæ innovationis quoad præstandas aliter decimas intelleximus in eo fundari, quòd hactenus continuata praxis originem suam ex conventione habeat ab antecessoribus superioribus, aut DD. Parochis cum Parochianis facta successoribus & moderno superiori præjudicare neutiquam possit.

Cùm igitur modernus monasterij superior asserat, modo explicatam conventionem unicam causam esse propter quam tot etiam annis observata in solvendis decimis praxis, monasterio non præjudicet, ipsisque Parochianis neutiquam prosit. Hinc æquissimum imo etiam necessarium videtur esse, ut superior decimator ex suis documentis ostendat, talem conventionem cum Parochianis super decimis hoc modo solvendis olim initam fuisse, cùm affirmanti incumbat probatio, & cuilibet actori sua intentio probanda sit. Si enim in suis 29

docu-

documentis invenit, ante octoginta annos pecunias loco decimarum persolutas fuisse, etiam annum, & modum, quibus conventio ista circa solvendas loco decimarum pecunias dissoluta, & nova de solvendis tribus linarijs jam confectis avibus introducta fuerat, annotatos reperire poterit.

30 Ponamus itaque documenta docere irrevocabilem olim, ac perpetuam conventionem de tribus linarijs avibus persolvendis loco decimarum, à quodam superiore cum parochianis olim fuisse factam, quo posito ulteriùs quæro; vel eadem documenta tradunt, quòd ista conventio has habuerit omnes solemnitates ad validam talem in materia decimarum conventionem à Jure requisitas? vel tradunt contrarium? vel ab hoc omnimode atque totaliter præscindunt? si primum: manifestum est, Parochianis ex hac omnibus solennitatibus instructa, & hinc valida, atque successores quoque obligante conventione jus quoddam ad solvendas hac in forma & quantitate decimas accessisse, & hinc Parochianos invitos à moderno superiore ad alium modum, & ad majorem quantitatem in solvendis imposterum decimis obligari neutiquam posse.

Si dicat superior, aut Monaste-
31 rium, ex documentis haberi quidem conventionem quandam olim initam fuisse, & quidem irrevocabilem, non tamen in illis inveniri, quòd debitæ atque à Juribus requisitæ solennitates in illa observatæ fuerint, Contra est: si nihil ibidem de solennitatibus, num istæ fuerint observatæ, vel non, expressum legitur, tunc datur dubium, an istæ observatæ, & ex hoc actus fuerit validus, vel non? ergo hoc ipso supponi, ac præsumi debet, quòd fuerint illæ observatæ, & actus extiterit validus, prob. ex *lege 80. quoties ff. de verbor. oblig.* ibi *quoties in stipulationibus ambigua oratio est: commodissimum est id accipi, quo res, de qua agitur in tuto sit* & clariùs *lege 13. quoties in actionibus ff. de rebus dubijs* ibi *quoties in actionibus aut exceptionibus ambigua oratio est, commodissimum est id accipi, quo res de qua agitur, magis valeat, quam pereat*, ratio hujus desumitur ex surdo *Consil. 307.* Barbosa *axiomate 11. n. 4.* quia actum frustratorium nemo præsumitur facere, & actus frustratorios lex abhorret.

Confirmatur nostra assertio ex altera illa communi maxima *actus in dubio debet interpretari validus.* Confirmatur ulteriùs non ineffi-caciter ex observatione hujus conventionis per 50. & plures annos sine ullis intermediorum superiorum reclamationibus continuata: non enim credibile videtur, ex tot intermedijs superioribus, qui quolibet ut plurimùm triennio mutari solent, omnino nullum huic, sibi & Monasterio aliqualiter præ-

judicanti, *praxi* reclamaturum fuisse, si à suis antecessoribus intellexisset, olim factam de hoc modo conventionem suis debitis solennitatibus destitutam, & hinc invalidam fuisse, Imo cùm ad valorem ejusmodi conventionis super decimis Monastero totaliter incorporatis ipsius plurimum Rev. Patris Provincialis consensus sufficerit, nec vero simile appareat, auctorem hujus conventionis adeò imperitum fuisse, ut necessitatem hujus conditionis nesciverit, aut adeò improbum, ut hujus non ignarus parochianos suos decipere intenderit, utique probabilissimum manet, cum consensu debito præpositi Plurimum R.P. provincialis hæc omnia facta fuisse.

32 Supereſt, ut quid Juris sit, videamus si verum sit tertium membrum; nimirum si ex documentis constet irrevocabilem quidem conventionem factam fuisse, omnibus tamen vel saltem necessarijs solennitatibas Jurium destitutam, si hoc assertum clarè ex documentis constiterit, asserimus Monasterio, aut hujus superiori plenissimam potestatem competere hanc semel initam conventionem totaliter disolvendi, nisi auxilio præscriptionis immunitatem à solutione decimi manipuli linarii in agro colligendi à tot annis consecuti parochiani fuerint.

33 Judicamus autem: immunitatem à solvendis decimis manipulis linarijs in tertio hoc supposito legitimè à parochianis præscriptam fuisse *saltem si eisdem non constiterat, quod irrevocabilis ante 50. annos inita conventio super decimis taliter solvendis destituta fuerit debitis solennitatibus à Jure requisitis*, prob. concl. in hoc casu adfuerunt bona fides; quasi possessio hujus immunitatis: tempus 40. imo 50. annorum ad præscriptionem immunitatis decimarum requisitum: ac denique titulus fundatus in conventione irrevocabili semel cum Monasterio inita: ergo verè præscripta hæc immunitas à solvendis aliter decimis fuerat.

Dixi autem in conclusione: si 34
parochianis non constiterit, conventionem olim factam, debitis solennitatibus Jurium caruisse: Si enim hujus defectus conscij fuerunt; tunc vel insuper agnoverunt, conventionem his solennitatibus destitutam, nullam atque irritam esse, vel hoc nesciverant? quidquid dicatur, nulla fuit illorum præscriptio prob. m. si sciverunt nullam fuisse illam conventionem, etiam sciverunt, vi hujus conventionis factæ utpote irritæ, nullum sibi jus competere ad solvendum tres tantum aves linarias invito & refragante Monasterio: ergo ex vi hujus conventionis præscriptionem inchoare, & immunitatem irrevocabilem quasi possidere saltem bona fide non potuerunt, si autem alterum membrum ponatur, parochianis scilicet con-

constitisse quidem hunc defectum adfuisse, nesciviſſe tamen illos, quòd solennitates, quæ defuerant, à Jure ad valorem conventionis requisitæ fuerint: tunc iterum nulla illorum erit præscriptio prob. in hoc casu titulus conventionis olim irrevocabiliter factæ fundatur in ignorantia Juris omnino certi vel liquidi: sed quando titulus fundatur in ignorantia juris omnino certi aut liquidi, etsi ista fuerit invincibilis, atque inculpata, nulla est præscriptio in utroque foro: ergo &c. prob. min. *lex. error. 2. de Juris*, & *facti ignorantia & lex. 4. ff. eodem lex 31. ff. de usucapion.* & *lex 2. §. 15. pro Emptore* Expressè statuunt & reijciunt præscriptionem ex titulo colorato in ignorantia juris certi fundato: ergo vera est minor, nisi aliquis dicere velit, in Parochianis, utpote hominibus plebeis & simplicibus ignorantiam Juris tolerari à L.L.

35 Dicimus nunc secundò, Parochianos immunitatem istam, atque hactenus observatam formam & quantitatem in solvendis decimis verè præscripsisse, si illis non constiterat, eandem requisitis à jure solennitatibus destitutam fuisse. Prob. adfuit titulus coloratus, ipsa scilicet conventio irrevocabilis olim cum monasterio inita: secundò bona fides, quæ se fundabat in conventione prædicta: tertiò quasi possessio 50. annis continuata hujus immunitatis: ac denique plurium, quàm 40. annorum tempus.

Ob. ex hac ultima conclusione 36
sequi posse aliquem præscribere immunitatem à parte solvendarum decimarum, si ab uno suorum Parochorum ex certa conventione immunitatem istam comparaverit: hoc est falsum: prob. min. nullus Parochus potest disponere in futurum cum decimis in præjudicium suorum successorum sine ipsius Episcopi consensu: ergo falsum est, quòd aliquis possit præscribere immunitatem allatam. Prob. itaque etiam major primi silog: si Cajus contraxisset cum suo Parocho *A.* & hujus defuncti successor Parochus *B.* ignarus conventionis cum suo antecessore factæ relinqueret rem in antiquo statu; post lapsum 40. annorum præscripsisset Cajus immunitatem à decimis totaliter solvendis: ergo posset aliquis dicto modo præscribere &. Cajum ideo non præscripturum fuisse, quia sciverat nullum Parochum ultra suam vitam transigere super decimis cum præjudicio suorum successorum posse: ergo si tamen possidere post mortem conventoris Parochi voluerat, fuerat in mala fide.

Urgent: ponamus, quòd Ca- 37
jus simpliciter contraxerit non addendo tempus, ad quod conventio duratura sit, & hinc judica-

verit, Parochum posse, ac velle secum convenire in perpetuum super dimidia parte decimarum in futurum persolvenda: saltem in hoc casu fuerat in bona fide: ergo potuit juxta nostra principia contrahere. R. hunc titulum fundari in ignorantia juris certi, aut liquidi, quàm jura in præscriptione juxta superius dicta non tollerant.

38 Urgent secundò: etiam in conventione cum monasterio error commissus fuerat circa ignorantiam Juris certi, aut liquidi: ergo est paritas. R. neg. ant. non enim dicimus, Parochianos nesciviisse, quòd monasterium sine solennitatibus valide contrahere nequeat, sed quòd suppoſuerint, istas solennitates, consensum scilicet R. P. Provincialis adfuisse: ergo non ipsius juris ignorantia, sed alieni duntaxat facti intercesserat.

39 Urgent tertiò: ponamus igitur, quòd etiam Cajus contrahens cum suo Parocho judicaverit, suo huic contractui accessisse ipsius Episcopi consensum: ergo etiam præscribet: R. si habuit rationabilem causam id præsumendi; & insuper cætera ad præscriptionem necessaria non defuerint, possibilem absolutè futuram ejusmodi immunitatis præscriptionem.

Postquam hactenus allatis rationibus probavimus, Parochianis nequaquam obesse conventionem irrevocabilem in futurum super decimis in certa quantitate, & forma persolvendis cum monasterio initam, tum quòd ejusmodi conventio, si fuerat debitis solennitatibus instructa, ratione sui valoris statim jus istud in Parochianos transtulerit; tum, quòd si fuerit invalida, titulum tamen suppeditaverit, incipiendi & continuandi præscriptionem prædictæ immunitatis. Examinanda modò supereſt altera monasterij exceptio, qua dicit, ideo Parochianos non potuisse præscribere, quia monasterium, aut ejus superior revocabiliter duntaxat cum Parochianis convenerat, & ad dies sui tantummodo superioratûs, ita ut cuilibet ex successoribus liberrimum fuerit factam à suo antecessore super decimis conventionem, modo voluerit revocare, novúmque introducere.

Sed contra est, vel superior 40
potest probare, quòd singuli sui antecessores, aut saltem istorum aliqui, obligatos ad solvendas decimas de hac à se revocabili conventione admoverint, & quasi de novo cum Parochianis convenerint; vel hoc factum fuisse, probare monasterium, & superior non possunt? si probare hoc possint; concedimus, nequaquam à Parochianis hanc praxin præscriptam fuisse, eò quòd sciverint, se ex mera facultate monasterij ad nutum ab hoc revocabili decimas in tali quantitate atque forma persolvere, non secus ac precario, aut com-

commodato alicui traditum à commodatario præscribi ullo tempore non potest.

41 Si reponat monasterium, neutiquam quidem constare aliquid de hac insinuatione à nonnullis intermedijs superioribus facta; interea tamen ex documentis hac super forma solvendi decimas cum communitate erectis, & ab ista asservatis constitisse sufficienter Parochianis, revocabilem hanc conventionem esse: si inquam, monasterium istud reponat, insuper etiam probet, iterum concedimus, nullum præscriptioni locum adfuisse, si Parochianis unde unde constiterit de revocabilitate hujus semel initæ à suis antecessoribus conventionis, cùm hac ratione nullum absolutum unquam jus ad talem solutionem possederint.

Dein, ut benè advertit Clarissimus P. Schmier *lib. 3. tract. 1. parte 3. sect. 4. §. 4. num. 188.* si constet, quòd decimæ certo modo sint solutæ vi similis contractûs, tunc nec præscriptio positiva opponi poterit decimatori, eò quòd, & possessione, & bona fide fuerit destituta: nec privativa: dum interea decimator non intermiserit jus suum exercere in æquivalenti, atque ob vinculum juris, seu obligationis aliter decimas expetere non potuerit.

Unicum igitur adhuc restat dubium; an præscriptio locum habeat, si ex documentis suis monasterium probare possit revocabilem duntaxat conventionem cum communitate super decimis hoc modo solvendis initam fuisse; interea tamen de hac revocabilitate communitati nihil omnino constiterit, eò quòd de illa nunquam à monasterio fuerit admonita, neque in communitatis documentis aliquid de hac inveniri possit: item, si nec monasterium ex suis documentis, nec ullo alio modo probare possit, ullam conventionem unquam cum communitate hac super re celebratam fuisse, ad primum ex istis dubium.

Dico primò: si conventio solùm revocabilis juxta documenta monasterij cum communitate fuerat instituta, communitati tamen de hoc revocabili contractu nihil constiterit, probabiliùs à communitate hanc formam, & quantitatem solvendi decimas legitimè præscriptam fuisse: prob. in hoc casu adfuerunt titulus, & ex hoc proveniens bona fides, possessio, & requisitum ad præscriptionem tempus: ergo &c. Ant. quoad solum titulum est controversum; ita tamen probatur: titulus existimatus, & tantùm intentionaliter existens, ad præscriptionem sufficit etiam ordinariam, vi *legis 48. ff. usucapionibus*, excipientis tamen specialiter emptionis titulum ibi: *si existimans debere tibi tradam, ita demum usucapio sequitur, si & tu putes debitum esse: aliud si putem me ex causa venditi teneri, & idem tradam; hinc enim nisi actio*

42

præcedat pro emptore usucapio locum non habebit. Idem desumitur *ex lege ea res 5. & lege seq. ff. pro legat. lege non solùm 33. §. quod vulgò &c. ff. de usurpat. & usucapion.* sed hic dabatur titulus existimatus initæ irrevocabilis conventionis. ergo. prob. min. tunc datur tit. existimatus, quando consideratis omnibus prudenter judicamus talem titulum interveniſſe: atqui hoc fit in præsenti casu: prob. min. eo ipso, quod nullus omnino superior, aut ipsum monasterium tanto tempore exegerint aliter decimas, sed hac quantitate, & forma fuerint contenti, & ex nullo alio fundamento contrarium colligi potuerit, prudentissimè potuit existimare communitas irrevocabilem quandam conventionem debitis solennitatibus instructam interveniſſe.

43 Huic rationi satisfacere conatur monasterium, dicendo, quod per *legem 7. ff. ad senatus consultum Velleianum* error circa proprium factum in jure non tolleretur in ordine ad percipiendum inde commodum, atqui in præsenti casu error commissus fuerat circa proprium factum, circa ipsam scilicet conventionem à communitate cum monasterio celebratam, cùm hæc fuerit revocabilis, communitas autem ex errore Judicaverit illam fuisse irrevocabilem.

Verùm responderi ad hanc objectionem potest citatam legem loqui de errore circa factum ab ipsa persona errante commissum, atque asserere, quòd talis particularis persona non possit prætendere ignorantiam sui proprij facti. cùm ergo communitas post 50. annos existens non sit eadem, saltem physicè, cum communitate olim contrahente super decimis hoc modo solvendis, ideo citata lex ad hunc casum non videtur extendenda. Ratio est, quòd communitas modò existens utique possit ignorantiam facti ante 50. annos à suis anteceſſoribus celebrati, prætendere, quam tamen prætendere non potest persona singularis de facto à semetipso olim commisso. Contra est secundo, ibidem nulla fit mentio de præscriptione, sed tantùm asseritur, quòd facti ignorantiam prætendere non possit. Tertio ponimus in conclusione, quòd communitati de hac revocabilitate nihil constiterit, ergo fuit in bona fide. Quartò licet communitas existens tempore factæ hujus conventionis sciverit, revocabilem talem conventionem fuisse factam, quia tamen succedentes decimatores nullam unquam amplius mentionem de hoc fecerunt, succedens communitas potuit prudenter existimare, conventionem istam fuisse irrevocabilem, si non primitus statim saltem successu temporis.

Ob. secundò: *legem celsus 27.* 44 *ff. de usurpat. & usucap. & legem nullo*

nullo 24. Cod. de R. V. in his enim LL. dicitur, ad præscriptionem existentiam tituli necessariam esse. *n.* dist. dicunt necessariam esse existentiam tituli probabiliter & verosimiliter existimati, conc. semper realis: & coloratis: neg.

45 Dico secundo, si monasterium ex nullis documentis, vel alijs rationibus probare potest, quòd ullam conventionem revocabilem, aut irrevocabilem cum Parochianis olim iniverit, tunc hanc praxin solvendi decimas verè præscripserunt Parochiani. prob. immunitas à decimis, & à modo, quo solvi debent, absolutè potest præscribi, si omnes conditiones intervenerint: atqui hîc omnes intervenerunt: ergo &c. prob. min. si aliqua conditio non adforet, esset vel maximè ipse titulus. hic non deest, prob. min in hoc casu pro titulo est patientia decimatoris, qui toto hoc 50. & plurium annorum spatio acceptaverat decimas in hac quantitate & qualitate persolutas; item eo ipso, quòd monasterium constanter singulis istis 50. & adhuc pluribus annis acceperit loco decimarum tres aves linarias confectas, prudenter rationabilitérque potuernt existimare Parochiani conventionem talem irrevocabilem cum monasterio fuisse olim initam: ergo habent titulum existimatum. Ita sentit clarissimus P. Schmier *lib. 3. tract. 1. par. 3. cap. 8. sect. 4. §. 4.* decidit *n. 187.* decidit vi præscriptionis induci obligationem pro fructibus in natura pecuniam acceptandi.

Conf. vi textûs *in lege 3. & 4.* 46
Cod. de præscript. 30. & 40. annorum præscriptio locum habet, quando is, cui competit jus exercendi quosdam actus, fundatum in concessione, pacto privilegio, aut alio quodam titulo, quàm in jure naturalis libertatis & meri arbitrij, intra statutum à legibus tempus ejusmodi juri competentes actus exercere neglexerit: atqui monasterio competebat jus exigendi decimas in agro ex alio, quàm titulo naturalis libertatis, & neglexit exercere hoc jus intra statutum tempus: ergo habet contra ipsum præscriptio locum.

Conf. secundò. quæstio hîc 47
movetur de præscripta immunitate obligationis ad solvendum decimum manipulum in ipso agro & juxta Laym. *lib. 3. de Just. tract. 1. cap. 8. n. 8.* ad similis immunitatis præscriptonem requiritur talis quasi possessio, ut aliquis neget se alteri obligatum esse; vel ipsa re, aut facto ita se gerat, acsi obligatus non sit: & hac ratione ab eo tempore incipit talis esse in quasi possessione immunitatis à decimis præstandis: sed hæc omnia in nostro casu evenerunt, eo ipso, quòd decimum manipulum in agro cum patientia monasterij nunquam tot annis persolverint. his adde, quod clarissimus

mus P. Schmier *n. 81.* cit. loco asserit.

48 Confir. eadem concl. *3. lege sicut 3. & lege omnes 4. Cod. de præscript. 30. annorum* habetur, quòd omnes actiones reales & personales jugi 30. vel 40. annorum silentio extinquantur: ergo cùm ab hac generali regula decimæ non excipiantur per ullam aliam legem, nec debebit dici, decimas exemptas esse. Si dicas: præscribi quidem tanto tempore decimas cum titulo non tamen sine titulo, contra est, quod in adductis legibus, uti etiam in *Authentica malæ fidei Cod. de præscript. longi temporis. item leg. si quis princ. & §. 1. Cod. de præscript. 30. ann. uti etiam à jure Canonico c. 3. de præscript. item cap. 4. eodem & cap. 3. de cauſ. poſſeſſ.* nulla fiat mentio de titulo: ergo ad præscribendam immunitatem ab actionibus nullus erit necessarius titulus. Respondetur ad hoc ab adversarijs: nullam quidem mentionem de titulo fieri in allatis textibus Juris, ab his tamen supponi quòd titulus adfuerit, prout notat Vasquez à Chares *in c. 17. de præscript.* & Gonzalez *ibidem n. 15.*

Contra hanc tamen replicam ulterius nostrum argumentum ita prosequor. quidquid sit de necessitate tituli ab illis textibus suppositi, de quo controverti hic & nunc nobis necessarium non esse judicamus: in nostro casu habebatur titulus ad excludendam malam, & introducendam bonam fidem in Parochianis sufficiens: ergo ex hoc non erit invalida præscriptio: prob. ant. dabatur titulus rationabiliter existimatus, ut constat ex superius dictis. Contra est secundò: in præscriptione privativa sufficiunt patientia Domini, & simul istius scientia juxta Rhat *de usucap. cap. 3. assert. 29.* & alios (imo juxta multos sola patientia Domini, seu tolerantia negativa, quæ per hoc habetur quòd Dominus non contradicat, ita ut opus neutiquam sit, approbari illam à Domino) atqui in nostro casu præscripta fuit immunitas patiente ac sciente Domino, nimirum monasterio, quod à tanto tempore tres tantum aves linarias annuatim perceperat sine omni reclamatione: ergo &c.

Ex his omnibus itaque ultimato concludimus, immunitatem à solvendis alio, quam hactenus à tot annis consueto modo ita à Parochianis præscriptam fuisse, ut à monasterio, vel hujus superiore ad aliam formam, aut aliud quidpiam præstandum compelli nequeant.

CA-

CASUS XXXVI.

De Negotiatione Religiosorum.

CUjusdam Monasterij in Suevia siti æconomus Religiosus dolia vini à vicinis Wirtenbergiæ incolis emit, ut illa in Bavariam advecta cariùs vendat; distracto postmodum in Bavaria vino plures glebas salis emit, ac revehit in Sueviam, majori has pretio in patria venditurus.

Q. 1. Utrùm negotiatio propriè dicta simpliciter respectu omnium sit illicita.

Q. 2. An negotiatio Clericis atque Religiosis sit illicita?

Q. 3. An his ipsis etiam illicita sit negotiatio mediata, seu per alium?

Q. 4. Quid de præsenti casu sit statuendum?

SYNOPSIS.

§. I.

Præmittuntur quædam scitu necessaria?

1. *Emptiones, ac venditiones ex fine, ob quem fiunt, sunt diversæ.*
2. *Etymologia Negotiationis Explicatur, uti etiam natura.*
3. *Sub illa non continetur emptio rerum necessariarum &c.*

§. II.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrùm Negotiatio propriè dicta simpliciter respectu omnium sit illicita?

6. Responsio est negativa.

5. Satisfit objectioni.

§. III.

Resolvitur secundum Quæsitum?

An Negotiatio ipsis Clericis atque Religiosis sit illicita?

6. Strictè dicta est illis prohibita.

7. Et quidem sub gravi.

8. Nisi una vel altera vice tantùm facta.

9. Non quælibet emptio ejusmodi personis est illicita.

10. Hinc ab initio pluva vini dolia possint emere, ne pauciora non sufficiant.

11. In minoribus constituti clerici licitè negotiantur.

12. Si beneficijs congruæ sustentationi necessarijs careant.

13. Licet eisdem Clericis ac Religiosis emere animalia, ut saginata vendant.

14. Uti & fundum cum fructibus.

15. Venam ferri ut hoc ubi erutum fuerit, vendatur.

16. Excusat negotiantes clericos sua necessitas.

17. Etsi negotiationi non insistant.

18. Emere quoque uvas, ut ex bis vinum exprimant, possint.

§. IV.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An clericis aut Religiosis sit licita Negotiatio mediata, sive per alium?

19. In quo negotiatio mediata consistat?

20. Negotiatio totaliter laico commissa licet clericis,

21.

21. Alia quædam circa negotiationem declarantur.

22. 23. 24. Satisfit objectionibus.

§. V.

Resolvitur quartum Quæsitum.

Quid de præsenti casu sit statuendum.

25. Non erat negotiatio, si nullum lucrum fuerat intentum.

26. Uti etiam si superfluum tantùm vinum vendidit Monasterium.

27. Aut necessitas Monasterij hoc exegerat.

28. Vel damni impediendi tantùm gratia hæc acciderint.

29. Aut ut expensæ vecturæ compensarentur.

30. Aliud tenendum, si lucri dumaxat gratiâ.

31. Excusari tamen ob receptam consuetudinem potuit.

32. Non licuit equos præcisè ad hanc negotiationē coëmere ac sustentare.

§. I.

Præmittuntur quædam scitu necessaria?

1 CUm negotiatio sit species quædam emptionis, ut illius natura meliùs intelligatur, advertimus cum Filliucio *tom. 2. Moral. qq. tract. 35. cap. 1. n. 13.* emptionem, atque venditionem ex fine suo distingui. primò enim alia est naturalis, qua necessaria ad suam & familiæ suæ sustentationem emuntur, & superflua postmodum venduntur. secunda species dicitur artificialis, qua scilicet emitur aliquid, ut per industriam commutatum vendatur, tertiò emi quædam possunt, ut integra, & immutata vendantur cariùs ad lucrum comparandum.

2 *Negotiatio* derivatur à nomine isto *negotium* quod teste Isidoro in *lib. Etymol. item vi. forus de verb. signif.* dictum est, ac significat sine otio, eò quòd otium impediat, cùm igitur quicumque actus circa agibilia, & externa impediant otium, non immeritò illi nomine negotij venient, Negotium autem strictè sumptum, seu negotiatio est commutatio ad lucrum comparandum: cùm scilicet emimus, aut alio permutationis genere rem quandam acquirimus, ut illam non mutatam cariùs vendamus; aut alia quadam ratione cum lucro permutemus, vocari autem

ejusmodi actus præ cæteris, consueverunt negotiationes, eò quòd ante reliqua negotia præcipuè otium impediant, plus occupent, atque majoribus solicitudinibus animum repleant.

3 Ex quo inferimus, sub negotiatione strictè accepta nequaquam comprehendi emptionem rerum, quæ ad nostram atque familiæ nostræ sustentationem sunt necessaria; licèt postea, quæ ex his sunt superflua, iterum vendantur, hanc enim per se licitam agnovit D. Thomas *2 2. q. 77. art. 4.* cum alijs; cùm congruam sustentationem, non autem ipsum lucrum respiciat, artificialem emptionem, qua res emitur, ut commutata per industriam denuo vendatur, quod attinet, non est illa propriè quædam dicta negotiatio juxta D. Chrysostomum *c. Ejiciens 88. dist.* eò quòd res sic empta per industriam ac artem melior reddatur, ac velut quoddam artefactum vendatur.

§. II.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum Negotiatio propriè dicta simpliciter respectu omnium sit illicita?

4 Dico, eandem ex se esse indifferentem, ita communis cum Molina de *Just. disp. 339. v. de hac re* Lugone *disp. 26. sect. 3. n. 22.* prob. quod de se est utile, atque reipublicæ necessarium, illud non potest esse illicitum; sed debet esse indifferens: atqui negotiatio talis ita se habet: prob. m. utile atque necessarium reipublicæ est, dari in illa quosdam, qui ex aliis locis merces, quibus hæc provincia indiget, afferant; cùm illas singuli afferre nequeant: aut qui à præsentibus emptoribus modò emant, ut postea singulis, postquam ijs opus habebunt, vendant, aut denique, qui tempore abundantiæ fructus emant, emptosque conservent, ut postmodum tempore penuriæ illas denuo vendant; cùm ergo hæc fiant negotiationibus, infertur, has essee Ripublicæ utiles, atque necessarias.

Prob. 2. Si negotiatio foret illicita, vel maximè ratione lucri, sed ex hoc non est illicita, prob. m. 1. hoc lucrum est debitum ob industriam, ob asportationem mercium ob varietatem locorum, nec non temporum, in quibus pretium variatur, item potest quis rem emere infimo pretio, ac postea vendere summo etiam eodem tem-

tempore : ergo lucrum tale est licitum. 2. Ejusmodi lucrum ob prudentem finem intendi potest : ergo non erit illicitum. prob. ant. finis hujus lucri potest esse sustentatio propria , nec non suæ familiæ : item ut illud detur pauperibus in Eleemosynam , & isti fines sunt honesti : ergo potest lucrum ob finem prudentem intendi.

Sicuti autem ex his constat , negotiationem ex se vitiosam non esse , ita pariter certum est, non omnem negotiationem dicendam esse virtutem , sed indifferentem esse : quod optimè agnovit D. Augustinus *c. fornicari* , *& cap. quoniam 88. dist.* in horum priori hoc habet : *fornicari omnibus semper non licet, negotiari verò aliquando licet* : posteriori loco leguntur sequentia : *Noli me prohibere à negotiatione negotiatio enim me non facit malum , sed iniquitas mea , & mendacium meum* : nimirum vitia quæ negotiando interveniunt solent negotiantium esse ; non verò artis atque negotij , quasi sine vitio exerceri non possit.

5 Ob. juxta D. Chrysostomum vix , aut nunquam , negotiator Deo placere potest : ergo negotiatio non erit licita. prob. cons. si vix aut nunquam negotiator Deo placere potest , tunc erit expositus periculo proximo peccandi , actus autem , & status expositi periculo proximo peccandi nunquam sunt liciti ; cùm nemo versari , & permanere possit in periculo proximo peccandi.

Conf. Negotiatores volunt divites fieri , sed juxta D. Paulum *1. ad Timot. 6.* qui volunt divites fieri , incidunt in tentationem , & in laqueum diaboli ergo &c. R. conc. ant. neg. cons. in prob. dist. min. si vix placere potest , tunc erit expositus periculo proximo peccandi , si neque mediocriter timoratus ea peccata vitare possit : conc. si etiam mediocriter timoratus ea peccata vitare potest , negatur ant. pericula talia in negotiationibus vel maximè oriuntur ab intrinseca cupiditate subjecti , aut ab alijs circumstantijs ad mercaturam per accidens se habentibus , & hinc periculum duntaxat remotum atque leve causantibus. Ad confirmationem. R. dist. Maj. volunt divites fieri per media in se licita ; conc. per media quæcumque sive licita , sive illicita : subd. & hoc per accidens ex nequitia negotiantium : conc. occasione ipsius negotiationis per se ad hæc inducentis : neg. Maj. & sic distincta min. neg. cons.

§. III.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An Negotiatio ipsis Clericis, atque Religiosis sit licita?

6 Dico primò, negotiationem strictè acceptam Clericis, atque Religiosis esse prohibitam. Ita communis, prob. 1. ex *can. consequens 88. dist. cap. finali de vita, & honestate Clericorum, & cap. secundum: ne Clerici, vel Monachi*: hic enim Pontifex ait *sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi, vel Clerici causâ lucri negotientur*: hoc ipsum prohibetur in *cap. perlatum est: eadem 88. dist. cap. placuit 11. quæst. 3. cap. Canonum 14. quæst. 4.* item Tridentinum *sess. 22. cap. 1.* innovat pœnas varijs in locis Juris Canonici in negotiatores Clericos, atque Religiosos statutas.

Prob. secundò: omne negotium graviter distractivum à cultu Divino est illicitum, vel saltem justè prohibetur hominibus, ratione sui statûs singulari cultui Divino deditis: sed Clerici atque Religiosi sunt ejusmodi homines: ergo illis illicita, vel justè saltem prohibita est negotiatio. Prob. cons. negotiatio propriè dicta solet esse negotium multùm impediens, ac distrahens à cultu Divino: ergo &c.

7 Dico secundò, multiplicem hanc prohibitionem negotiationis propriè acceptæ, à sacris Canonibus factam, non tantùm leviter, sed sub mortali obligare. Ita Lessius *cap. 21. lib. 2. dub. 2. num. 4.* Malderus *in præsenti tract. 5. cap. 2. dub. 4.* Zenedo, Salzedo, Salas, Turrianus *disp. 59. dub. 1. n. 4.* Filliucius *tom. 2. tract. 35. cap. 1. q. 8. n. 20.* Lugo *disp. 26. de Just. n. 24.* Prob. ratione: Jura non solent pœnas gravissimas censurarum delinquentibus duntaxat leviter imponere: ergo, cùm graves censurarum pœnas, excommunicationis scilicet, suspensionis, atque depositionis, amissionis, privilegij, Clericalis, negotiatoribus Clericis, & Religiosis imposuerint, ejusmodi negotiatores debebunt graviter peccare.

8 Dico tertiò, non tamen unam, vel alteram ejusmodi emptionem animô lucrandi factam, seclusô scandalô, atque extra maximam summam, fore statim mortalem culpam, ita citati pro superiore conclusione authores contra Azorium *2. tom. lib. 8. cap. 2. quæst. 5.* Moli-

Molinam, *disp. 342.* Rebellum *parte 2. lib. 9. q. ultima sect. 2.* generaliter asserentes, negotiationem esse graviter malam. Ratio est, quòd fundamentum hujus prohibitionis sit indecentia, quæ in tali negotiatione Religiosorum, aut Clericorum reperibilis est: ergo ubi non datur talis gravis indecentia, neque dabitur grave delictum: atqui in una, vel altera duntaxat negotiatione circa summam neutiquam gravem non reperitur talis gravis, sed levis duntaxat indecentia: ergo neque dabitur peccatum grave.

9 Dico quartò: à prædictis tamen, & citatis juribus non omnem penitus emptionem Ecclesiasticis, atque Religiosis personis interdictam fuisse. Ita communis. Prob. possunt emere quædam animo vendendi eadem aliis, sine tamen lucro. 2. Juxta Molinam *disp. 342.* Salas *dub. 2. n. 9.* Gutierez *pract. QQ. lib. 7. q. 93. n. 48.* Palaum *de statu Relig. disp. 4. pu. 13. §. 3. n. 3.* materiam, vel alia emere licitè possunt, ut ea suo labore mutata postmodum vendant; uti legimus fecisse D. Paulum exercendo artem scenofactoriam, uti etiam antiquos Monachos. Ratio horum est: ad negotiationem propriè dictam duo requiruntur, ut emptio fiat animo eam postea vendendi: dein ut fiat animo vendendi rem integram & immutatam.

Dico quintò: Religiosi con- 10
ventûs procuratori, sine peccato negotiationis, concessum est, aliqua v. g. 50. dolia vini in principio anni pro suis usibus emere, licèt pauciora sufficerent; modò ideo plura emat, ne pauciora emendo se exponat periculo emendi postea cariùs. Insuper, quòd si finito anno superflua quædam fuerint, eadem cariori etiam pretio distrahere poterit, eò quòd ille cum suis hoc cariore pretio constans vinum absumere non velit. Ita Lugo *disp. 26. sect. 3. n. 32.* Molina *tom. 2. de Just. disp. 342. concl. 2.* Saa *verbo Clericus n. 23.* Zenedo, Salas, Palao *tract. 16. de statu Religioso disp. 4. pu. 13. §. 3. n. 3.* Prob. si hæc animo sincero agantur, dolia vini nequaquam directè comparata fuerunt, ut cariùs postea venderentur, sed ad proprios Religiosæ communitatis usus; ipsa etenim prudentia dictat, periculis, quæ occurrere possunt, obviare.

Conf. spes suo tempore vendendi vinum emptum cariori pretio est tantùm removens prohibens, & nequaquam finis directus illa emptione intentus: ergo non erit negotiatio. Prob. ant. œconomus non emisset fortassis illa plura dolia vini, nisi illam spem habuisset, quòd denuo vendere possit dolia vini, si quæ fortassis non necessaria, sed superflua adusus monasterij erunt, ergo spes illa vendendi suo tempore

pore cariùs erat, duntaxat removens prohibens, non autem finis directè intentus.

11 Contra hactenus proposita, & primò quidem specialiter contra primam conclusionem objicitur: non potest dici, num ista ex presbè accepta negotiatio sit omnibus omnino Clericis, aut Religiosis interdicta, an solùm aliquibus: ergo &c. R. prohibitionem afficere solos Clericos in majoribus constitutos; ratio est, quòd in minoribus constituti negotiando nullam indecentiam committant, eò quòd ad nuptias, & statum omnino Laicum transire possint: interim tamen à *Clementina prima de vita, & honestate Clericorum.* Etiam minoribus Clericis interdictum est, ne per se ipsos officium Carnificis, Tabernarij, vel Macellarij exerceant, quòd Religiosos concernit, ex mente Doctorum omnibus, etiam ordinis Clericalis expertibus Religiosis negotiatio propriè dicta interdicta est.

12 Ob. secundò: cùm multi adhuc in minoribus constituti jam sua beneficia habeant, non poterit determinari, num etiam istis negotiatio sit prohibita: ergo &c. R. cum distinctione; si enim beneficium omnino sufficit ad sustentationem, eisdem probabiliùs negotiari prohibitum erit, prout sentiunt Vega, Tabiena, Saa, Salas, Molfesius, Belletus, Lugo cum alijs. Prob. etiam isti beneficiati obligati sunt, ut Deo serviant, & ministerio, atque officio Ecclesiastico se impendant: ergo pariter indecens erit, quòd illi se sæcularibus curis, ac negotiationibus lucrativis impendant, & hac ratione duobus Dominis serviant. Prob. ant. tales beneficiati tenentur recitare, vel canere Divinum officium, item in cæteris Ecclesiæ inservire: ergo &c.

Ob. tertiò: juxta nostra prin- 13
cipia Clericis, aut Religiosis prohibitum esset emere animalia, ut hæc suorum prædiorum pascuis alant, & saginata postea vendant: ergo non videntur sufficere. R. neg. seq. hac enim ratione non immutata, sed saginata animalia, consequenter suos tantummodo, & suorum agrorum fructus vendunt: ut autem negotiatio propriè dicta exerceatur, requiritur, ut res ematur, & sic manens immutata cariùs revendatur: ergo in similibus casibus nulla negotiatio prohibita instituta fuerat; Ita nobiscum judicant Molina, Lessius, Lugo, Layman. *lib. 2. tract. 5. cap. 17. §. 7. sub n. 40.* Mendo *Epitom. opin. moralium: verbo negotiatio num. 1.* Busenbaum *lib. 3. tract. 5. cap. 3. dub. 8. art. 2.* Octavius Maria à S. Joseph. *in suo repertorio morali: part. 2. interrogat. 875.*

Ob. quartò: vel adductis tex- 14
tibus juris etiam prohibetur Clericis, ac Religiosis emere fundum cum fructibus jam maturis animo

istos

istos postea vendendi, vel hoc eisdem conceditur: neutrum videtur dici posse: ergo &c. ℟. licere juxta Molinam, Filliucium, Lugonem, Palaum *n. 3.* Ratio est, in tali casu ager emitur, ut ex hoc tanquam suo colligat fructus, & hos postmodum tanquam rem suam vendat: ergo non emit ipsos fructus immediatè, ac directè, sed solùm indirectè, ac mediatè, prout contingeret, si fructus necdum essent maturi.

15 Ob. quintò: non licet absque culpa negotiationis emere venam ferri, ut ex hoc erutum ferrum per se, vel per alios conficiant: ergo &c. Prob. ant. hac emptione intenderetur lucrum ex re postmodum vendita comparandum: ergo non licebit. ℟. cum Molina *cit. disp. 342.* Lugone *n. 30.* negando ant. si una cum vena prædium, cujus pars est vena, comparetur; ratio est, si testamento, aut quodam legato talis vena ferri ad monasterium devolutum fuisset, hæc isti licerent; quia fructus suæ rei distraheret: ergo, cùm mediante emptione vena etiam transierit in monasterij dominium, vendendo postea ferrum, fructus suæ rei distrahet, quod utique est licitum; dein hac ratione non immunitas, sed in aliam formam redactas antea res alijs divendunt Religiosi.

16 Ob. 6. Saltem depauperatis, atque indigis Clericis, atque Religiosis concessa erit negotiatio: ergo &c. ℟. si tantam necessitatem Clericus, aut monasterium patiatur, ut aliâ viâ commodè sustentari nequeat, cessaturam in tali necessitate Pontificiam prohibitionem, ita videmus Concilium Elibertinum *cap. 19.* permisisse Clericis per se negotiari intra Provinciam per alios autem extra istam, idem habetur ex *cap. dilecti de decimis:* Ratio hujus est, quia tunc cessat fundamentum prohibitionis, quod fuerat decentia statûs Clericalis: ergo non videtur talis constitutio tam rigidè obligare, ut etiam urgente tali necessitate obligare pergat. Ita sentiunt Molina *de Just. disp. 342. §. 3. observat.* Reginald. *tom. 2. sum. lib. 25. cap. 21. §. tertia circumstantia.* Torres, Palao, Lugo citans Navarrum *cap. 25. n. 130.* Sà, & Zerolam, Salas. Hi ipsi concedunt talem negotiationem Clericis ob gravem necessitatem, pupilli, viduæ, aut alterius miserabilis personæ.

17 Ob. septimò: contra tertiam conclusionem cum Palao, & multis alijs Authoribus ab eo *num. 6.* citatis: Clericis & Religiosis prohibita est negotiatio; sed etiam unica emptio atque venditio, & non solùm sæpiùs repetita, jam est aliqua negotiatio: ergo jam unica talis erit prohibita. Prob. min. ex textu *in cap. ejiciens 88. dist.* ibi: *qui verò rem comparat.* ergo. ℟. d. ſt. majorem, est prohibita negotiatio, quæ exercetur,

cui Clericus insistit, & quo victum quærit &c. conc. Maj. quæcunque negotiatio, vi cujus non potest Clericus propriè dici exercere negotiationem, neg. Maj. & dist. min. etiam unica talis emptio, atque venditio jam est quædam negotiatio, propriè dicta, vi cujus possit, & soleat dici aliquis exercere negotiationem, nego: impropriè dicta, conc. min. & neg. cons. quod attinet citatum textum *cap. ejiciens*, respondeo tò *comparare*, non esse accipiendum pro quacunque comparatione, sed pro sæpiùs repetita: cùm ille textus hoc modo explicatus coincidat cum alijs, & leges odiosæ, atque pœnales sint strictè explicandæ.

18 Ob. octavò: non potest statui, utrum Religiosis, aut Clerico liceat emere uvas, ut per famulos à se conductos vinum postea vendendum exprimant: aut lanas, ut ex his per conductos à se operarios pannum distrahendum inter alios conficiant: ergo. R. cum Gobatt *in quin: T. 5. c. 11. n. 34.* & hoc teste cum Mariquez, Delbene; nec non cum Lugone *n. 34.* talem negotiationem probabiliùs non fore illicitam, eò quòd tales Religiosi non venderent solas suas uvas, sed etiam operas ministrorum, quas emerat.

§. IV.

Resolvitur tertium Quæsitum?

An Clericis, aut Religiosis licita sit Negotiatio mediata, sive per alium?

19 MEdiator seu per alium negotiatio instituitur à Clericis, seu Religiosis, si isti solam pecuniam exponant, alij verò suam industriam adjungant; e. g. Monasterium subministrat mercatori Petro quinque millia florenorum, quibus ipse simul cum suis negotietur. Quod ipsum potest duplici modo contingere, primò ut tota cura relinquatur mercatori laico, qui dein lucrum monasterio persolvat: secundò ut monasterium, vel Clericus sibi aliquam curam, háncque majorem, vel minorem retineat, in quantum mercatorem solicitat, dirigit, instruit, ab hoc rationes exigit, & toti negotiationi quasi superintendit.

Dein quando de licentia talis mediatæ negotiationis controvertitur, potest moveri quæstio, utrum illa vi ipsius legis naturalis, eò quòd sit contra reverentiam, & decentiam ipsius statûs? aut positi-

fitivæ tantùm atque Ecclesiasticæ, sit Clericis atque Religiosis prohibita. Ulteriùs potest adesse, vel abesse justa quædam causa, similia exercendi.

20 Dico primò: si tota cura, administratio, & necessaria in negotiatione industria, alteri personæ committantur, ita ut Clericus solum lucrum sibi competens recipiat, non fore talem mediatam negotiationem illicitam mortaliter, præsertim si causa aliqua justa id faciendi habeatur. Ita sentiunt Molina *disp. cit. 342. §. utrum autem:* Lessius *lib. 2. cap. 21. n. 6.* Rebellus *lib. 9. quæst. ult. sect. 2.* Joan. Medena, Tabiena, Armilla, Vega, Emanuel, Arragon, Salonius, Valentia, Salas *dub. 2. n. 8.* Malderus, Diana *tom. 1. tract. de contract. resolut. 72.* Layman. *lib. 3. de Just. tract. 4. cap. 17. §. 7. n. 4.* Lugo *de Just. disp. 26. sect. 3. n. 36.* contra Ugolinum, Megala, Genuensem, Riccium, Salzedo.

Prob. concl. ejusmodi mediata negotiatio, nec à sacris Canonibus, nec à jure naturali videtur esse prohibita: ergo erit licita. Prob. à jure Canonico solùm prohibitum est, ne Clerici per se negotiationem exerceant; quia hæc sola continet incommoda, ob quæ Ecclesia ad prohibendam Clericis negotiationem fuit permota; mediata enim, & in alterum totaliter translata negotiatio nullo modo occupat animum, neque à spiritualibus avocat. Patet hoc sufficienter ex *Clementina 1. de vita, & honest. Cleric:* puniente duntaxat per semetipsos exercentes negotiationem: item ex *cap. significante de apellat. Clement. 1. de statu Monachi:* ex quo inferimus, quòd neque venialem culpam vi juris positivi ejusmodi Clerici committant, cùm Lex Ecclesiastica casus istos non comprehendat.

Sed neque jus naturale, præsertim, si adsit justa causa, graviter eandem Clericis prohibet. Prob. si jus naturale ita graviter eandem prohiberet, ratio foret, quia est contra decentiam, ac reverentiam statûs Sacerdotalis, consequenter scandolosa: atqui hoc videtur esse falsum, si tota cura, & executio relinquatur personæ laicæ: neque scandalo locus erit, si causa aliqua justa habeatur ejusmodi negotiationem mediatam exercendi.

Confir. scandalum ex eo unicè resultare potest, quòd indecens videatur, Clericos similibus lucris inhiare, hæc ratio cessat, si causa justa adsit. Secundò, hæc ratio probaret, non permissum esse Clericis, ut suis patrimonialibus comparent sibi prædia, villas, & agros; nam etiam comparantur animo lucrum ex ijsdem faciendi: item omnes agnoscunt fas esse Clericis atque Religiosis habere domos publicas, quas alijs locent, vel ad vendendas carnes, vel ad alia negotia in illis exercen-

da, ut ex ijs reditus aquirant: si itaque ab istis scandalum abest, aberit etiam à prioribus..

Conf. subministrare solam pecuniam negotiatori, quæ tota quanta sæculari ac Laicæ personæ est commissa, non est negotiari propriè loquendo; nam etiam viri honesti, uti & Matronæ honestæ ita subinde lucrum quærunt; quin dicantur, aut judicentur negotiari: ergo cùm prohibitio in negotiantes sit lata, non extendenda erit à sensu proprio ad improprium.

Dixi autem in conclusione, si *justa causa habeatur* Molina etenim Lessius, atque Lugo volunt, etiam talem mediatam negotiationem improbandam; quòd parùm decora videatur, si nulla circumstantia excusans habeatur.

21 Utrùm autem absente omni excusante causa, graviter, leviter, aut omnino non peccetur, non explicant. Lugo citato numero 36. insinuat habendam in hoc decidendo rationem esse majoris vel minoris curæ, quam in se Clerici, aut Religiosi recipiunt; si enim tanta sit horum superintendentia in negotiatorem Laicum, ac si Clerici per hunc tanquam suum famulum negotiarentur, peccati mortalis eosdem reos citatus Lessius declarat; in tali etenim casu censentur negotiari per se, quòd legi Ecclesiasticæ graviter repugnat: quod si aliqualis distractiò, leve scandalum, aut nimia applicatio ex parte Clerici accesserint, à culpa levi per Lessium absolvi Clericus non poterit, posito, quod justa causa ejusmodi negotiationem ab indecoro, quod illi videtur aliàs inesse, non eximat. Idem Cardinalis de Lugo *n. 34.* optimè advertit, in hac re multum facere, & attendendum esse sensum communem ac hominum æstimationem, eò quòd hæc sint moralia: ex hoc dicit provenire, hominibus Ecclesiasticis minùs decens esse, quòd ex lana suorum gregum per operarios conductos pannum, quem vendant, conficiant, licèt ex suis uvis vinum vendendum per famulos suos licitè conficiant; videtur enim communi æstimationi confectio similium pannorum per operarios conductos non habere connexionem cum venditione fructuum & lanæ, sed esse exercitium diversum: esse insuper minùs decens personas Ecclesiasticas attendere arti diversè texendi pannos: quæ omnia non locum habent in conficiendo ex proprijs uvis vinum, etiam per operarios conductos.

Ob. contra dictam nostram as- 22
sertionem; quòd alicui non licet suo nomine, nec alieno licebit vi *regulæ 67. in 6.* atqui Clericis hæc non licent suo nomine: ergo nec alieno. R. dist. Maj. quod non licet alicui suo nomine, neque

lice-

licebit alieno, si alieno nomine actio peracta easdem circumstantias involvat, ob quas non licet suo nomine; conc. Maj. si has non involvat, negatur Maj. & sub eadem distinctione, conc. & neg. cons. ostendimus in probatione nostri asserti, rationes prohibendi negotiationem per se ipsum, non reperiri in negotiatione mediata, cujus nullam omnino curam in se recipit Ecclesiasticus. ℟. 2. Neg. suppositum, quòd Clericus alieno nomine; vel sæcularis nomine Clerici aut Religiosi negotietur: sed sæcularis nomine suo negotiatur, sumptibus tamen aliquibus à Clerico suppeditatis, qui tamen se nullo modo negotiationi tali se immiscet.

23 Urgebis: reperitur eadem circumstantia & motivum prohibendi negotiationem immediatam, in ipsa quoque negotiatione mediata: ergo nulla distinctio. prob. ant. motivum præcipuum prohibendi negotiationem immediatam Clericis, fuit lucrum: atqui hoc datur etiam in mediata negotiatione: ergo &c. ℟. dist. ant. reperitur eadem tota, adæquata, & præcipua circumstantia in mediata negotiatione, quæ datur in immediata; negatur, aliqualis, subdist. quæ tamen excusatur, aut diminuitur ex præsentia causæ justæ, conc. ant. quæ non excusetur ex justa causa neg. ant. & cons. non enim solùm lucrum est causa totalis, aliàs neque suis patrimonialibus comparare sibi prædia possent.

Urgebis secundò: hoc lucrum 24
videtur esse principale motivum, non autem quòd ex negotiatione propria retrahantur Clerici à cultu divino: ergo nulla solutio. prob. ant. Clerici atque Religiosi antiquis temporibus se exercebant in operibus manualibus, ut ex venditione à se confectorum se possent sustentare: ergo &c. ℟. neg. ant. in prob. conc. ant. neg. cons. illa enim manualis occupatio antiquorum monachorum statutis solum & cultui divino non deputatis temporibus instituebatur: proprio autem nomine, & per se ipsum exercita negotiatio non potest certis duntaxat temporibus exerceri, multóque magis, imo totos occupat negotiantes, ut exspectatum lucrum referant; exponit etiam periculis mentiendi, defraudandi &c. Emptores, ac venditores, quorum expertes erant operationes manuales primorum monachorum.

§. V.

Resolvitur quartum Quæsitum.

Quid de præsenti casu sit statuendum?

25 DIco primò Si æconomus Religiosus non intendit lucrum ex cariore venditione vini in Bavaria venditi, sed vinum præcisè advexit è suevia, ut ex distractione illius obtentâ pecuniâ posset salem emere, suo monasterio ad sustentationem necessariam, sive dein vinum majore, sive æquali, quo ipsi vinum emendum fuerat, venditurus esset, nullam negotiationem presse acceptam, & hinc etiam nullam culpam commisit. Ratio est: ad negotiationem necessariò requiritur, ut eadem res ematur & vendatur cariùs animo faciendi lucrum.

26 Dico secundò: si Monasterium ab initio vinum duntaxat in sui sustentationem & suos usus emit, superfluum autem aliò avexit etiam animo vendendi illud cariùs, non intercessit quædam propriè dicta negotiatio: prob. vinum licèt cariùs fuerit venditum animo inde quidpiam lucrandi, non tamen ex hac intentione ab initio comparatum fuerat: ergo cùm ad negotiationem presse sumptam requiratur, ut etiam res empta fuerit animo faciendi lucrum, & hoc non erat factum, non commissa fuerat negotiatio.

27 Dico tertiò: si Monasterium adeò indigum, & depauperatum fuerat, ut aliter commodam sustentationem habere non potuerit, nullam culpam ex hoc æconomus videtur commisisse patet ex dictis; stantibus enim his circumstantjis cessavit prohibitio: prob. lex lata ob decentiam, & in gratiam statûs Clericalis non videtur urgere, quando illius observantia cederet in detrimentum illius: ergo cùm cederet, si urgente tali necessitate monasterio ista non licerent, infertur, quòd hîc & nunc non urgeat.

28 Dico quartò: si hac sua emptione, ac venditione impedire solùm voluit damnum, quòd equi domi otiosi pabulum consumendo causâssent, lucrum in sustentationem equorum applicando; mercedem pro locatis equis solvi consuetam accipiendo; excusatus videtur à vitio negotiationis. prob. absolutè licita est Clericis locatio suorum, quibus indigent, equorum pro consueto pretio: ergo eitam hæc praxis fuerat licita. prob. cons. fuit æquivalenter locatio suorum equorum, plaustri, & famulorum in commodum ementium postea vinum: ergo, si ob hæc

hæc in locatione licet aliquid exigere, etiam hæc praxis licuit.

29 Dico quintò : si sciens salem leviori pretio in Bavaria comparari posse, quàm in Suevia, intendit hunc emere in Bavaria; ex altera autem parte, ut parceret sumptibus in equos, & aurigas faciendis vino sua plaustra oneraverat, ut lucro ex cariore hujus venditione reportando, compensaret expensas modò ennumeratas, etiam à culpa immunis apparet. Ratio est, quòd hac ratione nullum lucrum intenderit, sed industriâ usus fuerit, in procuranda sua æconomia: quod utique omnibus Religiosis, ac Clericis videtur permissum esse.

30 Dico sextò : si præcisè vinum, & salem emerat, ut postmodum illud cariùs in Bavaria, hoc autem in Suevia vendendo lucrum referret, si à praxi, & tolerata consuetudine non excusatus fuerat, videtur exercuisse negotiationem præcisè dictam. Ratio est, quia verè vinum, & salem emit, ut utramque rem immutatim cariùs vendendo lucrum referret : quod tamen est Clericis, ac Religiosis, uti vidimus, interdictum.

31 Dixi : nisi eundem praxis & recepta consuetudo talium negotiationum à Clericis exerceri solitarum excusaverint; cùm enim juxta mentem Lugonis in his moralibus attendendum sit ad communem sensum, & æstimationem, si juxta istam talis praxis non habeatur pro negotiatione Clericis illicita, non erit illa pro tali habenda. ex hac ipsa causa juxta Gobatt *in quin. t. 5. c. 11. n. 13.* approbante De la Croix *lib. 3. part. 2. de emptio. n. 999.* probabile est, quòd Religiosi possint hordeum emere, ut confectam inde cerevisiam vendant.

Multò magis autem in hanc legem peccatum fuerat, si monasterium plures, quàm queis aliàs opus ad ordinariam æconomiam suam ritè administrandam, habuisset, equos coëmisset unicè ob hunc finem, ut sæpiùs in annnos singulos vinum in aliam provinciam avehere, atque ex hoc salem, alijs cariore pretio vendendum, advehere posset, lucrum ex hac negotiatione referendum tantumodo intendens; nisi, uti jam insinuavimus, ipsius monasterij indigentia, aut passim introducta consuetudo eandem excusaverint. 32

ut itaque in præsenti controversia certum aliquid statuatur, circumstantiæ, in quibus emptio ac venditio vini, atque salis contigerunt, expendendæ, & postea sententia ferenda erit

Utrùm autem unica tantum propriè dicta negotiatio dicto modo instituta graviter peccaminosa fuerit definiendum erit ex principijs superiùs insinuatis attendendum scilicet erit, num ista uni-

unica negotiatio in magna vel exigua quantitate fuerit: si in magna, an statim mortalis sit dicenda, prout teste Palao *disp. 4. pu. 13. §. 3. n. 5.* defendunt Molina, Morola, Rebellus, Gutti-rez, aut venialis duntaxat, quam solam agnoscunt alij superius citati & nostro Judicio verosimilius, ex ijsdem superiùs jactis fundamentis erit decidendum.

CASUS XXXVII.

De Mediata Religiosorum Negotiatione.

REligiosus quidam æconomus depauperato cuidam agricolæ omne frumentum, quo ad conserendos suos agros opus habebat, submministrat, hac tamen cum conditione, ut tertiam partem fructuum, quos tempore messis collecturus esset, sibi concederet.

Q. 1. Utrum hic contractus tanquam vera, & propriè dicta negotiatio sit illicitus?

Q. 2. Num in ratione mutui fuerit licitus?

Q. 3. Num in ratione locationis & conductionis?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum Æconomus commiserit Negotiationem Religiosis illiciiam?

1. Negotiatio propriè dicta Religiosis est illicita.

2. Et talis videtur esse præsens contractus.

3. Asse-

3. *Afferuntur rationes tenentium oppositum.*
4. *Non desijt tamen esse negotiatio ex eo, quia datum agricolæ frumentum non mansit incorruptum.*
5. *Eò quòd tamen institui potuerit permutatio animo faciendi lucrum.*
6. *Contractus iste non fuit mediata negotiatio.*
7. *Imò nulla, si lucrum in sui monasterij sustentationem impendit.*
8. *Aut pecunias ex venditis postea fructibus relatas ad emenda monasterio necessaria applicavit.*
9. *Neque intendit aquisitos postea fructus asservare, usque dum carius vendi poterunt.*

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Num iste contractus in ratione mutui fuerit licitus?

10. *Contractus iste potuit habere rationem mutui.*
11. *Quod videtur fuisse illicitum.*
12. *An ob periculum sortis ultra hanc nihil exigi possit?*
13. *Æstimatio periculi prudentum judicio committenda.*
14. *In quo casu aliquid ratione periculi ultra sortem.*
15. *Et quantum possit exigi, explicatur.*

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Utrum hic Contractus in ratione conductionis substiterit?

16. *Saltem aliqua conductio est Clerico in sacris constituto, ac Religioso prohibita.*
17. *Licet tamen ijsdem conducere agros in sui sustentationem per se, aut suos colonos colendos.*
18. *Solvitur objectio contra dict. n. 13.*

19. Spectanda in hoc erit intentio conducentis.
20. Et status Monasterij.
21. Utrum vera conductio, & non ficta tantùm fuerit, dubitatur.
22. Potuit in hoc casu etiam intervenisse contractus societatis.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Num hic Contractus tanquam vera, & propriè dicta Negotiatio sit illicitus?

1 OMnem negotiationem propriè dictam extra casum necessitatis, atque indigentiæ Clericis atque Religiosis illicitam, & à Sacris Canonibus prohibitam esse, hic supponimus, tanquam certum ac definitum *in cap. consequens. cap. Negotiatorum: cap. fornicari 88. dist. & cap. fin. de vita & honestate Clericorum.* unica itaque restat quæstio, num hic contractus pro tali presbè sumpta negotiatione sit habendus?

2 Pro affirmativa opinione facit, quòd negotiatio non solùm consistat in emptione, & venditione, ita ut si istæ non intervenerint, nulla negotiatio institui possit: sed etiam dari possit in solis permutationibus, dùm una scilicet res permutatur cum alia ex intentione aquirendi ex hoc contractu aliquod lucrum: cùm itaque in præsenti casu grana seminis, seu frumenti rustico data fuerint, ut loco illorum plura grana frumenti suo tempore Clerico, aut Religioso à rustico restituerentur, manifestum esse videtur, permutationem animo faciendi lucrum commissam fuisse: atqui permutatio talis animo lucrandi facta prohibita est Clericis, ac Religiosis: ergo &c.

3 Ex opposito, contractum istum non presbè dictam negotiationem fuisse inde videtur probari posse, quòd ad negotiationem requiratur, ut res permutata empta, maneat integra: sed hoc non dabatur in nostro casu: ergo. prob. min. frumentum & semina rustico concessa, utique postquam terræ commissa fuerunt, debuerunt immutari, ut fructus speratos proferrent: ergo res permutata non mansit integra, & consequenter neque commissa fuit presbè dicta negotiatio. Secundò si etiam ponamus negotiationem in hoc casu interveniisse, fuit illa tamen tantummodo mediata & per alium, agricolam scilicet, exercita, quia hic totam curam co-

len-

lendi & ferendi agrum in se susceperat: cùm ergo talis totaliter Laico imposita cura negotiationis exercendæ non dedeceat Religiosum, neque hic contractus dedecuit. Conf. iste Religiosus habet se instar illius, qui pecunias dat mercatori, ut iste cum illis mercaturam instituat, quin se huic Religiosus immisceat; cùm hic contentus sit, modo certa pars reportati ex hac mercatura lucri sibi persolvatur.

4 Dico primò, ex eo præcisè quòd frumentum agricolæ ad conserendum agrum concessum, non manserit immutatum, sed corrumpendum necessariò fuerit, ut fructus reddendi Religioso producerentur, relatus contractus non excusatur à negotiatione presè accepta. prob. ut hæc detur, non requiritur, ut res, vel pretium, quod ego do alteri pro alia re, maneat immutata, & ab altero contrahente nec absumatur, nec permutetur, nec corrumpatur; sed sufficit, ut ego aliam rem mediante emptione, aut permutatione eo animo comparaverim, ut ista in se immutata postmodum venditione, subsequente lucrum mihi afferat: ergo ex eo, quòd frumentum agricolæ concessum non manserit incorruptum, hic contractus non excusatur à negotiatione. prob. ant. si Clericis emit pretio 10. florenorum modium tritici, ut hoc immutatum postea cariùs vendendo, lucrum reportet, celebravit negotiationem; licèt ille, à quo emerat, pretium perdiderit lusu, vel alio quovis modo amiserit: ergo non est necessarium, ut pretium in emptione, aut res in permutatione alteri data maneat immutata apud alterum contrahentem.

Dices: saltem in hoc casu ne- 5
cessariò frumentum à Religioso subministratum debuerat corrumpi, ut ille vi permutationis promissum frumentum postea reciperet: ergo non intercesserat vera negotiatio. R. neg. conf. quia non obstante corruptione ista, à Clerico vel Religioso permutatio potuit fuisse instituta animo faciendi lucrum, rem permutatione aquisitam, & immutatam cariùs postea vendendo.

Dico secundò: neque benedi- 6
citur, hunc contractum, posito quòd fuerit negotiatio, fuisse duntaxat mediatam, indirectam, & ab agricola colente suum agrum instituendam negotiationem. Prob. ipsa actualis hæc permutatio à Religioso ex una, & ab agricola ex altera parte inita, jam erat actualis negotiatio, si fuerat facta à Clerico animo acceptum reciprocè frumentum, in se immutatum postea cariùs vendendi, & lucri faciendi causâ: ergo negotiatio non erat facienda labore, ac industria ipsius solius agricolæ.

Hoc quidem est verum, solum agricolam debuisse suam operam

impendere, ut produceretur frumentum, quod postmodum æconomo Religioso erat ex contractu permutationis dandum.

Confirm. tunc datur negotiatio per aliam personam, quando Clericus alteri Laico exponit pecuniam, & hic solus opponit suam industriam, ex qua dein lucrum Religioso, vel Clerico accrescat: atqui hoc non factum in nostro casu ponitur: ergo.

Dices: agricola solus laborem suum impendit, ut crescret frumentum, quod postea ut lucrum quoddam Clerico persolutum fuerat: ergo adhuc erat mediata negotiatio. R. neg. conf. negotiatio enim mediata tunc datur, quando Laicus pecunijs, vel rebus à Religioso acceptis exercet mercaturam, & lucrum ex hac reportatum cum Religioso dividit, & huic totum quantum relinquit; in præsenti autem casu agricola accepto frumento non usus fuit ad exercendam mercaturam, sed ad conserendos suos agros. Ex quo etiam patet falsum esse, quod in confirmatione adiectum fuerat; agricolam scilicet se habere ad modum mercatoris, qui pecuniam à Clerico, vel Religioso æconomo acceptam expendendo, suam industriam ut lucrum cum Clerico postea dividendum acquiratur, impendit; ipsa enim cultura agri non est quædam emptio, aut alius quidam contractus, vel negotiatio, quæ cum frumento Religioso instituta lucrum quoddam attulit. Quòd si ipse agricola acceptum à Clerico frumentum vendidisset, aut jure alio meliore permutâsset, & hoc modo lucrum cum Clerico dividendum retulisset, tunc foret paritas. Breviter, ut Clericus mediatè negotietur, est necessarium, ut altera persona nomine, vel cum re, Clerici aut Religiosi negotietur, hoc est, contractum celebret, & lucretur, quod in hoc casu non contigit.

Dico tertiò: licèt æconomus iste intenderit lucrum, cùm pro minore quantitate frumenti expetijt majorem ab agricola suo tempore persolvendam; si tamen hoc postea accipiendum frumentum non intendit alijs vendere, & lucrum ex illo aquirere, sed ad sui, vel familiæ suæ sustentationem applicare decreverat, probabiliùs nullum celebravit negotiationis contractum. Prob. ad hunc requiritur, ut emptio, aut permutatio fiat animo rem taliter aquisitam, postea etiam immutatam cariùs ob lucrum vendendi: ergo, si iste animus defuit, nulla propriè dicta negotiatio intervenerat. Ita sentiunt Fagnanus *in cap. multa 1. ne Clerici vel Monachi:* Gonzalez *in cap. 6. eodem n. 6.* Pignatell. Emanuel Correa, Reiffenstuel *tit. de vita, & honest. n. 131.* Schmalzgrueber *tit. Ne Clerici vel Monachi.* 7

Dico quartò: licèt æconomus noster hoc suo contractu intende- 8

rit,

rit, aquisitum postea ab agricola frumentum, ac tertiam partem fructuum pretio tunc currente vendere, nullam tamen videtur negotiationem hoc contractu celebrâsse, si pecunias hac venditione comparatas in emptionem rerum ad sustentationem monasterio necessariarum applicaverit. Prob. hac ratione videtur munus prudentis, atque soliciti œconomi exercuisse, nullum lucrum, sed sublevationem sui monasterij in rebus necessarijs intendens.

Confirm. ut negotiatio propria detur, necessarium primò est, ut hujusmodi res ematur, & vel immutata, vel mutata vendatur. Secundò: ut ematur gratiâ lucri, seu quæstûs ex eo cariùs vendita obtinendi: atqui ponitur nullum lucrum fuisse intentum: ergo &c.

9 Dico quintò: si tamen œconomus fructus ex prædijs agricolæ collectos asservare intenderit in tempus, quo præviderat majore pretio frumentum vendendum esse, videtur negotiationem expresè dictam exercuisse. Prob. negotiatio est commutatio ad lucrum comparandum, cùm scilicet emimus, aut alio permutationis genere rem quandam acquirimus, ut istam immutatam cariùs vendamus, aut alia quadam ratione cum lucro permutemus: atqui hoc fit, si hac sua conventione acquisitos intendit asservare in tempus, quo cariùs frumentum distrahetur. Ejusmodi autem negotiationem lucrativam Religiosis, atque Clericis esse illicitam habetur in *Can. consequens: 2. Can. Negotiatorem: 9. Can. fornicari: 10. dist. 88. c. fin. de vita & honest. Cleric.* Intelligendi autem hi textus sunt loqui de casibus, in quibus nulla extrema necessitas, quæ legem non admittit, ad similes actus compellat Clericos, aus Religiosos.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Num iste Contractus in ratione mutui fuerit licitus?

10 MUtuum definitur à Busenbaum, quòd sit contractus, quo rei alicujus, numero, pondere, vel mensura, constantis dominium à mutuante in mutuatarium transfertur cum obligatione restituendi eandem, vel similem specie, ac bonitate. Ejusmodi contractum hic fuisse celebratum, vel saltem potuisse celebrari, nemini videtur dubium; frumenti enim pro agro conferendo sup-

peditati dominium à Religioso æconomo in agricolam transferri potuit, vel etiam actu translatum fuit, & quidem cum obligatione, ut aliud simile suo, messis scilicet tempore, redderetur mutuanti.

11 Quia autem æconomus ab agricola petiverat, ut sibi tertiam partem collectæ suo tempore messis restitueret pro frumento, ad conserendos agros agricolæ mutuò dato; hæc autem tertia pars videtur frumentum mutuò datum excedere, consequenter aliquod lucrum ex hoc mutuo mutuatori accedit; ideo num hoc lucrum licitè expetere atque recipere mutuator æconomus potuerit, modò examinabimus. Certum etenim, & omnibus indubitatum est, omne lucrum ex mutuo, id est omne pretio æstimabile, quod ultra sortem mutuò datam, recipitur tanquam debitum, præcisè vi mutui, esse illicitum, & usurarium.

Videndum itaque, num ex alio quodam, quàm ipsius præcisè mutui titulo justè, plus aliquid mutuo dato exigi, atque recipi potuerit. Communiùs tres tituli excusantes ab usura assignantur ab authoribus, lucrum cessans, damnum emergens, quod ratione mutui dati mutuans patitur; & periculum sortis, quando mutuans rationabiliter, & prudenter timet, ne sors seu capitale, aut frumentum in hoc casu agricolæ datum, ab hoc impotente ob inopiam ad solvendum in æquivalenti, aut in individuo, sibi non ampliùs restituatur.

Illustrissimus Dominus de Araxo *in suis decisionibus moralibus de statu Civili disp. 1. quæst. 1, n. 12.* defendit, ob periculum etiam extraordinarium sortis amittendæ nihil exigi ultra sortem posse: citat pro se Conradum *quæst. 59. de contract.* Sotum *lib. 6. q. 4. art. 1. de Just.* rationes affert sequentes. Vel periculum, cui, e. g. in hoc casu frumentum suum exposuerat, mutuum erat fictum? aut verum; quia agricola verè fuit pauper, fraudulentus, vel malefidus? si fictum; non fuit pretio æstimabile, cùm, quod non est, non debeat æstimari: si verum, tunc mutuator, qui prævidet hoc periculum, & tamen dat mutuum frumentum voluntariè, hoc periculum eligit, & minimè invitus hoc subit: ergo non potest ratione hujus aliquid exigere, & hoc periculum vendere: sed respondetur, hanc rationem retorqueri posse in casu, quo ex mutuo dato prævidetur damnum ex tali mutuatione mutuanti eveniens; nam etiam istud hac ratione est voluntarium, & consequenter nihil pro illo exigi poterit, aut si, isto non obstante, tamen exigi quidpiam ultra sortem potest, quia hoc damnum mutuo non est intrinsecum; & mutuans non tenetur in gratiam mutuatarij pati damnum; etiam 11

non

non obstante voluntario mutuantis in hoc periculum extraordinarium consensu, ob istud poterit aliquid ultra sortem exigi, eò quòd in gratiam mutuatarij, etiam nemo teneatur suæ rei periculum subire, & hoc periculum non sit mutuo intrinsecum. Dices: hoc periculum averti potest, si cautio pro hoc periculo accipiatur, fidejussor, aut assecurator constituantur. R. si mutuatarius cautionem præstet, fidejussorem, aut assecuratorem constituat, non posse eundem obligari, ut ipsum mutuantem determinatè in fidejussorem, aut assecuratorem pro certo pretio ultra sortem persolvendo accipiat. Ratio est, quòd hoc modo daretur mutuum cum obligatione pacto, atque onere, ut ipse mutuatarius mutuantem accipiat in fidejussorem, quod onus, cùm sit pretio æstimabile, non poterit ultra datam sortem quidpiam à mutuatore exigi sine labe usuræ.

Dicimus itaque, tunc solùm ob periculum verum, & extraordinarium sortis ultra hanc posse aliquid exigi, quando mutuatarius nullam aliam cautionem præstare, nullum alium fidejussorem, aut assecuratorem constituere potest, aut si etiam hæc posset, mutuatarius sponte velit sibi eam sortem assecurari à mutuante, & quidem eo, non autem majore pretio, quo ab altero tertio ea assecuratio fieret.

Cùm igitur taliter à mutuante in se recepta assecuratio, aut fidejussio pro periclitante sorte, mutuo non sit intrinseca, pretio autem æstimabilis; poterit pro illo aliquid exigi non pro ipso mutuo, eò quòd ab isto separari possit, per se non connexi. Nec aliquis negare poterit, talem à mutuante in se receptam assecurationem sortis esse pretio æstimabilem: si enim alius tertius fidejussisset, aut assecurâsset periclitantem sortem, iste potuisset licitè proportionatum huic oneri pretium exigere: ergo etiam poterit mutuator, vices fidejussoris, aut assecuratoris ad instantiam mutuatarij agens. Id totum videtur etiam sentire D. Thomas *opusculo 73. de usura cap. 10.* quæ omnia à Platelio *part. 3. num. 637.* Confirmantur authoritate Congregationis de propaganda fide, & Innocentij X. approbantis ejus responsa ad quæsita Missionariorum Chinensium data.

Ulterius pro se Prælaudatus Doctor de Arrauxo ita argumentatur: in nostris principijs conditio individualis mutuantis, sive vendentis ad creditum esset legitima causa augendi pretium; si scilicet esset homo ex sua individuali conditione magis timidus & meticolosus: hoc est absurdum: ergo &c. R. neg. sequel. Ratio est, quòd decisio talis periculi non sit determinanda cujuscunque mutuan- 13

tuan-

tuantis solius judicio sed prudenti, & communi aliorum.

14 Conformiter hucusque jactis fundamentis ad casum nostrum respondemus; si agricola alium fidejussorem, aut assecuratorem, qui periculum sortis perituræ in se volebat recipere, habuit, aut nullum omnino extraordinarium periculum adfuit, non potuit agricola invitus cogi, ut, si vellet accipere mutuum, ad reddendam tertiam partem fructuum se obligaret; cùm enim hoc onus grave sit, nec ullus alius extrinsecus, nisi accepti mutui titulus adfuerit, præcisè ex mutuo, ac ratione mutui aliquid ultra sortem expetitum fuerat.

Quòd si autem ipse agricola se sponte obtulerit ad tertiam partem fructuum æconomo relinquendam; aut iste agricolæ libertatem reliquerit, ut vel aliâ viâ assecurationem mutuandæ sortis sibi faceret; vel hanc conditionem iniret; & consensus agricolæ secutus fuerit; nulla usura judicio nostro commissa erat.

Prob. concl. *ex cap. Naviganti: vel eunti: 19. de usuris*: ibi, *ille quoque, qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur, quæ licèt tunc plus valeant, utrum plus vel minus solutionis tempore fuerint valituræ, verosimiliter dubitatur, non debet ex hoc usurarius reputari.* ex hoc inferimus: ergo etiam ille non erit reputandus usurarius, qui dat frumentum loco pecuniarum, & cum hoc comparat aliam in se quidem determinatam, sed an simpliciter, & quanta hæc futura sit, dubiam quantitatem frumenti suo tempore recipiendam; eò quòd etiam, uti diximus, an, & quantam mensuram sit accepturus, sit oppidò dubium: imò se exponat periculo amittendi totam sortem, est itaque periculum ex utraque parte æquale; cùm enim fructus terræ multis incommodis tempestatum, grandinis, atque injurijs temporum sint expositi: si accedente tali infortunio, nulli, vel etiam mali fructus collecti fuissent, mutuans pro suo frumento agricolæ mutuato nihil reciperet: ergo, cùm istud periculum sit pretio æstimabile, pro assecuratione sortis aliquid exigi, ac recipi potuit ultra sortem.

Confirm. Pyrhing. *lib. 5. tit. 19. n. 49.* cum Navarro Laym. affirmat, usuram nequaquam ab illo committendam, qui mercatori mare navigaturo mutuet centum, cum pacto, ut, si navis pereat, nihil reddatur à mercatore, si autem salva redierit, reddantur 125. ergo cùm etiam in nostro casu non absimile periculum amittendi sortem habitum fuerit, ultra sortem datam aliquid exigi potuit.

Licèt autem ob periculum amit- 15
tendæ sortis, & ipsorum etiam non recipiendorum fructuum aliquid

quid ultra sortem potuerit exigi, oppidò tamen incertum est, utrum excessus æstimationem hujus periculi nou multùm superaverit.

Huic difficultati, ut satisfiat, juxta Authores recurrendum erit ad judicium prudentum, qui habita ratione qualitatis periculi, hujus probabilitatis, servata insuper proportione inter periculum, & id, quod pro hoc accipitur, decernant, num tertia pars fructuum adeo incertorum, tum quoad bonitatem, multitudinem, tum etiam quoad omnimodam sui futuritionem adæquet æstimationem periculi, quod mutuans circa amissionem suæ sortis incurrit. Ne autem, & hi ipsi prudentes cæco quodam modo quidpiam in hoc decernant, Lessius in *Auctario v. mutuum Casu 3.* Steph. *tom. 4. disp. 9. n. 104.* hanc regulam eisdem proponunt, ut scilicet ipsi tanquam viri probitate, ac prudentia præditi cogitent, quanti ipsi tale periculum, vel timorem redimerent, & quantum bona fide dare vellent illi, qui illud periculum pro se subiret.

Unum adhuc addimus, cùm plures dentur adhuc alij tituli exigendi aliquid ultra sortem, qualis est lucrum cessans, damnum emergens &c. videndum esse, an non etiam ex istis plus quidpiam exigi jure merito mutuator æconomus potuerit.

Dices in cit. à nobis *cap. Naviganti* fit sola mentio de emptione: ergo cùm in casu præsenti nulla interceserit emptio, non potest illud nobis favere. ℣. ibidem quæstionem moveri de usura; cùm ergo hæc in solo mutuo propriè committatur, de hoc erat ibidem sermo. Secundò, permutatio coincidit cum emptione: ergo, quæ in emptione licent, etiam licebunt in permutatione: nam vi *legis illud ff. ad legem Aquiliam* ubi par est ratio, etiam idem jus debet esse.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Utrum hic Contractus in ratione conductionis subsiterit?

ALia species contractûs, quæ in hac conventione celebrari potuit, vel etiam celebrata fuit, est locatio, qua quis personam vel rem aliquam mobilem, vel immobilem alteri ad tempus utendam, vel fruendam concedit, certo pretio aut mercede, seu

pensione constituta. potuisset itaque agricola Religioso æconomo suum agrum ad tempus unius anni utendum, & fruendum concedere, insuper se ad illum colendum nomine conductoris obtulisse, in mercedem autem tum locati agri, tum sui in colendo isto adhibiti laboris expetijsse duas tertias partes fructuum suo tempore colligendorum; dubium itaque, quod modò decidere aggredimur, movetur, num omnis, vel qualis demum conductio alienæ rei Clericis ac Religiosis sit prohibita.

16 Dico primò aliqua saltem conductio Clericis in Sacris & Religiosis interdicitur. Ita Molina *disp. 342.* Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. 1. n. 6.* Palao *de voto Relig. obed. disp. 4. pu. 13. §. 3. n. 4.* & alij. Conclus. prob. *ex can. 1. causa 21. q. 3.* ibi *decrevit igitur sancta & magna Synodus, neminem deinceps eorum, hoc est, non Episcopum sive Clericum aut Monachum conducere possessiones, aut miscери sæcularibus procurationibus,* item in eadem *causa 21. q. 3. can. 3.* ita habetur *placuit, ut Episcopi, presbyteri, & Diaconi, vel Clerici non sint conductores. neque procuratores &c.* Rationem Sacri Canones hujus suæ definitionis afferunt: quia *nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus.*

17 Dico secundò, his allatis Canonibus nequaquam prohibitum esse Clericis aut Religiosis conducere agros alienos, ut hos per se, suósque colonos colant in sui sustentationem, ita teste Palao *n. 4. cit.* Doctores omnes. prob. illa duntaxat conductio Clericis est prohibita, quæ supponit emptionem eo fine conductionis factam, aut quæ spectat venditionem subsequentem, seu cùm quid conducitur, ut fructus inde percepti postmodum vendendo alijs, lucrum aliquod referatur: ergo licitum istis personis erit, conducere agros, ut perceptos ex his fructus ad sui & suorum sustentationem applicent. prob. ant. in *cit. can. 1.* afferuntur pro exemplo illæ duntaxat conductiones, & procurationes quæ circa res alienas, & non suam personam concernentes obeuntur. item *can. 3.* pro ratione prohibitionis affertur, quòd non deceat, ut militans Deo implicet se negotijs sæcularibus: atqui intendens duntaxat sui, & suorum sustentationem, non implicat se negotijs sæcularibus: ergo &c. sicut autem hac intentione conducere prædia, Clericis, atque Religiosis non est illicitum, ita eisdem prohibitum est conducere ejusmodi prædia animo non se aut suos sustentandi sed lucri causâ; ut scilicet inde collecti fructus vendantur, & lucrum afferant. Ita præter citatos in *concl. 1.* Abbas *in cap. secundum 6. Ne Clerici vel Monachi*: Fagnan. *in cap. multa eadem Rubrica*: Barbosa *ibidem n. 4.* Gonzalez, Diana, Pelliza-

lizarius, Wiestner citati apud & cum Schmalzgrueber *n. 18. Ne Clerici vel Monachi.*

Ratio est: quòd licet ejusmodi actus non sint propriè dictæ negotiationes, ad has tamen proximè accedant: rationes etiam & difficultates, ob quas negotiatio propriè talis fuit prohibita, ex parte etiam talium conductionum animo faciendi lucrum institutarum reperiantur.

Ob. contra 1. conclus. Clerici 18
atque Religiosi possunt lapides, vel metalla ex suis fundis cædere, vel eruere, atque etiam immutata vendere: item gregem in suis prædijs alere, ut ex fætu, lacte, lana pecuniam conficiant, aut ut ipsa animalia adulta & saginata vendant: ergo etiam conducere agros, ut fructus ex illis perceptos postmodum vendentes, pecunias colligant. R. Ad primum, lapides atque metalla ex fundis proprijs eruta spectare ad Dominum fundi: cùm ergo cuilibet liceat suas res superfluas alijs distrahere, etiam hæc à Religiosis aut Clericis poterunt sæcularibus vendi; si superflua illis fuerint. R. Ad secundum, etiam omnibus licere fructus superfluos suorum agrorum, vel ex reditibus proprij beneficij, vel undecunque demum habitos pretio justo, atque currente vendere: cùm ergo animalia saginata ex fructibus agrorum sint fructus quidam in æquivalenti ad Clericos vel Religiosos spectantes, hinc poterunt talia animalia saginata vendi. idem dicendum est de fætu, lacte, atque lana, quæ omnia cùm ex absumptis proprijs fructibus proveniant, ut fructus agrorum & prædiorum, vendi, si sint superflua, potuerunt. Hæc enim & similia alia, cùm ad æconomicam gubernationem spectent, quæ in Clericis, atque Religiosis procuratoribus elucere debet, ideo eisdem concessa fuisse, non immeritò asseritur.

Ut itaque ad resolutionem par 19
ticularis nostri casûs progrediamur, intentio conducentis ante omnia exploranda erit, quo animo hæc conductio facta fuerit, num propriam sui suorúmque sustentationem duntaxat intenderit? aut lucrum ex divenditis postmodum illis fructibus colligere voluerit?

Dices hac ratione decreta & 20
Canones Sacros facillimè eludi posse, valor etenim aut nullitas ejusmodi contractuum pendebunt ex sola intentione conducentium Clericorum: isti autem semper intendent sui & suorum sustentationem. R. considerandum esse, num aliunde præscindendo ab ista conductione sufficientem sustentationem jam habeant, hæc enim si adfuerit, non videtur seria esse intentio conducentis alienos agros ad sui, suorúmque sustentationem. Quod si autem sufficiens frumentum ad edendum uti & pa-

bulum ad nutriendos suos equos haberent, deessent autem iisdem ad vestitutum, habitationem, potum &c. necessaria, videtur eisdem haud deneganda facultas conducendi alienos agros, ut fructus exinde collectos pretio currente vendant, & comparato ex distractione ista pretio cætera ad æconomiam necessaria coëmere valeant; nam etiam hac ratione, saltem ultimatò intendunt propriam sustentationem.

21 Non immeritò autem quis dubitet, num hæc conventio absolutè pro vera, & non solùm pro ficta, & colorata conductione, aut locatione habenda sit? frumentum enim ad conserendum agrum necessarium non videtur justa merces conductioni agri, & adjuncto ipsius locantis agricolæ labori, quem colendo agrum subire tenebatur, correspondens; nam etiam venditionem celebrâsse non præsumimur, si pretium in mercem expensum valore hujus sit notabiliter minus, atque inferius. Si dicas, conductorem pro se retinere duntaxat tertiam partem fructuum, duas autem tertias relinquere locatori: contra est, quòd illi fructus ut provenientes ex bonis locatoris jam antea ad ipsum spectaverint, ergo ratione totius locati agri non habet aliquid in bonis suis, nisi quantitatem frumenti ad conserendum agrum necessarium. reponi ad hæc fors posset, cùm de tertia duntaxat parte fructuum conducenti obvenientium fuerit conventum, ideo non totum agrum, sed tertiam duntaxat hujus partem Clerico aut Religioso æconomo locatam fuisse: tertiæ autem huic parti nequaquam improportionatum esse frumentum ad seminandum agrum suppeditatum, si consideretur periculum, cui fruges terræ constanter sint subjectæ, hinc cùm casum hunc fortuitum in se suscepterit conductor, consentiens in jacturam sui frumenti, licet nullos, aut paucos fructus ob iniquitatem temporum recepturus foret, de inæqualitate rei in conductionem expositæ non videtur querela superesse.

Denique in hoc casu etiam po- 22
tuit celebrari contractus societatis; agricola etenim contulit ad istam suum agrum, & laborem in colendo agro, Religiosus verò frumentum suum, & habita ratione agri, & laborum ab agricola faciendorum huic concedit duas tertias, sibi retinendo unicam: differet autem hæc societas à mutuo, quòd in hoc dominium frumenti translatum in agricolam fuisset, in societate autem mansisset penes Religiosum æconomum, utrùm autem talis societas non oleat negotiationem Clericis atque Religiosis prohibitam, ex fine tali societati præfixo, colligendum erit,

CA-

CASUS XXXVIII.

De Contractu Simoniaco.

QUidam Aulicus promittit cuidam Sacerdoti Beneficium à Principe ſua interceſsione obtinendum; hac tamen conditione, ut Sacerdos ſe obliget ad viginti Sacra in ædibus prælaudati Aulici annuatim ſine ſtipendio legenda.

Q. 1. An per pactum cum tertia perſona initum & pretium pro interceſsione oblatum committatur Simonia?

Q. 2. An committat Simoniam, qui tertio dat pecuniam proportionatam labori, ut Patrono, vel Collatori Beneficij ſolùm explicet ſua tanquam candidati merita?

Q. 3. Num Sacerdos ſub hoc onere accipiens Beneficium committat Simoniam?

SYNOPSIS.

§. I.

Reſolvitur primum Quæſitum.

An per pactum cum tertia perſona initum, & pretium pro interceſſione oblatum committatur Simonia?

1. *Eſſentia Simoniæ, & neceſſaria ad eandem requiſita explicantur.*
2. *Ut Simonia commiſſa ſit, tria alicui probanda erunt.*
3. *Poteſt Simoniacum pactum inire, vel immediatè cum Collatore Beneficij, vel cum alio quodam inter prenſantem, & conferentem &c. medio.*

4. *Simonia est duplex, Juris Divini & Ecclesiastici.*
5. *Pactum cum tertia persona initum, & pretium pro intercessione oblatum est Simoniacum.*
6. *Neque excusat, quòd Episcopus gratis conferat, & Princeps gratis presentet, Aulicus verò rependat solas preces.*
7. *Preces atque intercessio hujus Aulici non sunt præcisè aliquid temporale.*
8. *Neque obest, quòd Episcopus, & Princeps hujus pacti sint inscij.*
9. *Aut quòd temporale fuerit datum non ut pretium, sed ut motivum.*
10. *Sensus, in quo Simonia absque pretio dari nequeat, exponitur.*
11. *Ex gratitudine dare aliquid conferenti Beneficium licet, si nullum pactum interceſſerit.*

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An committat Simoniam, qui tertio dat pecuniam proportionatam labori, ut Patrono, vel Collatori Beneficij saltem explicet sua tanquam Candidati merita?

12. *Responsio est negativa.*
13. *Semper Simonia fuit commissa, quando pro aliquo spirituali, obsequium quoddam a munere ex pacto tacito, aut expresso, vel cum exactione, aut animo commutandi pro spirituali, vel ad hoc conferendum obligandi alterum datur, aut promittitur.*
14. *Simonia committitur, si pro re, aut Jure Spirituali detur, aut exigatur aliquid Spirituale, quod illi Juri Spirituali, quod confertur, non est annexum.*

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum!

Num Sacerdos sub hoc onere acceptans Beneficium committat Simoniam?

15. Responsio est affirmativa.
16. Præsertim ubi Aulicus istos annuos reditus sibi, vel exornando Sacello applicaret.
17. Idem dicendum, si viginti illa Sacra ex voto Aulicus annuatim legenda promisisset.
18. Nec potest defendi lectionem horum Sacrorum esse meram compensationem laboris ab Aulico ratione intercessionis susceptι.
19. Nec satisfacis dicendo, quòd Sacerdos se tantùm obligaverit ad non ineundum pactum exigendi stipendium.
20. Non licet dare temporale spirituali annexum pro temporali.
21. Simonia Ecclesiastica fuit commissa, si tempore annexum spirituali detur pro alio temporali, etiam annexo spirituali.
22. Non possunt Sæculares ex duobus Beneficijs facere unicum.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An per pactum cum tertia persona initum, & pretium pro intercessione oblatum, committatur Simonia?

1 CUm simonia à D. Thoma *in 4. dist. 25. q. 3. a. 1. & 2. 2. q. 100. art. 1. de simonia* & à communi Theologorum & Juristarum definiatur esse studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum; ideo colligitur ad simoniam constituendam tria requiri: pactum scilicet emptionis, venditionis, sive ejusmodi alicujus commutationis. 2. Pretium, sive rem temporalem, & 3. Mercem sive rem sacram & spiritualem aut spirituali antecedenter, concomitanter, vel consequenter annexam. Wiestner *de simonia art. 1. n. 2. & alij*

2 Colligitur 2. Ut probatur simoniam in hoc casu intervenire con-

consequenter ostendendum esse, concurrere hîc aliquid spirituale, aut spirituali connexum, item aliquid temporale, & denique pactum, quo spirituale aut spirtuali annexum emitur aut venditur tanquam merces pretio seu re temporali.

8 Colligitur 3. Pactum simoniacum posse iniri immediatè cum ipso patrono vel collatore beneficij, aut rei spiritualis, vel cum alio tertio, inter prensantem beneficium, & potentem hoc conferre, vel ad illud præsentare medio: quod postremum duplici modo contingere potest, in quantum scilicet iste medius & tertius se tantùm obligat ad explicanda patrono vel collatori merita & habilitatem Canditati, vel etiam quod ut interessor pro Candidato suas preces ac intercessionem velit interponere.

4 Denique ulteriùs notandum, simoniam aliam esse juris divini, & aliam Ecclesiastici. prior est, quæ jure divino aut naturali est prohibita; seu, qua pro temporali datur res de se verè spiritualis, aut huic annexa. posterior seu juris Ecclesiastici tantùm est, quæ prohibita est jure Ecclesiastico, seu qua una res spiritualis aut huic annexa datur pro alia re spirituali, aut huic annexa: quod in permutatione beneficiorum contingere consuevit, vel juxta Patrem Melchiorem Friderich Ecclesiastica simonia est, cujus malitia immediatè provenit à prohibitione Ecclesiæ, ex motivo Religionis, ac reverentiæ rebus sacris debitæ aliquem contractum aut pactum circa hanc vel illam rem vetantis.

Dico 1. etiam pactum cum 5 tertia persona initum & pretium pro intercessione oblatum est simonia. ita docent Sylvester: *V. simonia q. 6.* Navarrus *Manuali. cap. 23. n. 106.* Lessius *cap. 35. n. 46.* Suarez *cap. 53. n. 14. hic* Palao *de simonia. pu. 11. n. 4.* Bonavent. *major gab. sumistæ omnes*, Tabien Navarrus *citati apud* Palaum *loco citato* Wiestner *hic n. 68.* Melchior Friderich *de simonia n. 42. cum communi sima aliorum.* Probatur conclusio primo Authoritate D. Thomæ, *qui 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5.* simoniæ redarguit eum, qui ad spirituale obtinendum sibi viam sternit pecunia aut aliqua alia re pretio æstimabili: sed qui dat tali tertio temporale quid pretio æstimabile, ut suas preces apud collatorem vel patronum beneficij interponat, pandit pecuniâ, aut aliqua alia re pretio æstimabili sibi viam ad beneficium: ergo committit ex mente D. Thomæ simoniam. probatur minor, qui obtinet beneficium per intercessionem, pro qua temporale quid promittit, obtinet verè beneficium per aliquid temporale, non minùs ac si temporale immediatè daret ipsi patrono aut Collatori; sed taliter obti-

obtinens pandit sibi viam ad spirituale per temporale: ergo &c. Probatur Major: quoad effectum nihil interest, utrum officium per rem temporalem immediatè obtineat à collatore, aut à patrono an mediatè tantùm per interceſſionem: ergo &c.

Confirmatur ex *Canone ſtatuimus 107. cauſa 1. q. 1.* ubi Nicolaus ſecundus aſſerit, dari tres ſpecies ſimoniacè ordinatorum, atque ex iſtis unam eſſe, qua ordo ſimoniacè collatus eſt, in quantum pecunia non ipſi ordinanti, ſed iſtius ignorantis familiari collata fuit: ergo agnoſcit Pontifex committi ſimoniam, ſi tertio cuidam detur res temporalis, quando enim ipſi ordinanti datur, tunc ordo confertur Simoniacè à Simoniacis collatoribus, quæ eſt alia ſpecies.

Confirmatur 1. Urbanus 2. *in Canone finali 1. q. 5.* cum ordinato Simoniacè ad ordinum uſum diſpenſavit, pro quo pecunia non ipſi ordinanti Epiſcopo ſed alicui Principum, hoc eſt Epiſcopi familiari fuerat data: ergo hoc modo committitur Simonia. cùm autem hoc in canone ſermo fuerit de Preſbyterio per pecuniam obtento, ideo nulla eſt reſponſio authorum, ad citatum hunc textum aſſerentium, per quendam Principum ibidem intelligi, quendam ex Electoribus, cui pro ſuffragio in electione fuerat data pecunia, minimè enim per electionem ad presbyterium promotio fieri in Eccleſia conſuevit.

Probatur eadem noſtra concluſio 2. In tali caſu datur pactum ſolvendi aliquid temporale pro ſpirituali: ſed tale pactum juxta dicta eſt Simoniacum: ergo &c. Probatur Major, datur temporale pro hac interceſſione, ſed hæc eſt aliquid ſpirituale: ergo &c. probatur minor: hæc interceſſio & preces ſunt cauſa moralis conferendi Beneficij, & hoc virtute continent: neque ex alio capite æſtimantur, atque emuntur, niſi prout virtute & tanquam cauſa moralis continent Beneficium: ergo interceſſio eſt aliquid virtute, & in ſua vi cauſans aliquid ſpirituale. Ita ſentit Navarrus *conſilio 56. & 57.*

Confirmatur. æquè neceſſarium fuit, ut modus proveniendi ad Beneficia per ſolutionem rei temporalis tali tertio facta tanquam Simoniaca prohiberetur, ac neceſſarium fuit, ut prohiberetur dari immediatè pecunias ipſi patrono aut collatori: ergo æquè eſt Simoniacus. probatur antecedens. ideo collatio Beneficij obtenta per pecunias immediatè collatori aut patrono datas eſt prohibita ut Simoniaca, quia aliàs indigni excluſis dignis promoverentur ad Beneficia: ſed hoc æquè fieret in caſu noſtro, uti patet conſideranti: ergo &c.

Probatur eadem concluſio 3. Vel tali tertio promittitur ob in-

terceſſionem & preces faciendas res temporalis ſub conditione, ſi ſcilicet iſtæ efficaces fuerint, & Beneficium collatum actu, vel promittitur abſolutè, ſive effectum habuerint ſive non? in utroque caſu committitur Simonia: ergo &c. Si primum, tunc temporale datur pro ipſo Beneficio; datur enim ſolo intuitu Beneficij obtinendi, non autem intuitu ſolo precum & interceſſionis: ergo &c. probatur antecedens. ſi temporale ſolo intuitu precum daretur, tunc quandocunque hæ preces fuerint datæ, eſſet alter obligatus ad dandam rem temporalem interceſſori: atqui juxta caſum non vult eſſe obligatus, niſi preces ſint efficaces, & conſequenter non etiam tunc, ſi ſolæ iſtæ fuerunt interpoſitæ: ergo non datur temporale intuitu ſolarum precum, ſed intuitu Beneficij. Ita ſentit Suarez *l. 4. de ſimo. c. 53. n. 15.* conſentientibus cæteris omnibus. Confirmatur *ex Canone, ſi quis objecerit can. 5. cauſ. 1. q. 3.* hìc enim dicitur, *qui horum alterum vendit, ſine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum dereliquit.* ergo qui vendit ſuas preces & interceſſiones non ſine, ſed cum obtenta & impetratione Beneficij, etiam vendit Beneficium: ergo vendit aliquid ſpirituale pro temporali. Si ſecundum ponatur, dari ſcilicet & promitti rem temporalem interceſſori, modo preces interponat, ſive dein iſtæ efficaces fuerint, ſive non, nihilominus committitur Simonia: ergo &c. probatur antecedens. Sacerdos etiam hoc modo intendit Beneficium tanquam effectum precum ac interceſſionis, cum quibus collatio Beneficij connectitur, eſtque per accidens, ſi non ſequatur Beneficium.

Ob. contra hanc concluſionem 6
1. Princeps præſentat in hoc caſu ad Beneficium gratis: inſuper ipſe Epiſcopus illud gratis confert; qui autem pretium temporale accipit, nihil ſpirituale rependit, ſed tantùm preces, ac laudes candidati interponit: ergo non committitur in hoc caſu Simonia. R. neg. conſ. Ratio eſt, quòd etiam hac ratione obtineatur Beneficium juxta probata per aliquid temporale: præterea via ſternitur per aliquid temporale ad Beneficium: ipſæ preces, ac interceſſiones ſunt aliquid virtualiter ſpirituale, quia continent in ſua vi, ac virtute cauſandi, & movendi Beneficium: & hæ preces comparantur pretio temporali.

Urgent: quod eſt temporale, 7
atque ex juſtitia non debetur, illud eſt pretio æſtimabile juxta Sotum *l. 4. de Juſt.* Baanez utrumque Lederma: atqui interceſſio, & interpoſitæ preces tertij *ita* ſe habent: ergo ſunt pretio quid æſtimabile. R. negando, quòd ſint aliquid merè temporale con-

for-

formiter ad dicta in noſtris probationibus.

8 Urgent 2. Tam Patronus quàm Collator in hoc caſu ignorant, tertium ſcilicet interceſſorem accepiſſe pecunias : ergo non committitur Simonia. R. neg. conſ. Ratio eſt, quòd ipſe Candidatus non ignoret, quia ipſe pecuniam promiſit, aut jam dedit, ſicuti ergo Simonia juxta Authores committitur, quando ignorante Candidato conferens, aut præſentans ad beneficium cognoſcit pecunias datas fuiſſe, ut obtineatur Beneficium ; ita pariter Simonia commiſſa fuit, ſi & Collator, & Patronus ignorent, non autem ipſe Candidatus, inter alias enim ſpecies Simoniæ eſt etiam iſta, quando Simoniaci Simoniacè à non Simoniacis ordinantur, *citato Canone ſtatuimus 107. cauſ. 1. q. 1.*

9 Ob. contra eandem concluſionem 1. Simonia committitur tunc tantùm, quando temporale pro ſpirituali tanquam pretium datur ; ſed potuit tali interceſſori dari temporale non tanquam pretium, ſed ſolùm ut motivum : ergo poteſt contingere, ut non committatur Simonia. R. neg. Maj. licèt enim ut motivum tantùm, ex pacto tamen aliquo, datum fuerit, commiſſa nihilominus Simonia fuit : Innocentius enim XI. damnavit hanc propoſitionem ; *dare temporale pro ſpirituali non eſt Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed duntaxat ut motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale.* 2. Etiam in hoc caſu paratur via ad ſpirituale per aliquod temporale, datúrque aliquod temporale animo obtinendi ſpirituale. Sed juxta *cap. tua Nos 34. & cap. ult. de Simonia.* In hoc caſu committitur Simonia ſaltem mentalis. 3. Hac ratione in foro externo omnis Simonia foret ſublata, cùm quivis diceret ſe temporale non ut pretium, ſed ſolùm ut motivum dediſſe. 4. Qui dat temporale tanquam motivum, dat temporale animo obtinendi ſpirituale ; ſed quando datur temporale animo obtinendi ſpirituale intercedit emptio virtualis : nam in æſtimatione communi hoc idem eſt, ac comparare pretio, ſeu emere aliquid ſpirituale : cùm ergo ad Simoniam ſufficiat etiam emptio virtualis, atque expreſſæ æquivalens juxta TT. ac Juriſtas : ideo hic vera Simonia commiſſa fuit.

10 Dices : Simonia non poteſt committi abſque pretio : ſed quando datur temporale ut motivum, non datur ullum pretium : ergo neque Simonia. R. diſtinguo Majorem, non poteſt committi abſque pretio, id eſt, quin aliquis reflexè, atque in actu ſignato intendat dare temporale tanquam pretium. Negatur major, abſque pretio, id eſt, quin per temporale, quod dat, aut daturus eſt, re ipſa intendat obtinere ſpirituale, concedo Majorem,

& nego consequentiam. Hoc ultimum sufficere D. Thomas, & Suarez *cap. 36. de Simonia, num. 6. & 7. ex cap. tua Nos collegerunt.*

11 Ob. 3. Potest talis Candidatus ejusmodi intercessori ad dandum temporale obligari ex mera gratitudine: ergo non fuit commissa Simonia. Probatur consequentia, juxta omnes Authores est licitum dare ex gratitudine aliquid conferenti beneficium, saltem post huius collationem: ergo si ad hoc se obligavit, ut faciendum ex gratitudine non commisit Simoniam. R. nego consequentiam. In probatione distinguo antecedens: istud est licitum, si nullum pactum antecesserit, nec emptio aut venditio, conc. Si tale pactum dandi aliquid ex gratitudine antecesserit. nego antecedens, & consequentiam. Quòd sine præcedente pacto ex gratitudine aliquid temporale post collatum Beneficium liceat dare. Patet *ex cap. dilectus 30. de Simonia.* ibi: *Illud tamen gratanter recipi poterit, quòd fuerit sine taxatione gratis oblatum, item cano: quidquid V. nisi voluntariè ablata: 101. 1. q. 1. cap. antiquum 1. h. t.* Ex oppositio, quòd præcedente pacto id facere non liceat, docemur *ex cap. tua Nos 34. h. t.* hic enim Pontifex de Clerico in Canonicum recipi cupiente, ac sua bona Ecclesiæ offerente, dicit, *si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, & Clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia percipere rent, admissuri, sine dubio tam ille, quàm isti apud districtum Judicem (qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum) culpabiles judicantur.*

Contra est 2. Si intercessor, vel quicunque alius conferens spirituale ex titulo gratitudinis exigit aliquod temporale donum absque Simonia; tunc mira rerum confusio inducetur, omnésque magno animarum damno conventiones suas Simoniacas obtegent, dicendo se pacisci pro spirituali de aliquo temporali, tanquam de quodam Antidoro, & non de pretio.

Confirmatur. Si aliquis cum tali Aulico ita conveniret: ego tibi hunc meum equum dono, sed tu ex gratitudine dona mihi 100. florenos, juxta omnes inter illos contractus emptionis, & venditionis fuisset celebratus: ergo etiam celebratus fuit contractus emptionis. Si aliquis Aulico diceret, dona mihi Beneficium, & ego ex gratitudine dono tibi hoc temporale. Tertiò cùm obligationi gratitudinis satisfieri possit, vel per aliquid spirituale, vel per aliquod temporale, & quidem vel per hoc, vel per aliud temporale; hinc naturalis obligatio gratitudinis non exigit, ut benefacto-

ri

ri reddatur certum aliquid, ac determinatum, temporale potiùs, quàm spirituale: ergo qui se obligat ad dandum aliquod temporale potiùs, quàm ad spirituale, item ad hoc potius temporale determinatum, quàm ad alterum, promittit aliquid ultra debitum gratitudinis: sed quod promittitur ultra debitum gratitudinis, habet rationem pretij, cùm ab altero expetatur nequaquam ratione gratitudinis, sed ratione fidelitatis, atque justitiæ pro ipso Beneficio: ergo datur nova obligatio ex titulo oneroso, consequenter committitur Simonia.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An committat Simoniam, qui tertio dat pecuniam proportionatam labori, ut Patrono, vel Collatori Beneficij saltem explicet sua tanquam Candidati merita?

12 Dico 1. Qui alicui tertio dat pecuniam proportionatam labori, ut Patrono, vel Collatori Beneficij solùm explicet sua Candidati scilicet, merita, speculativè loquendo non committit Simoniam. Ita sentiunt Diana *p. 11. tract. 6. resol. 31.* Mathæus de Moga *p. 2. qq. select. tract. 2. disp. 1. q. 4. n. 9* Palao *p. 11. n. 5.* Wiest. *hic n. 69.* Friderich. *n 50.* Prob. mediator in hoc casu non plus facit, quàm Advocatus explicans causas, ac merita sui Clientis, etiam in causis spiritualibus v. g. matrimonij: ergo, sicut Advocatus, obit officium merè temporale, ac pretio æstimabile, nec ipse est causa moralis collationis, aut præsentationis. Ita etiam se taliter habebit ejusmodi Mediator, qui exponit merita supplicantis, ut ista, & non merita, ac preces hujus Mediatoris moveant: consequenter non minùs, ac Advocatus aliquod salarium accipere poterit? Dixi, *si sit pretium proportionatum, & speculativè loquendo*, si enim pretium sit nimis magnum, quando comparatur cum quantitate laboris in exponendis meritis Candidati exantlati: nequaquam fuit illud datum intuitu solius hujus laboris, sed intuitu intercessionis, ac interponendarum ab intercessore, ac Mediatore precum, & consequenter ut obtinendi, de-

pendenter ab istis Beneficij compensatio.

Dein quia hujusmodi Mediatores, & Advocati sæpè excedunt officium informantis, vel monentis, insuper plus exhortentur, ac moveant, quàm ipsa supplicantis merita nudè, ac simpliciter exposita moverent, ideo in praxi istud periculosum est, & solùm speculativè loquendo absque Simoniæ labe probabile.

13 Dico 2. Quandocunque pro aliquo spirituali v. g. Beneficio datur, vel promittitur obsequium aliquod à munere ex contractu tacito, aut expresso, vel cum exactione, aut animo commutandi pro spirituali, vel ad hoc conferendum obligandi alterum, commissa fuit Simonia. Ita Suarez *l. 4. c. 39. a. n. 5. & n. 12.* Man. Rodriq. *verbo Simonia cap. 39. n. 9.* Panormit. Laym. *l. 4. tract. 10. cap. 8. n. 25.* Palao *pu. 3. num. 8.* asserens hoc admitti ab omnibus; venit autem nomine obsequij à munere nihil aliud, quàm obsequium præstitum per propriam personam. Prob. illud habet rationem pretij, quod pecunia solet compensari, sed talia obsequia ab ipsa persona præstita solent pecuniâ compensari: ergo habent rationem pretij. Prob. 2. *in cap. cùm essent 12. de Simonia.* Promissio cuidam facta de Beneficio illi præstando, si negotium quodpiam promittentis in curia Romana promoveret, censetur Simoniaca: ergo &c. Prob. idem 3. *ex Can. quam pio 2. Can. sicut Episcopum: 4. 1. q. 2. item ex cap. etsi quæstiones 18. cap. dilectus 30. in fine, & cap. tua 34. hac rubrica.*

Ex quo inferunt Doctores Simoniam fuisse commissam, si conferat aliquis, præsentet, aut eligat alterum sub conditione, ut Beneficiatus præstet obsequium Beneficio non annexum, v. g. ut doceat suos liberos Grammaticam, Geometriam &c. quin imò etiam Beneficia Ecclesiastica respectu alterius Beneficij, licèt sint aliquid spirituale saltem ex dispositione, vel præsumptione Juris Ecclesiastici, habere aliquo modo rationem pretij. Docemur *ex cap. quæsitum 5. & cap. cùm olim 7. de rerum permut.*

Item juxta Richardum *in 4. dist.* 14
25. art. 3. q. 1. Paludanum, & P. Melchiorem Friderich. Simoniacum obsequium est, si pro re, aut jure spirituali detur, aut exigatur aliquod spirituale, quod illi juri spirituali, quod confertur, non est annexum: in his enim casibus Simoniam saltem juris Ecclesiastici committi deducitur, ut certum *ex cap. de hoc 11. de Simonia*, tradúntque omnes TT. ac Juristæ, hinc committetur Simonia, si Patronus præsentaret Sacerdotem cum onere dicendi pro se Patrono, aut ad suam intentionem certas Missas, orationes, vel cum onere dandi in elec-

tio-

ctione suffragium suo filio &c. quin imò & Simonia Juris Divini committetur, si spirituale obsequium quòd præsentans pro Beneficio collato, exigit gratias sibi fieri, atque exhiberi, aliàs mereatur stipendium aliquod ut sibi debitum.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum?

Num Sacerdos sub hoc onere acceptans Beneficium, committat Simoniam?

15 QUæ hactenus attulimus, facilem nobis efficiunt solutionem præsentis casûs, qui supponit, quòd Aulicus velit intercessione sua nec non suis precibus ac commendatione impetrare Beneficium Sacerdoti, si tamen iste se obligaverit ad dicenda sine exactione stipendij annuatim 20. Sacra; cùm enim ex dictis constet, Simoniam committi, si alicui tertio detur ex pacto aliquod temporale, ut iste obtineat sibi Beneficium, non daturus illud temporale, si Beneficium non fuerit obtentum; hinc manifestè committetur in præsenti casu Simoniam si obligatio ad legenda totidem, Sacra annuatim sine stipendio sit aliquid temporale, cum intercedat aliquod pactum, datur insuper merces Simoniaca Beneficium scilicet, & simul pretium, seu res aliqua temporalis.

16 Ut autem meliùs appareat promissam à Sacerdote obligationem istam esse quid temporale, variæ circumstantiæ expendi debebunt, quæ in hoc casu intervenire possunt, vel enim potuit esse fundatio aliqua annua olim facta, cujus annui reditus deputati fuerunt in stipendium legentis annuatim in Aulici ædibus 20. Sacra, potestque contingere, ut illi reditus annuatim fluant, quòd si itaque, ipse Aulicus hos 20. florenos sibi velit appropriare in compensationem obtenti Beneficij manifestum est dari temporale pro spirituali. Accedit, quod jus percipiendi reditus temporales in Beneficijs comprehensum ex istorum primæva institutione annexum sit officio spirituali, ut non nisi propter hoc alicui competere valeat. vi *cap. fin. de rescriptis in 6.* item solis Clericis ad officia divina per Sacros ordines deputatis, aut saltem prima tonsura initiatis convenire valeat vi *cap. in Eccles. 2. de Institutionibus.* quod ipsum etiam verificabitur, si annuum stipendium

dium conservando vel exornando sacello applicaretur, quia hoc non obstante spirituale emeretur remissione illius annui stipendij Sacerdoti ob lecta Sacra ex mente fundatoris debiti.

17 Quod si autem nulla fundatio facta fuerit, vel fundationis reditus non fluant, vel Aulicus ex voto ad totidem Sacra annuatim legi curanda se obligâsset, vel sine omni obligatione ad majorem suam devotionem hæc Sacra intenderet nihilominus temporale pro spirituali ex contractu debitur probatur. *cùm juxta cap. extirpandæ §. 1. infr. de præb. can. militare caus. 23. q. 1.* Clericus non teneatur proprijs stipendijs militare, ideo tali Sacerdoti ratione lectorum Sacrorum competit aliquod jus proprietatis & justitiæ ad exigendum aliquod pro sua sustentatione stipendium, quod jus est aliquid temporale: ergo cùm hoc jus remittat intercessori, ipsique det, sequitur quòd aliquid temporale det pro spirituali. antecedens quoad imum membrum probatur. Christus atque Apostolus usi fuerunt talibus verbis, quæ indicent Sacerdoti competere tale jus justitiæ; nam verba *merces*, qua dignus dicitur operarius esse: *non militare suis stipendijs*, *debere ministrare carnalia*, & alia similia utique judicant aliquod jus rigorosum ad stipendium sustentationis, quòd autem hoc sit aliquid temporale indicat *Apostolus ad Rom. 15. v. 11. si nos vobis spiritualia seminavimus magnum est si carnalia vestra metamus:* ergo competit Sacerdoti aliquod jus ad hoc stipendium, & hoc est aliquid temporale: ergo si hoc datur pro Beneficio, datur aliquid temporale pro spirituali.

Probatur 2. Obligatio legendi has missas in tali loco, tali die, tali tempore, item non accipiendi stipendium, pro Missis ad aliorum intentionem legendis est aliquid pretio æstimabile: ergo si aliquis obligationem istam valdè gravem in se suscipit in gratiam & compensationem Beneficij collati tunc utique pro hoc datur aliquid temporale. Confirmatur. munus ab obsequio est, legere alteri determinato tempore, loco, annuatim 20. Sacra, estque hoc obsequium ex se non alligatum Beneficio conferendo: ergo cùm juxta dicta & *cap. cùm essent 12. & cap. de hoc 11. de Simonia* receptam DD. sententiam ad Simoniam sufficiat dare tale munus ab obsequio, dabitur hic Simonia, sive dein Sacerdos ad ista se obligaverit ex titulo justitiæ, sive ex mera gratitudine, sive illa promiserit ut merum motivum, sive ut pretium.

Quod si autem Sacerdos dicat, 18
se ista promisisse solummodo ut compensationem laboris, quem Aulicus in explicandis meritis Candidati habiturus est, respondemus primò, id falsum esse; quia Sa-

Sacerdos utique non vult obligatus esse ad Legenda illa 20. annuatim Sacra, si Beneficium non obtinuerit, cùm Aulicus exigat, ut toto illo tempore legat, quo retenturus erit Beneficium sibi collatum. 2. Istud pretium est minùs magnum, atque improportionatum labori, pro quo promissum fuit: ergo apparenter tantum & ad tegendam Simoniam hic titulus fuit allatus, re ipsa verò intentum, ut suas preces & interces sionem adijceret aulicus. probatur consequentia juxta. Suarezium. *cap. 45. n. 5.* & Laym. *cap. 8. n. 8.* Wiestner *hic n. 2. vi cap. tua. 24. de Sim.* in foro externo præsumitur interveniss pactum commutandi temporale pro spirituali, si promissio facta sit multò major, quàm solus labor Aulici, insuper pactum seu promissio antecedat ipsam presentationem vel acquisitionem Beneficij: ergo &c.

19 Dices: Sacerdos faciendo istud pactum duntaxat se obligavit ad hoc, quòd non velit inire pactum vi cujus posset exigere aliquid ad suam sustentationem: ergo non commisit Simoniam. probatur consequentia: jura prohibent omnia pacta in spiritualibus, ut habetur *in cap. ultimo de pactis* & *Can. quàm pio 1. q. 2.* item permittunt hæc stipendia ut sponte oblata accipere, non tamen exigere *vi Can. 100.* & *101. 1. q. 1.* ergo si tantum nullum pactum inijt, vi cujus aliquid dein exigeret, non commisit Simoniam, cùm nemo committat Simoniam renuntiando illi quod jura prohibent. R. transeat antecedens nego consequentiam: in hujus probatione distinguo antecedens. prohibent jura pactum vi cujus temporale exigatur tanquam pretium pro re spirituali: concedo. vi cujus exigatur aliquod stipendium, tanquam sustentatio personæ negatur. stipendium sustentationis debetur ipsi Sacerdoti quod autem mihi est debitum, illud etiam possum in pactum deducere: ergo talis Sacerdos nequaquam renuntiaret pacto, quod non licitè posset facere, sed juri antecedenter ipsi ad omne pactum competenti.

Dices 2. In quolibet Beneficio 20
datur aliquid spirituale, & simul aliquid temporale, illud est jus & obligatio administrandi spiritualia officia, temporale autem est jus percipiendi reditus temporales Beneficiato assignatos. insuper in præsenti casu Aulicus dat Sacerdoti aliquid spirituale obligationem scilicet, legendi Sacra in loco Beneficij, & simul acceptat à Sacerdote aliquid spirituale, obligationem scilicet legendi Sacri in suis ædibus, pro jure autem percipiendi fructus Beneficij, quod est aliquid temporale, acceptat etiam aliquid temporale, exemptionem scilicet ab onere solvendi sustentationem Sacerdoti ob lecta

Sacra debitam : ergo datur spirituale pro spirituali, & temporale pro temporali: non autem temporale pro spirituali : ergo non committitur Simonia. R. distinguo consequens ultimum : ergo non committitur Simonia, si non daretur temporale annexum spirituali pro temporali transeat. Si temporale annexum spirituali detur pro temporali, negatur. Simonia definitur, quod sit studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum : cùm ergo reditus Beneficij conferendi, sint aliquid temporale & annexum spirituali Beneficio, isti autem darentur pro temporali, jam committitur Simonia.

21 Urgebis. sicut reditus annexi Beneficio conferendo sunt aliquid temporale, sed tamen annexum spirituali, ita etiam stipendium debitum pro missis annuatim legendis sunt aliquid temporale, annexum tamen etiam spirituali: ergo datum est proportionatum accepto, neque datur purè temporale pro spirituali. R. transmisso toto Enthymemate nego suppositum, quod in hoc casu non committatur Simonia Ecclesiastica, hæc enim est illa, cujus malitia immediatè provenit à prohibitione Ecclesiæ ex motivo Religionis, & reverentiæ rebus Sacris debitæ, aliquem contractum vel pactum circa hanc vel illam rem vetantis : cùm ergo *cap. quæsitum 5. cap. cùm olim 7.* de *rerum permutatione* : *cap. cùm pridem 4. de pactis cap. constitutus 4. de transact.* Ecclesia prohibeat permutationem Beneficiorum, tanquam Simoniacam, si illa fiat aliter, quam legibus Ecclesiæ permittatur. item venditionem Beneficiorum secundum id, quod temporale est, ideo in tali casu committitur Simonia Ecclesiastica ita Suarez *c. 2 & 7.* Lessius *l. 2. de Just. & jure cap. 35. n. 25.* Palao *tract. 17. disp. 3. p. 2. n. 2.*

22 Urgebis : saltem potest dici, quod aliicus tantùm intendat duo Beneficia conjungere, & ex duobus facere unum, conjungendo Beneficium domesticum Beneficio publico, de novo Sacerdoti conferendo : ergo non committetur Simonia. R. quod sæculari non liceat alicui Beneficio obsequium huic necdum annexum adjicere, novúmque Beneficiatum ad obsequium antea non annexum præstandum obligare quòd ista præstari solum possint ab habente legitimam potestatem, qualem habent soli Prælati Ecclesiæ in casibus jure vel consuetudine concessis. vide Canonistas in *cap. prohibemus de censibus cap. unicum, ut Ecclesia Benef. sine diminutione conferantur & cap. constitutus. de Religiosis domibus.*

CA-

CASUS XXXIX.

De Simoniaco Religioſi Ordinis Candidato.

SEmpronius adoleſcens optimæ quidem vitæ, ſed exiguæ capacitatis & litteraturæ, petit ſuſcipi in Monaſterium quoddam opulentum Divi N. N. Prælatus de incapacitate ſui Candidati jam antea informatus, promittit ſe eundem ſuſcepturum, ſi tot millia florenorum Monaſterio intulerit, ut annui illorum reditus confecturi ſint trecentos florenos ſummam ſcilicet congruæ ejusdem in Monaſterio ſuſtentationi ſufficientem.

Q. Utrum in hoc caſu nulla Simonia commiſſa fuiſſet?

1. *Natura ſimoniæ deſcribitur.*
2. *Alia eſt juris Divini, aut naturalis, alia juris poſitivi.*
3. *A Candidato Religionis ex variis titulis aliquid exigi poteſt.*
4. *Pro ipſo ſtatu Religioſo aliquid ut pretium exigere, ſimoniacum eſt.*
5. *Monaſterium depauperatum cum candidato de ſuſtentatione paciſci poteſt.*
6. *Non obſtantibus Tridentino* Seſſione 23. cap. 3.
7. *Et Bulla Clem. 8. quæ incipit* nullus omnino.
8. Et Cap. 40 de Simonia.
9. *De hac paciſci tamen nequit Monaſterium dives.*
10. *Vi* capit. quoniam de ſimonia.
11. *Et extravagantis primæ Urbani IV. de Simonia.*
12. *Nec reliqui propterea defectum aliquem patiuntur.*
13. *Aut alia officia Monaſterio utilia impediuntur.*
14. *Non amplius labore ſuo ſuſtentare debent ſe Monachi.*
15. *Nec præſumendi Religioſi peſſimo modo facere exactiones.*
16. *Pro diſpenſatione aliquid poteſt exigi, non autem pro ingreſſu Religionis.*
17. *Pro actibus ordinum quid poſſit exigi.*
18. *Pro anno Novitiatûs poteſt aliquid accipi.*
19. *Monaſterium aliquem poteſt ale-*

re sub obligatione ingrediendi Religionem.
20. Cur talis exactio monialibus liceat?
21. Non autem monasterijs virorum.
22. Nisi in certis circumstantijs.
23. Extra quas non excusat praxis contraria.

1 SImonia à D. Thoma *in 4. dist. 25. q. 3. art. 1.* definitur, quòd sit studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Ubi nomine spiritualis intelligitur omne illud, quod aliqua saltem ratione supra terrena, ac temporalia elevatum est, & hinc aliquid supernaturale, ac donum Spiritûs S. annexum verò spirituali dicitur, quod cum spirituali, primum explicato, aliquam connexionem habet, sive hæc connexio sit antecedens, sive concomitans, sive subsequens.

2 2. Sciendum Simoniam aliam esse Juris Divini, seu quæ Jure Divino, aut naturali prohibita est, aliam Juris Ecclesiastici, cujus scilicet malitia immediatè provenit à prohibitione Ecclesiæ ex motivo Religionis & Reverentiæ, quæ rebus sacris debetur, aliquem contractum circa hanc, vel illam rem vetantis.

3 Sciendum 3. à Candidato Religionis posse aliquid exigi ratione contractus oneroſi, vel ob ipsum ingressum, aut Professionem Religionis; vel ob illius sustentationem: aut denique ob aliam quamcunque causam temporalem: item Monasterium, vel esse opulentum, vel depauperatum: monialium, aut virorum.

His prænoratis, certum est apud 4
omnes Simoniam committi, si pro ipso statu Religioso professione, aut susceptione habitûs aliquid ex obligatione præmissi contractûs accipiatur, vel detur ut pretium. Ita sentiunt unanimi calculo cum D. Thoma *2. 2. q. 100. art. 3. ad 4.* Doctores omnes. Ratio est manifesta: ipsa enim Religio, & hujus professio tam ratione finis, quàm ratione causæ impellentis, quæ est Spiritus S. uti etiam in se consideratæ sunt aliquid supernaturale, & cœleste quid, ex quo etiam conficitur, Simoniam ejusmodi esse Juris Divini, & non tantùm Ecclesiastici. Secundò admissio ad Novitiatum, vel Professionem sunt actus Jurisdictionis, & potestatis spiritualis perfectionem charitatis, & animarum salutem spectantes: atqui pro similibus actibus aliquid exigere prohibetur *can. quam pio 1. q. 2. cap. veniens 19. de Regular. cap. non satis 8. de Simonia &c.* item Simoniam Juris Divini tunc committi, patet ex *cap. 19. 30. 40. & 41. ac extravag. comuni 1. eodem.*

Dico igitur 2. Si Monasterium 5
sit depauperatum, prematur inopia, ratione cujus plures sustentare

tare nequeat, nulla committitur Simonia, si cum ingredientibus de sustentatione pactetur superior. Ita cum D. Thoma *q. 100. art. 3. ad 4.* Sylvester, Victoria, Sotus, Cajetanus, Navarrus, Lessius & alij. probatur ratione, si nihil spirituale in hoc casu venditur pro temporali, tunc nulla committitur Simonia: sed: ergo &c. Prob. min. Si ista solutio solummodo exigitur tanquam conditio quædam necessaria, ut alij Religiosi ob ingressum hujus Candidati non graventur, tunc nihil spirituale venditur pro temporali: sed: ergo &c. Prob. Maj. non potest exigi a talibus Religiosis, ut ipsi ob admissionem hujus Candidati, cui ex nullo capite sunt obligati, majorem inopiam, ac defectum necessariarum rerum sustineant: ergo &c. Confirmatur, si venderetur aliquid spirituale, vel spirituali annexum, foret hoc ipsa sustentatio: sed hæc non est aliquid annexum spirituali. Prob. ponitur, quòd Monasterium non possideat, tantos reditus ut commodè & hunc, & priores possit sustentare: dein priores Religiosi, non possunt, uti dictum, obligari, ut propter recenter admissum parciùs vivant: ergo non venditur aliquid annexum spirituali. Confirmatur 2. in Sacramento Matrimonij licitum est aliquid accipere, & deducere in pactum, ut familia sustentari, & onera Matrimonii tolerari valeant: ergo etiam id ipsum erit licitum in spirituali hoc Matrimonio. Adde, quòd Monasterium suam duntaxat indigentiam exponat Candidato, & necessitatem aliquid afferendi pro hac sua sustentatione, si suscipi velit.

Oppones hactenus dictis, Tridentinum *sess. 23. cap. 3.* statuisse, ut in Monasterijs, & domibus tam virorum, quàm fœminarum is tantùm numerus constituatur, & conservetur, qui ex proprijs reditibus Monasteriorum, vel consuetis Eleemosynis possit sustentari: ergo supernumeraria persona non poterit accipi. R. distinguo consequens: ergo hoc non poterit fieri, si certus numerus ab Episcopo in tali Monasterio fuerit assignatus: concedo, si non fuerit, uti de facto communiter non est; negatur. Adde, quòd decretum hoc non videatur receptum; usúsque oppositus non sit contrarius rationi: ipsáque Congregatio Cardinalium in hoc puncto nihil hucusque definiverit: R. 2. cum Navarro, alijsque sub nomine consuetarum Eleemosynarum venire, etiam respectu talium pauperum Monasteriorum illas dotes, quas afferunt tales Candidati. 6

Urgebis in Bulla Clem. 8. quæ incipit: *Nullus omnino*: ex mente Tridentini mandat Pontifex, in quovis conventu eum duntaxat numerum constitui, qui ex proprijs illius reditibus, vel commu- 7

nibus consuetis, vel etiam singulorum Eleemosynis possit sustentari: ergo non potest alius supernumerarius suscipi. R. distinguo consequens; non potest suscipi, nisi in dicta Bulla additum fuisset, aliisque quibuscunque obventionibus, in commune, ut præfertur, conferendis, & sub nomine obventionum venirent etiam istæ dotes, concedo consequentiam. Si res ita se habeant, nego consequentiam; cùm in memorata Bulla obventiones distinguantur ab Eleemosynis, ipsæque dotes non excludantur positivè, excludendæ tamen expressè, si illas exclusas voluisset Pontifex, ideo alijs obventionibus ejusmodi dotes annumerari possunt.

8 Urgebis 2. In *cap. 40. de Simonia:* prohibetur Monialibus, ne sub prætextu paupertatis aliquid exigant: ergo &c. R. concesso antecedente, nego consequentiam: tunc enim sub prætextu paupertatis aliquid exigitur, quando hæc reverà non datur, & tamen sub illius titulo, & colore aliquid exigitur.

9 Dico 3. Probabiliùs absque culpa Simoniæ non posse aliquid exigi, etiam ob sustentationem suscipiendi, si Monasterium opulentum, ac ex se dives sit. Ita S. Thomas *in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. ad 7.* asserens, si sine gravamine Monasterij possit recipi Novitius, Simoniacum est aliquid recipere. Archidiaconus *1. q. 2. in princ.* Ugolinus *de Simonia.* Lessius *hic dubit. 12. n. 68.* Adrianus *quodlibet. 9. littera V.* & Victoria *relect. de Simonia p. 2. n. 12.* contra Sylvestrum *V. Simonia q. 15. ¥. Si autem Monasterium*, Arragonium, Palaum, Bonnac. Sotum *lib. 9. de just. q. 6. art. 2.* Præter hanc authoritatem conclusio probatur 2. ex *cap. veniens ad Nos: cap. dilectus, cap. audivimus, cap. quoniam & extravagante 1. de Simonia*, quæ incipit: *Sanè ne in vinea Domini.*

Prob. 3. Ratione, à *cap. quoniam 40. hoc titulo*, ut Simoniaci damnantur illi, qui sub prætextu paupertatis aliquid exigunt, & opulentum Monasterium exigens aliquid ob sustentationem propriè aliquid exigit sub prætextu paupertatis, ergo committit Simoniam. Probatur secundum membrum antecedentis, tunc propriè aliquid exigitur sub prætextu paupertatis, quando hæc non adest, & tamen allegatur: sed cùm opulentum Monasterium aliquid exigit ob sustentationem, allegatur paupertas, & hæc non adest: ergo &c. Prob. min. exigere aliquid ob sustentationem est idem, ac dicere, Monasterium ob suam paupertatem non habere tanta media, ut possit sustentare candidatum: ergo &c. Confirm. Monasterio pauperi permittitur aliquid exigere ob sustentationem, eò quòd in se pauper sit, ac sufficientibus medijs deficiens: ergo 10

go ubi hæc pauperias non adeſt, nihil poteſt exigi ob ſuſtentationem. Confirm. 2. Nec Monaſterio pauperi, nec diviti licitum eſt aliquid exigere ob ingreſſum Religionis, & tamen hoc non obſtante licitum eſt ob aliquam rationem exigere aliquid pauperi Monaſterio, ob quam Monaſterio diviti prohibetur aliquid exigere: ſed hoc non poteſt eſſe aliquid aliud, quàm titulus ſuſtentationis: ergo ob hanc licitum eſt aliquid exigere pauperi, non itidem diviti, vel ſcil. Monaſterio pauperi aliquid conceditur, quod denegatur diviti: atqui hoc, quod eſt conceſſum pauperi, & denegatum diviti, non poteſt eſſe pretium ob ingreſſum: ergo debet eſſe quippiam aliud: ſed hoc quippiam aliud eſt ſola acceptatio, vel exactio pro ſuſtentatione; cùm præter hanc nihil valeat aſſignari: ergo hæc acceptatio eſt conceſſa pauperi, & denegata diviti.

Prob. 3. Quando à Candidato aliquid datur ob ſuſtentationem, tunc tali pretio hanc ſibi comparat: ſed hoc non eſt licitum. Prob. min. ſuſtentatio tali Religioſo debetur gratis: ergo non poteſt illam dato pretio ſibi comparare. Prob. ant. ſuſtentatio ſubminiſtratur ex reditibus Eccleſiaſticis, qui gratis ex mente fundatorum, & approbatione Pontificis debent expendi: ergo ſuſtentatio debetur illi gratis. conſequenter pro illo nihil poteſt exigi.

Prob. 4. à pari. cum Beneficiato non licet hoc pactum inire, ut ille non ſuſtentetur ex reditibus Eccleſiaſticis, ſed ex bonis paternis: ergo etiam cum tali Candidato non licebit, ut ille ſuſtentetur ex proprijs bonis, non autem ex bonis Monaſterij. Prob. conſequentia, ideo cum Beneficiato non licet hoc paciſci, quia media præſentatione acquirit jus, ut ex bonis Eccleſiaſticis ſuſtentetur, ſed etiam Monachus acquirit jus per ingreſſum, ut ex bonis Monaſterij alatur: ergo neque cum illo licitum eſt, hoc pactum ingredi. Jus vivendi ex bonis Monaſterij ita eſt annexum Profeſſioni, ſicut præbenda officio Eccleſiaſtico: ergo ſicut pro Præbenda non poteſt unquam aliquid exigi, ita neque pro Jure ſuſtentationis. Neque dicas cum Palao diſparitatem inter Beneficiatum, & talem Religioſum in eo eſſe ſitam, quòd in reditus Beneficij nullus alius Jus quoddam habeat, prout tamen in reditus Monaſterij poſſident reliqui Religioſi, qui ex acceſſu novi Religioſi in ſuis reditibus damnum aliquod ſubeunt, quale tamen nulli alij timendum ex præſentatione Beneficiati: non inquam, hoc dicas; contra enim eſt: ſi ipſum Monaſterium eſt opulentum, atque ad ſuſtentandos tum priores tum recenter ingreſſos Religioſos ſufficiens, reliqui Religioſi nullum damnum patiuntur in ſuo Jure.

re. Prob. totum hoc jus fundatur in congrua illorum sustentatione, sed hæc ipsis neutiquam decedit: ergo &c. 2. Fundatores & Pontifex intendunt, ut tot Religiosi alantur, ad quot alendos sufficiunt reditus: ergo si ad noviter ingressum alendum sufficiunt, volunt fundatores, ut & iste alatur: ergo prioribus nihil in Jure decedit; tantum enim habent Jus, quantum acceperunt à fundatoribus.

Oppones. in Beneficijs omnis pactio, & condictio sunt prohibitæ, vi *cap. cùm olim: & cap. quæsitum: de rerum permutatione:* ergo à Beneficijs non benè transfertur argumentum ad susceptionem Novitij. R. nego consequentiam: quia hæc ipsa pactio circa talem Candidatum est pariter prohibita in *cap. non satis 8. de Simonia:* asserente ex nulla consuetudine posse permitti, aut fieri, ut aliqua pecunia exigatur ab ijs, qui ad Religionem transire volunt, nec satisfacis, si dicas, hanc exactionem esse prohibitam in quantum expetitur pro ipso ingressu, quod ex eo clarescit, quia eodem modo loquuntur Pontifices de exigentia pecuniarum pro ingressu, ut differunt de exigentibus pro ordinatione. Contrà est in dicto cap. quod citavimus, nulla fit mentio de ordinatione, quam tamen facit in sequenti *cap. 9. cùm in Ecclesiæ corpore:* imò exactionem etiam pro sustentatione à Pontificibus prohibitam esse, videtur clarè posse colligi ex *cap. audivimus 41.* ubi hæc habentur: *cùm igitur non solùm à malo, sed à specie mali sit secundum Apostolum abstinendum: exactiones ejusmodi penitus inhibemus.* Ex hoc ita formamus argumentum. Exigere aliquid pro ingressu est Simonia Divini Juris: ergo non est tantummodo species alicujus mali, sed ipsum malum; cùm igitur Pontifex etiam illam exactionem prohibuerit, quæ habet speciem mali, prohibuit etiam aliquid exigere pro sustentatione.

Quod si cum Suarezio *l. 4. c. 17. n. 13. hoc loco* dicas Pontifici in adducto capitulo sermonem duntaxat esse de pintantijs seu popinis, quæ pro singulis Religiosis exigi solebant, quin imo potius de modo illas exigendi, in quantum loquente textu, *difficultates ingerunt & malitias. donec aliquid muneris manus contingat eorum.* prohiberi itaque duntaxat, ne à particularibus personis aliquid exigatur. Respondemus concedendo, quod Pontifex ibidem referat, querelam ad se de istis exactionibus pro particularibus personis delatam fuisse, interea tamen ex occasione hujus accusationis sumpsisse eundem dicimus ansam non tantum istas, sed omnes etiam alias ejusmodi exactiones universaliter prohibendi: addit enim hæc generalia verba: *cùm igitur non solùm à malo sed ab omni spe-*

ſpecie mali ſit ſecundum Apoſtolum abſtinendum, exactiones ejuſmodi penitus inhibemus. motivum enim hujus prohibitionis eſt, ut abſtineamus ab omni ſpecie mali: ergo ubi in aliqua exactione reperitur hæc ſpecies mali, erit illa ipſa etiam prohibita. Quæ omnia confirmantur *ex cap. quoniam: 40.* ubi dicitur. *quoniam Simoniaca labes adeo plerasque Moniales infecit, ut vix aliquas ſine pretio recipiant in ſorores, paupertatis prætextu volentes hujuſmodi vitium palliare, ne id de cætero fiat, penitus prohibemus*: atqui quæ pro ſingulis duntaxat perſonis exiguntur non expetuntur prætextu paupertatis: ergo etiam alia exigere prohibuit Pontifex.

11 Denique à Sacris canonibus prohibitam etiam fuiſſe exactionem ob ſuſtentationem, fatetur etiam ipſe Palao contrariæ aliàs ſententiæ Patronus, conſtare ex Urbani *4. extravagante prima de Simonia*, hæc habente diſtrictiùs inhibemus, ne tam à maribus quàm à mulieribus volentibus ingredi eorum Religionem ante vel poſt illas (ſuſceptionem) quoscunque paſtus, prandia, ſeu cænas, pecunias, jocalia, aut res alias etiam ad uſum Eccleſiaſticum ſeu quemvis pium uſum alium deputata, vel deputanda directè vel indirectè, petere vel exigere quoque modo præſumant, his expreſsè dicitur ad quemvis pium uſum alium deputata, cui utique annumeranda eſt etiam ſuſtentatio Religioſi novi.

Probatæ hucuſque ſententiæ 12
objicitur ulteriùs ab adverſarijs primò, ſuſtentatio ex ingreſſu in Religionem eſt quidem debita tali recens ſuſcepto, ſicuti eſt debita prioribus Religioſis, non tamen eſt integrè debita, ſed ſolùm pro facultate redituum Monaſterij: ergo cùm fortè ex ingreſſu novi Religioſi Monaſterium patietur damnum, eo quod reditus inſufficientes reddantur ad omnium congruam ſuſtentationem vel ad alia onera ſuſtentanda, ad quæ Monaſterium vel obligationem habet, vel voluntatem, poterit aliquid in hunc finem exigi. probatur conſequentia eſt inconveniens Religioſos præexiſtentes gravari ex recentis ingreſſu, aut viam perfectionis alijs aptioribus præcludere. Reſpondetur, cùm ponatur Monaſterium eſſe ſufficiens ac opulentum, ideo nullum periculum adeſt alicujus damni, ne ex candidati hujus admiſſione reliqui defectum quendam patiantur. Neque ex eo eidem plus opponetur, quia eſt ſtupidus & minus capax quàm alius quidam habilis ad munera ejuſdem Religionis principalia obeunda, hinc etiam negatur præexiſtentes Religioſos inde gravandos eſſe.

Dices: ſaltem ex ingreſſu ta- 13
lis minùs habilis perſonæ, alia officia Monaſterio utilia impediun-

tur : aliisve aptioribus præcluditur ingressus : ergo ut hæc mala amoveantur , Monasterium subsidio ingredientis indiget. Respondetur. cùm in Religione tanquam in domo Cœlestis Patris mansiones multæ sint , ipsúmque Monasterium sit unum corpus ex pluribus iísque diversis membris compositum , non esse necessarium , ut omnes officium capitis possint sustinere : ergo ex talis personæ susceptione non impedientur officia Monasterio utilia. dein ,cùm Monasterium ponatur opulentum esse ex susceptione talis minus habilis non hoc ipso præclusus est aditus reliquis aptioribus candidatis. 2. Quicunque etiam aptus & habilis ,si susceptus fuerit, præludit alijs etiam aptis ingressum : ergo etiam ab istis & consequenter ab omnibus promiscuè aliquid posset accipi , quod tamen Monasterio summè damnosum esset , sic enim fermè semper ditiores præponerentur minùs habentibus in ære , licèt plus in capite. Neque obest , quòd susceptâ habili personâ Monasterium non indigeat alijs , prout indiget ,si inhabilis susceptus fuerit , cùm enim non tantùm de præsenti , sed etiam de futuro debeat esse sollicitum , ut morituris vel ob senium inhabilibus professis alios novos substituat , debebit dare operam. 3. Hæc ratio probaret , quòd Monasterium dans alteri Prælatum ex suis possit aliquid expetere ob emolumentum , quo carere debet Monasterium , suppeditans alteri Prælatum , quod tamen passim negatur licere

Ob. 2. Monachi debuerunt olim se sustentare ex labore manuum: ergo singuli non habent Jus ad alimentum. Respondetur negando consequentiam , si sermo sit de præsenti statu ; quia modo sunt Monasteria copiosè dotata , & authoritate Ecclesiæ instituta : ergo Monasterium tenetur ex justitita singulos nutrire ; cùm sint pars communitatis habentis dominium vel liberum usum redituum. 14

Ob. 3. Allati canones loquuntur ex sola præsumptione , quòd scilicet exactiones fiant ob ingressum : ergo ubi falsa est præsumptio , non committitur Simonia. Respondetur negando antecedens : non enim arbitrandum est, Religiosos velle pessimo modo facere exactiones , quando minùs malus suppetit. 15

Ob. 4. Etiam pro dispensatione nihil est expetendum , & tamen in expeditione illius aliquid exigitur ob sustentationem Papæ atque illius officialium : ergo hoc ipsum etiam licitum erit in sustentationem Religiosi. Respondetur negando consequentiam ; quod enim in hac re potest summus Pontifex , nequeunt Prælati inferiores. 2. Non pugnant eædem rationes pro sustentatione , officia- 16

cialium expedientium diſpenſationem.

Ob. 5. Etiam pro actibus or- 17
dinum nihil eſt expetendum, & tamen paſſim à Parochis aliquid exigitur non ut pretium talis actûs ſed ut ſtipendium neceſſarium pro ſuſtentatione: ergo hoc ipſum in tali Religioſo poteſt fieri. Reſpondetur diſparitatem primo eſſe, quòd à Parochis hæc exigantur non vi pacti, nec antecedenter, ſed conſequenter ad obſequium ſpirituale. 2. Parochi non habent hodie ubique congruam ſuſtentationem. 3. Licèt aliqui habeant, poſſunt tamen ex alio titulo juſto aliquid accipere juxta taxam ab Epiſcopo approbatam moderatè ſine violentia & poſt ſpiritualem adminiſtrationem; quia ſcilicet reditus ad illorum ſuſtentationem olim deputati quam plurimum fuerunt diminuti, cùm eiſdem olim darentur etiam dècimæ perſonales ex caſeo, ovis, Pomis &c. quæ cum contraria conſuetudine fuerint abrogatæ, videtur populus ſubſtituiſſe reditus uti vocant ſtolæ. Ita Engl *ad hanc rubricam n. 6. in fine.* 4. Ejuſmodi exactiones ſtolæ fiunt ex conſuetudine immemoriali, quæ vim legis & privilegij, ac præſumptionis fundat, ſuadentis ejuſmodi exactiones legitimè pro ſtipendio, congrua ſuſtentatione, aut in vicem ſubtractarum decimarum ex conſenſu Epiſcoporum olim inchoatas etiamnum continuatas: arg. *Legis hoc jure 3. §. 4. de aqua quotid.* & *cap. ſuper 26. juxta* Gloſſam *V. non extat de verborum ſignificatione*

Ob. 6. Tridentinum *ſeſſ 25.* 18
cap. 16. de reformatione permittit, ut pro anno Novitiatûs Religio accipiat à Novitio neceſſaria ad ſuſtentationem: ergo hoc ipſum etiam permittit pro ſubſequentibus annis. probatur conſequentia. eſt eadem ratio pro uno, quæ eſt pro altero. Reſpondetur diſparitatem eſſe, quia pro Novitiatûs tempore permiſit concilium, pro reliquis verò annis Sacri Canones prohibuerunt. hinc Leſſius bene advertit ex hoc & in objectione prima propoſito argumento ſolummodo pateſcere, exactionem talem non eſſe Simoniam Juris Divini, non autem quòd non ſit Juris Eccleſiaſtici, quod abſolutè ab ingredientibus aliquid accipere prohibet ex pacto inito. Ratio autem hujus diſpoſitionis potuit eſſe, quia Novitius nondum habuit Jus in bona Monaſterij. 2. Ne aliquis, ut poſſit ſe ſuſtentare per annum, fingat ingreſſum.

Ob 7. Poteſt Monaſterium li- 19
citè aliquem alere ea Lege, ut poſtmodum illud ingrediatur, vel teneatur ſumptus refundere, ſi noluerit: ergo etiam alterum licebit. Reſpondetur negando paritatem: in caſu etenim antecedentis nihil tali ſtudioſo pro ingreſſu neque Monaſterio pro ſu-

stentatione in Monasterio, sed sumptus ad studia prosequenda suppeditantur gratis, conditionatè tamen, si scilicet ingressus fuerit Monasterium, tunc eidem condonabuntur, alias solvendi. licentia autem hujus rei probatur tum à paritate legati, quod alicui sub hac conditione relinqui potest, tum quod mutuare possis, ita ut non tenearis restituere, si Religionem ingressus fueris.

20 Ob. 8. Concluſio nostra est contraria communi & receptissimæ praxi Monialium, quæ non facilè nisi cum hoc pacto Candidatas suas suscipiunt: ergo &c. Respondeo, cùm ista exactio sit Simoniaca duntaxat ex Jure Ecclesiastico, ideo illi ex consuetudine legitimè introducta & præscripta poterit derogari, quam abrogationem à Monialibus legitimè factam fuisse, ipsa hæc praxis ab Episcopis bene gnaris tolerata & non improbata manifestat.

21 Ob. 9. Si praxis & consuetudo contraria Moniales excusat., excusabit hæc eadem Monasteria virorum: ergo etiam ista pacisci cum suis Candidatis poterunt, Confirmatur in *extravagante 1. de Simonia.* consuetudo aliquid recipiendi (nisi Monasterium ob suam inopiam alendis Monachis sit insufficiens) corruptela dicitur ac severissimè prohibetur directè vel indirectè vel quovis modo aliquid recipere. ergo vel consuetudo à Monialibus non erit legitimè præscripta, vel etiam valebit apud viros. Respondetur 1. disparitatem inter Moniales & viros esse imprimis istam, quòd Monialium Monasteria ordinariè & communiter de facto vel non sint sufficienter fundata, vel si modo sint, habeantur tamen ut non habentia sufficientes reditus: hinc ijsdem in puncto isto aliquid indulgetur. Econtra Monasteria virorum ordinariè habent sufficientes reditus, nec annumerantur in æstimatione hominum pauperibus. 2. Consuetudo Monialium præsumitur ortum trahere ex rationabili causa ab initio, quo cœperunt erigi ejusmodi Monasteria subsistente. Ordinariè enim in principio, vel omni carebant fundatione, atque ex proprijs ingredientium medijs sustentabantur, vel fundatio fuerat ita exigua, ut necessariò aliquid subsidij ab ipsis Candidatis expetendum fuerit, quod ipsum viâ communi non contingit in erectione Monasterij virorum: ergo &c. 3. In multis Monasterijs virorum, & vix non in majori parte nihil exigitur ex pacto à Candidatis. In Monialium verò ubique: ergo si aliquod opulentum Monasterium aliquid exigat, facit contra Sacros Canones, nulla consuetudine legitimè introducta abolitos, & hinc obligantes. 4. Canones prohibent, ne alantur plures in Monasterijs, quam quod ex Monasterij bonis, ordinarijs prò-

ven-

ventibus, & consuetis Eleemosynis sustentari poterunt: atqui consuetis istis proventibus respectu Monialium annumerari potest dos Candidatarum: non autem apud viros, eo ipso quòd hæc consuetudo apud istos non vigeat. 5. Ne Moniales occasionem vagandi, & cum Sæcularibus communicandi habeant, expedit, permittere ijsdem omnem modum acquirendi sufficientes ad sustentationem reditus, tum etiam ex eo, quòd non ita suis rebus invigilare valeant, uti possunt viri: ergo non est paritas cum Monasterio virorum. Ita Armilla, Navarrus colligentes hoc ex Trident. *sess. 25. c. 3. de Regularibus.* Neque obest, quod in *cap. veniens ad nos: & cap. dilectus 30.* item in *extravagante 1. de Simonia.* Consuetudo talis ut corruptela reprobetur. Respondetur enim consuetudinem aliquid exigendi ab opulentis Monasterijs fuisse, ut corruptelam reprobatam: cùm igitur, uti dictum, Monialium Monasteria pauperibus annumerentur, ideo pro ijs hi Canones non fuerunt lati.

22 Ut igitur præsentem hanc totam quæstionem finiamus, cum Lessio *c. 34. num. 70.* Suarez *de censuris d. sp. 22. sect. 5. num. 23.* Laym. *lib. 4. tract. 10. cap. 8. n. 39* Wiestner *hic art. 4. n. 48.* à Simonia excusari judicamus illa Monasteria, in quibus aliquid exigendi à Candidatis suis, consuetudo est diuturna immemorialis, introducta insuper ab initio ob necessitatem, eò quòd ejusmodi Monasterium antea non habuerit sufficientes reditus, vel ex infortunio quodam ad paupertatem fuerit redactum, quòd si autem in aliquo Monasterio, eóque opulento non vigeat diuturnitas, & à tempore immemoriali continuata perpetuitas ejusmodi consuetudinis, judicamus eandem esse Simoniacam: eò quòd omni justo titulo careat introducendi hanc consuetudinem contrariam, ac contraveniendi Canonicis Sanctionibus nondum opposita, ac legitimè introducta praxi abolitis.

Neque excusatos ex eo illos 23
putamus, quòd passim hæc istis temporibus, & impunè quidem practicari videamus. Sæpissimè enim plurima fiunt, quæ ad aures Summi Pontificis non deferuntur, vel ab inferioribus, seu Episcopis dissimulantur, eò quòd non habeant Jurisdictionem in tales Religiosos, vel eosdem pauperes, ac sufficientibus reditibus non instructos supponant, vel quod judicent ex spontanea oblatione non autem exactione ejusmodi patrimonia opulenta unacum recenter professo Monasterio donari. Interea tamen talem praxin neutiquam semper ex-

cusare, videtur certum, ni dicere etiam malis, pro præsentatione ad Beneficia accipere, ex pacto pecunias esse licitum, eò quòd passim his temporibus damnata, & detestabilis ista praxis increbuerit.

CASUS XL.

De Renuntiatione futuræ hæreditatis Paternæ juratò in gratiam Patris facta.

PRopertia cùm maximam reverentiam erga suum Dominum Parentem semper gereret; & intelligeret, eidem gratum esse, quòd dote sua contenta futuræ hæreditati Paternæ in favorem suum, id est Patris, renuntiet; dilectissimi Parentis desiderijs obsequens renuntiationem juratam (nullius tamen Ordinis Religiosi ineundi intuitu) deponit.

Q. 1. An talis Renuntiatio Juramento adjecto confirmetur?

Q. 2. An & qualiter ab hac obligatione liberari renuntians filia possit?

SYNOPSIS.

1. *Varij modi, quibus fieri possit renuntiatio hæreditatis paternæ, afferuntur.*
2. *Jure futuræ cujusdam hæreditatis possumus cedere.*
3. *Jus Civile annullat renuntiationem paternæ hæreditatis futuræ in filiæ dote contentæ.*

§. I.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Num talis Renuntiatio Juramento adjecto confirmetur?

4. *Omnis sine juramento facta ejusmodi renuntiatio vi Juris Civilis non valet.*
5. *Renuntiatio in gratiam Fratrum sine consensu patris facta, non confirmatur adjecto juramento,*
6. *Ac 7. Proponuntur rationes in contrarium.*
8. *Quid sit contractum firmari juramento.*
9. *Si parentis consensus tali renuntiationi accesserit, aliud tenendum.*
10. *Renuntiatio talis in gratiam parentis, nulloque intuitu religionis facta, Juramento probabilius confirmatur.*
11. *Quod de renuntiatione à filia facta tenendum, etiam de filij sentiendum est.*
12. *Cap.* quamvis pactum 2. in 6. *loquitur de obligatione justitiæ.*
13. *In hoc capit: non supponit Pontifex etiam juramento metu aut vi extorto firmari pactum posse.*
14. *Opinioni nostræ non obest* lex non dubium 5. §. 1. Cod. de L. L.
15. *Neque* lex 112. §. 4. ff. legatis.
16. *Uti nec lex* 56. princip. ff. de fidejussoribus & mandatoribus.
17. *Aut* lex 7. §. 16. ff. de pactis.
18. *Sententiæ nostræ contra has leges defensio non fundatur in* Authentica Sacramenta puberum.
19. *In nostra sententia Imperator valorem non tribuit Juramento, sed renuntiationi.*
20. *In certis casibus Pontifex habet potestatem ad statuta à Jure Civili immutanda.*
21. *Cap.* quamvis pactum, *inducit obligationem Justitiæ.*
22. *Cum aliàs tale Juramentum, nec ex Religione obligaret.*
23. *Juramentum solvendi usuras versatur circa materiam charitatis propriæ.*
24. *Promissio non contraveniendi contractui annullato est & ipsa nulla.*
25. *Ne leges annullantes pactum sint efficaces.*
26. *Juramentum cadens supra talem promissionem, caderet & ipsum supra rem inanem.*
27. *Promissio non contraveniendi renuntiationi vanæ, & ipsa est vana.*
28. *Quare* cap. 6. de Jurejurando *in promissis usuris solam obligationem Religionis inducat.*

§. II.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An & qualiter ab hac obligatione renuntians filia possit?

29. Quædam in resolutione hujus quæsiti advertenda.
30. Juramentum ab adhuc impubere filio editum à Patre irritari potest.
31. Non autem puberis, licèt adhuc minorennis.
32. Juratam hanc promissionem Parens ut Creditor potest remittere.
33. Cùm hæc remissio non sit actus Jurisdictionis spiritualis.
34. Quid sit, & in quo relaxatio differat à dispensatione Juramenti.
35. Juramentum in gratiam hominis principaliter factum, per se ab hoc solo relaxatur.
36. Per accidens ob bonum commune ab hujus curam habente.
37. Aut ob certum delictum promissarij.
38. Juramentum non confirmans renuntiationem ab Episcopo jurantis ex justa causa relaxari potest.
39. Juxta nonnullos Authores, etiam ab habente potestatem delegatam dispensandi in votis.
40. Si ponatur renuntiatio Juramento confirmata, sine justa causa ab alio relaxari, aut commutari non poterit.
41. Qualis meritò habetur enormissima læsio.
42. Satisfit objectionibus.

1 LIberi possunt renuntiare hæreditati paternæ futuræ vel intuitu, & paulò ante ingressum Religiosi ordinis vel absque hujus intuitu: Dein vel in gratiam cæterorum fratrum: & quidem cum aut sine consensu parentis. Item intuitu Religionis facta renuntiatio, vel est absoluta, vel sub conditione, dilata scilicet usque ad professionem aut absolutionem Novitiatûs, ita ut his positis absolutum suum valorem sit primùm habitura.

2 Quòd jure futuræ cujusdam hæreditatis abdicare nos possimus, colligitur ex *lege 1. Cod de pactis.* vi cujus quilibet futuro suo juri cedere potest. Insuper *vi legis ultimæ Cod. de pactis.* ex communi omnium consensu potest quis futuræ successionis jure cedere, dummodo accesserit voluntas illius,

lius, de cujus succeſſione & hæreditate tractatur.

3 Controverſia itaque ſola manet de renuniatione liberorum reſpectu hæreditatis paternæ futuræ: talem enim renuntiationem à filia, dum nuptui traditur, Patri factam, Jus Civile, prout teſtatur *cap. quamvis pactum 2. in 6.* reprobavit, ſi vi illius filia ſuâ dote contenta nullum ampſiùs regreſſum ad bona paterna haberet, ex quo inferunt, quod hîc de filia ſtatutum fuit, etiam ad filium ob omnimodam paritatem extendendum eſſe.

Quia autem talis renuntiatio vel cum certis vel ſine omnibus ſolennitatibus potuit fuiſſe facta: Juramento confirmata vel non: ideo pluribus concluſionibus ad perfectam hujus dubij deciſionem opus erit.

§. I.

Reſolvitur primum Quæſitum.

An renuntiatio hæreditatis Paternæ futuræ, nullo intuitu Religioſi ingreſſus facta, Juramento adjecto confirmetur?

4 CUm in *lege pactum 3. Cod. de collationibus: & lege pactum quod dotali: Cod. de pactis: lege qui ſuperſtitis ff. de aquirenda hæreditate lege ultima ff. de ſuis & legitim. hæredibus: lege ſi quando §. illud. Cod. de inofficioſo teſtamento* clarè annulletur talis futuræ paternæ hæreditatis renuntiatio, ideo, quòd hæc abſque ſuperaddito Juramento non ſubſiſtat, nullus dubitat. ſola itaque movetur quæſtio de valore talis renuntiationis, ſi Juramentum eidem non contraveniendi adjectum fuerit.

5 Quòd renuntiatio hæreditatis paternæ, futuræ, quæ non intuitu Religionem ingrediendi in gratiam fratrum ſine conſenſu patris erit facta, non confirmetur Juramento, defendunt Azor *parte 2 Inſtit. moralium cap. 28. q. 2.* Tamburin *in decalog. c. 5. §. 3. n. 5.* cum alijs & probant his rationibus *in cap. quamvis pactum cit.* ſolùm confirmatur pactum gratiâ Patris initum: ergo non idem videtur dicendum de pacto tali cum fratribus inito.

Probant. 2. Paciſci cum fratribus de futura hæreditate Patris ſine hujus conſenſu continet turpitudinem: ergo non poteſt confirmari Juramento, ant. prob. tur-

pe est, sine consensu Patris de hujus futurâ hæreditate agere : ergo.

Probatur 3. Pactum de hæreditate viventis est omnino reprobatum tanquam præbens occasionem captandi mortem alterius lege *ultima Cod. de pactis.*

6 Sed responderi potest ad primam rationem : concedendo, quòd in *cap. citato quamvis pactum* : de sola renuntiatione in gratiam Patris facta, sermo habeatur : negatur tamen consequentia ; eò quòd ratio, ob quam illa renuntiatio agnoscitur esse valida, etiam in renuntiatione in gratiam fratrum facta procedat : ideo enim priorem renuntiationem, Juramento firmatam valere dicit Pontifex, quia ejusmodi Juramenti observatio *non vergat in æternæ salutis dispendium nec redundet in alterius detrimentum* sed hoc totum verificatur de renuntiatione in gratiam fratrum sine consensu parentis instituta.

7 Neque obest, quòd contractus, supra quem cadit Juramentum, appareat esse turpis ; aliud enim est contractum ipsum esse turpem, & aliud executionem, & observationem Juramenti promissorij esse turpem : atqui hæc executio non est turpis : non enim est turpe, quòd filius nihil suo tempore ex hæreditate paterna futura accipiat, sed relinquat illam suis fratribus

8 Hæc difficultas ut solvatur, sciendum, aliud esse, quòd Juramentum sit validum, & aliud, quòd confirmet contractum : prius enim datur, quandocunque Juramentum ob honorem Divini Numinis est servandum, licèt per illud alteri, in cujus favorem factum fuit, nullum Jus acquiratur. Ex oppositio contractus jurejurando firmari dicitur, quando sine Juramento celebratus est nullus, per hoc tamen fit validus, conferens alteri jus, ut jurato contrahens non tantùm ex Religione sed ex justitia quoque obligetur. His suppositis responsiones ad argumenta Azorij allatæ videntur ad summum probare, atque evincere, ex tali Juramento exortam fuisse obligationem Religionis, minimè autem evincunt, quòd fratribus ex illo aliquod Jus, vi cujus renuntiantem ex justitia obligare valeant, ut nihil ex futura hæreditate paterna suo tempore accipiat, accesserit ; quod ita probatur : si talis renuntiatio in gratiam fratrum sine consensu Parentis celebrata, est contractus turpis, tunc est prohibitus, & annullatus à Jure : sed si est talis, non confirmatur Juramento : prob. min. ut turpis, vitiosus, & à Jure prohibitus, atque annullatus contractus Juramento confirmetur, ex dispositione Jurium talis turpitudo, atque vitium debent Juramento purgari : atqui in hoc contractu non pur-

purgantur. Maj. constat, est enim iniquum omne Juramentum de non retractando contractu nullo & prohibito: ergo necessarium est, ut ex dispositione Jurium ejusmodi annullati contractûs vitium à Juramento purgetur. atqui non purgatur; cùm *lex quamvis pactum 2. de pactis in 6.* loquatur de sola jurata renuntiatione hæreditatis paternæ in gratiam Parentis facta, quæ vel nullam turpitudinem continet, vel si contineat, ex dispositione hujus legis illa turpitudo purgatur. Neque purgatur per ipsum solum Juramentum, si nulla specialis dispositio Jurium purgans illam turpitudinem habeatur, cùm *lex non dubium: Cod. de legibus* Juramentum, ad firmandos contractus Jure nullos appositum annullet, & consequenter istud nullam vim præcisè ex se contineat ad confirmandos contractus Jure nullos. Ita præter superius citatos sentiunt Covarruvias *de pactis 3. part. initio n. 5.* Fachinæus *lib. 8. controvers. cap. 70.* Guttierez *in cap. quamvis pactum n. 2.*

Ex quibus deducimus, optimè sentire Azorium, ac Tamburinum, dum renuntiationem istam in gratiam fratrum sine consensu Parentis celebratam, Juramento non confirmari ob rationes insinuatas affirmant: ex eo enim, quòd Juramentum hoc observari sine dispendio æternæ salutis, & detrimento alterius possit, dun-

taxat infertur, quòd pariat obligationem Religionis, quæ est diversa ab obligatione Justitiæ.

Neque dicas, *legem ultimam ff. de suis, & legitimis hæredibus* tantummodo improbare pactum succedendi in hæreditate. ergo non improbat pactum renuntiandi successioni: negatur enim consequentia: qui enim in favorem fratrum hæreditati renuntiat, eo ipso istis concedit hæreditatem, seu successionem: ergo contrahitur de hæreditate viventis, quod absque hujus consensu est reprobatum.

Quia autem hæc turpitudo in memorata renuntiatione tollitur accedente consensu ipsius Patris, adjectum eidem Juramentum ejusmodi renuntiationis contractum confirmabit saltem in supposito, quòd aliquis contractus Jure positivo nullus Juramento confirmari possit, & ejusmodi contractus nullo Juramento accedente nullus sit. ita prædicti Authores. 9

Verùm cùm præsens casus de renuntiatione in gratiam Parentis, vel fratrum quidem, ex consensu tamen ipsius Patris agat, quid de hac opinandum, videbimus.

Dico 1. Si renuntiatio talis non fuit facta intuitu ingrediendi Religionem, sed absolutè in gratiam Parentis, atque illi Juramentum adjectum; erit illa renuntiatio rata & firma. Ita cum communiore Anch. Imol. Alexand. Cuman. Jason, Fulgos, Azor, Tamburin, & alij, quos Covarruv. *in*

10

cap. quamvis : de pactis in 6. adducit n. 5. Nobiscum etiam sentiunt Panormit. Sanchez, Saa: de Lugo *de Justitia disp. 22. n. 206.* & qui cum istis docent universim contractus Jure humano irritos propriè confirmari Juramento. Item qui cum Lessio *lib. 2. cap. 17. n. 56.* tenent, Juramento solos contractus Jure Civili, non tamen Canonico irritatos confirmari, & habetur in hoc citato *cap. quamvis pactum*: ibi: *si tamen Juramento, non vi, nec dolo præstito, firmatum fuerit ab eadem* (scilicet filia, de qua ibidem quæritur) *omnino servari debebit: cùm non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum.*

Confirm. de facto in Germania apud nobiles familias consuetudo obtinuit, ut filiæ congruenti dote instructæ renuntient hæreditati paternæ, quæ renuntiatio, saltem Juramento firmata valet: prout testantur Besoldus Canisius *in tit. de successoribus ab intestato num. 14.* Manzius *lib. 3. de Instit.* Wex *in sua Ariadne.*

11 Posset autem objici allatis modo rationibus: primò, quòd in *cap. citato quamvis pactum*: unicè sit sermo de renuntiatione hæreditatis paternæ futuræ facta à filia, quæ sufficienter dotata fuerat: ergo renuntiatio omnimodæ hæreditatis, & bonorum paternorum omnium etiam jurata, non erit vi citati *capituli quamvis pactum*: confirmata tali Juramento. deinde filia cùm in Matrimonium alicui traditur, egreditur familiam paternam: filius autem istam conservat: ergo.

Secundò potest dici, in citato *capitulo quamvis pactum*, tantùm asseri, quòd jurata renuntiatio obliget vi Religionis, non autem vi Justitiæ.

Sed contra primam objectionem facit: acceptionem dotis habere se per accidens, nec ullam diversitatem formalem inducere: non enim ideo Juramento confirmatur talis renuntiatio hæreditatis in filia dotata, quia jam dotem, & consequenter partem aliquam de bonis paternis acceperat: ergo licèt adhuc filius nihil acceperit ex bonis paternis, ex his malè infertur, quòd facta à filia in favorem Patris renuntiatio ob defectum hujus dotis Juramento non confirmetur, quia potuit renuntiásse ex quadam causa justa atque legitima, v. g. dotis, donationis propter nuptias. Ita sentiunt Covarruvias *in cap. quamvis pactum: de pactis in 6.* Azor *parte 2. Instit. moralium lib. 2. cap. 28. quæst. 5.* Deinde modò concedatur, quòd, aliquibus bonis paternis acceptis, filius renuntiare cæteræ futuræ hæreditati paternæ possit, habetur intentum.

Neque facit aliquid, quòd in *cit. cap. quamvis pactum* solius filiæ, non autem liberorum, aut filiorum fiat mentio: nam filia, &

& filius, seu soror, & frater sunt correlativa, & ambo habent idem jus ad paternam hæreditatem. Dein ratio, ob quam in *lege pactum 3. Cod. de collationibus* talis renuntiatio simplex annulletur, est inhonestas, quæ reperitur in tali renuntiatione paternæ hæreditatis futuræ: atqui hæc etiam datur ex parte renuntiationis filij: ergo.

12 Ad secundam objectionem reponitur: verba legum & capitulorum esse in propria significatione, quando possunt accipienda: atqui verba *cit. cap. quamvis pactum*: dicunt talem renuntiationem *Juramento firmatam* esse, & à filia omnino servari debere: sed terminus *firmare* significat, conferre actui valorem Justitiæ, ut patet ex Regula *Juris Canon. 18. in 6 non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit*: accedit, quod dicat capitulum: *pactum servandum esse*: non autem hoc, si ex Justitia non obligaret esset servandum: sed potiùs ipsum Juramentum, pacto ex se nulli adjectum. Nec dicas, quòd pactum *materialiter* tantùm, non autem *formaliter* sit servandum: seu non ratione valoris, qui pacto tali inesset, sed ratione Juramenti. Contra enim est: quòd hæc explicatio sit tota impropria, & sine fundamento excogitata, quæ omnia confirmantur ex eo, quod *in cap. 6. de Jurejurando*, ubi Juramentum contractui usurario adjectum solius Religionis obligationem inducit, Pontifex asserat, *Juramentum esse reddendum*: ergo si *in cap. quamvis pactum 2. cit.* asserit, pactum esse servandum, non erit ad mentem adversariorum explicatio facienda.

13 Urgebis in *cit. cap. quamvis pactum*, Pontifex supponit, pactum firmari posse Juramento, non solùm spontè, sed etiam interveniente dolo, aut vi præstito: sed etiam nobis est certum, ex Juramento per vim, aut dolum extorto non firmari, seu reviviscere illius obligationem ex Justitia: ergo &c. R. N. M. Pontifex enim dicit quidem, quòd ejusmodi pacto Juramentum vi, & dolo extortum possit adjici, non autem asserit, quòd pactum Juramento taliter extorto firmetur, sed contrarium affirmat: formalia illius sunt: *si tamen Juramento non vi, nec dolo præstito firmatum fuerit, ab eadem omnino servari debebit.* Subintellige *pactum* super renuntiatione hæreditatis futuræ initum: ergo dicit tunc servandum esse, quando Juramentô, quod vi & dolo non fuerat extortum, firmatum fuerit. Ex eo enim, quòd dicat, servandum esse, si firmatum fuerit Juramento non vi, aut dolo extorto; non sequitur, quòd judicaverit, tale pactum etiam Juramento vi aut dolo extorto confirmatum iri. Patet res clariùs: si dixisset; contractus est servandus, si Juramento, quod nec vi nec dolo extor-

tum est, obligatio aliqua Justitiæ fuerit introducta: ex hoc malè inferretur: ergo Pontifex judicat, obligationem Justitiæ introduci posse Juramento, quod per vim aut dolum fuerat extortum. Item si dicam: gratia sanctificans infallibiliter confertur peccatori gravi, si iste in confessione, dolore supernaturali informata, à Sacerdote fuerit Sacramentaliter absolutus: ex hoc malè infertur, me dicere, etiam gratiam conferri, si dolore naturali confessio fuerit informata.

24 Contra eandem conclusionem objicitur ulteriùs. Jus Civile non tantùm nullibi hanc Juramento vim adstruit, sed potiùs oppositum exprimit. Prob. ex *lege non dubium 5 § 1. Cod. de LL.* hic Imperator, postquam dixit, nullum pactum, conventionem, aut contractum valere, qui sit contra legem prohibentem, addit: *Certum est, neque stipulationem hujusmodi tenere, nec mandatum ullius esse momenti, nec Sacramentum admitti:* hoc est Juramentum. ℟. 1. hoc argumento nimium probari, nullum scilicet omnino contractum fore validum, qui contra legem prohibentem fuerat celebratus: sequeretur enim non fore validum Matrimonium ab habente votum simplex castitatis contractum: nec illum, quo res jam uni vendita, necdum tamen extradita, postmodum alteri venditur, atque extraditur: item si aliquis non præmissis denuntiationibus coram Parocho proprio, ac testibus contraheret Matrimonium, foret hoc invalidum: quæ omnia etiam ab Adversarijs negantur. ℟. 2. Posset Legem citatam *non dubium* ab Authentica *Sacramenta puberum* revocatam fuisse: Legem etenim *non dubium* tulit Theodosius: Authenticam verò *Sacramenta puberum* Fridericus II. Imperator, quem Theodosius multis sæculis præcesserat. Respondent alij tertiò in Lege *non dubium* agi de contractibus à jure reprobatis, eò quòd vel turpitudinem accipientis contineant; vel sint contra bonum commune: hi autem contractus etiam juxta nostræ sententiæ patronos Juramento non confirmantur.

Objiciunt ulterius 3. in *lege 112.* 15
§. 4. ff. de legatis. 1. Pronuntiatur. *Jusjurandum contra vim legum, & authoritatem Juris in Testamento scriptum, nullius esse momenti.* Ergo Juramentum non confirmat contractus Jure positivo aliàs nullos. ℟. concessò textu dist. cons. ergo Juramentum non confirmat quemcunque contractum Jure positivo annullatum: conc. non confirmat contractum talem, si vitium ex dispositione Juris per Juramentum tollatur; negatur. ut Juramentum actus, quos Jus positivum annullat, confirmet, necessarium est, ut vitium illud purgetur per adjectum Juramentum, quia igitur id fit in re-

mulis

nuntiatione hæreditatis, non autem in Testamento; ideo ab hoc non bona fit argumentatio ad renuntiationem; verùm quòd hæc gratis non dicantur, ex ipsis duobus textibus colligimus, quorum unus dicit *firmari* renuntiationem: alter autem de Testamento id ipsum negat. Hoc ipsum autem ut faceret Legislator, à diversis rationibus, quæ pro utroque pugnabant, permotus absque dubio fuerit. Ex quibus forsitan hæc non erat postrema: quòd in renuntiatione Juramento firmata agatur de solius renuntiantis præjudicio: in legato autem de præjudicio tertij.

16 Objicitur ulterius 4. *Lex 56. princ. ff. de fidejussoribus & mandatoribus:* ibi: *si quis pro eo, qui libertus non esset, & operas præstiturum se juráſſet, fidejussor erit, non tenebitur:* ergo &c. R. conc. ant. neg. cons. Ratio est, quòd in casu hujus *legis 56.* fidejussor erraverit quoad substantiam dum pro liberto, non autem pro illo, qui libertus non esset, fidejusserat, sic nemo diceret me addito Juramento obligatum ex contractu esse, quo fidejussi pro Petro ut meo consanguineo, si hic postea deprehenderetur, non esse meus consanguineus. Dein, talis, quia in substantia erraverat, neque ex vi Religionis â Juramento introducendæ, obligatur: ergo non est paritas inter legem hanc, & Canonem: *quamvis pactum.*

17 Objicitur 5. *Lex 7. §. 16. ff. de pactis,* ubi clarissimè dicitur, & generaliter statuitur; *quoties pactum à Jure communi remotum est, servari hoc non oportere.* atqui renuntiatio hæreditatis paternæ futuræ est remota à Jure communi: ergo non oportet illam servari. R. 1. cùm hic textus generaliter, & universaliter loquatur de pactis à Jure communi remotis alia autem sint à jure communi remota, quia sunt irritata, alia, quia sunt tantummodo prohibita, hinc sequeretur, quòd etiam pacta solùm prohibita non sint servanda, quòd videtur esse nimium. R. 2. neg. min. eo ipso enim, quòd turpitudo, ac vitium annullans renuntiationem ex dispositione Juris per Jusjurandum tollatur, & purgetur, eo ipso, inquam, cessat renuntiatio esse remota à Jure communi, hoc est, non amplius est annullata. Non secus ac contractus sine debita solennitate celebratus dicitur à Jure remotus, & annullatus, non autem, si solennitas requisita accesserit.

18 Objicitur 6. Si ex modo allatis textibus nullitas renuntiationis etiam juratæ nequaquam eueretur, ratio foret, quia illi postmodum correcti fuerant per *Authenticam: Sacramenta puberum Cod. si adversus venditionem*: hæc ratio nulla est: prob. min. asseritur hoc sine ullo fundamento: ergo &c. 2. Imperator non potest specialem vim tribuere Juramento tanquam actui spirituali, circa quem ipsi

ipsi nulla est Jurisdictio & potestas. 3. Ibidem est sermo de actibus validis : prob. ex *Rubrica*, sub qua ponitur illa Authentica ; quæ est *de Restitutione adversus venditionem*, impetranda per authoritatem Judicis, adeoque de contractibus rescindendis : rescindi autem non possunt, nisi validi sint, & restitutio non habet locum in contractibus invalidis : partim quia in textu ponitur, *non retractandis* : sed contractus, qui validi non sunt, retractari nequeunt.

Respondeo. nego Majorem : solutio enim, quam allatis contra nos textibus subjunximus clarè demonstrat, sententiam nostram in prædicta Authentica *Sacramenta puberum* nequaquam fundatam esse : hinc superfluum duximus fore, si longam disputationem institueremus, an prædicta Authentica de validis aut invalidis contractibus loquatur.

19 Ad 2. Itaque probationem reponimus, Imperatorem *in cap. quamvis de pactis* : non tribuere aliquam vim ipsi Juramento, sed ipsi renuntiationi, quam vult esse validam, si eidem accesserit Juramentum : prout valorem nonnullis, aliàs annullatis contractibus attribuit, si certa solennitas, v.g. si in scriptis concipiantur, eisdem accesserit. Tertio loco allata probatio non premit, quia nostram opinionem in prædicta Authentica nequaquam fundatam volumus.

Objicitur 7. Jus Canonicum nec potuit Juramento dare vim firmandi contractus à Jure Civili irritatos : nec voluit : non potuit, quia Pontifex nihil potestatis habet in ea, quæ statuit Jus Civile in materia profana, & pro Laicis, ut habet communis sententia. nec voluit, quia non est credibile, quòd Pontifex voluerit præsidium à Jure Civili filijs in puncto renuntiationis paternæ concessum, per Jus suum Canonicum denuo aufferre non sine gravi illorum præjudicio. R. neg. utrumque membrum antecedentis : in probatione primi membri negati iterum negatur antec. Ratio est, quia Pontifex etiam de materia sibi non subjecta potest disponere, posito quòd ista saluti animarum, & communi Ecclesiæ bono expediat : ut patet ex eo, quod contra dispositionem Juris Civilis ad præscriptionem requisiverit bonam fidem. atqui expedit, si talia Juramenta Confirment renuntiationem aliàs Jure Civili in commodum filij renuntiantis annullatam. prob. min. aliàs aperiretur via perjurijs : ergo hoc saluti animarum, & communi Ecclesiæ bono expedit. Quòd autem etiam voluerit, ex hoc ipso duplici fundamento, propter quod potuit confirmare tales renuntiationes, eruimus, cùm Religio & commune bonum Ecclesiæ præferenda sint bono privato.

20

Ur-

21 Urgent Pontifex *in cit. cap. quamvis pactum* adjecto tali Juramento ſolam vim & obligationem Religionis, non autem juſtitiæ attribuit: ergo &c. prob. ant. ratio, ob quam ejuſmodi Juramenta ſervari velit, ſolam obligationem Religionis inducit: ergo &c. prob. ant. ratio adducta eſt hæc ſola: *quòd impletio hujus Juramenti non redundet in alterius præjudicium, nec vergat in diſpendium ſalutis æternæ:* ſed hæc innuit ſolam obligationem Religionis: ergo. R. neg. ant. in prob. diſt. ant. ratio allata inducit ſolam obligationem Religionis, ita, ut Pontifex tamen utatur verbo ſignificante obligationem juſtitiæ: conc. ant. ut tali verbo non utatur: neg. ant. & conſ. Pontifex aſſerit *firmari contractum*: ſeu pactum, & hoc obſervandum eſſe, ſeu obligationem oriri ex pacto: atqui obligatio ſolius Religionis non oriretur ex pacto, ſed ex Juramento: & hoc, non autem pactum, quod ponitur fuiſſe nullum, foret ſervandum.

22 Poſitivam autem hanc obligationem juſtitiæ, quod intenderit per Juramentum introducere ipſe Pontifex ulterius hac ratione probari poterit, juxta adverſarios tale Juramentum inducit obligationem Religionis: ergo antecedenter ad ipſum Juramentum, ſub hujus tamen conditione, & per reſpectum ad iſtud, validas & firmas effecit, ſeu confirmavit ejuſmodi renuntiationes. prob. conſ. ſi hoc Pontifex non feciſſet, ex tali Juramento neque obligatio Religionis oriretur: ergo. prob. ant. eſſet Juramentum de actibus vanis, nullis, atque à lege prohibitis: ergo nullam induceret obligationem Religionis. prob. conſ. ut Juramentum inducat obligationem Religionis, debet eſſe de materia alicujus virtutis, non autem de re tantum vana; atqui non eſſet de tali materia, ſi renuntiatio non fuiſſet à Pontifice confirmata: ergo. prob. Maj. Juramentum eſt adductio ipſius Dei in teſtem alicujus rei: item obligat ex reverentia erga Deum: atqui Deus non eſt adducendus in teſtem rei vanæ &c. nec aliquis ex reverentia erga Deum poteſt obligari ad rem vanam, inutilem: ergo. prob. min. non eſſet de materia juſtitiæ; cùm renuntiatio juxta adverſarios eſſet nulla, & irrita: non eſſet de materia fidelitatis. prob. renuntiatio eſt nulla, ergo non poteſt inducere fidelitatem, cùm hæc ſit pars poteſtativa juſtitiæ, & obliget, ut aliquis verum faciat, quod dicit: non eſſet de materia Religionis: prob. Juramentum non facit, ut materia, de qua præſtatur, evadat materia Religionis: ergo cùm independenter à Juramento renuntiatio non eſt materia Religionis, neque erit Juramentum de materia Religionis, non eſſet de materia charitatis propriæ, quia ex

hac renuntiatione nulla utilitas sed potius detrimentum redundat in renuntiantem : ergo patet, quòd neque Religionis obligationem tale Juramentum induceret : ergo si ex mente adversariorum ex Religione obligat, Pontifex, antecedenter ad Juramentum sub hujus tamen conditione, & habito ad istud respectu constituit, renuntiationem in materia justitiæ reddens eandem validam.

23 Dices : Juramentum de non solvendis usuris obligat ex virtute Religionis, & tamen non est de materia alicujus virtutis : ergo nulla est nostra modò adducta ratio. R. illud Juramentum esse de materia spectante ad charitatem propriam, quæ exigit, ut usurario promissum solvatur ad redimendam vexam propriam.

24 Dices 2. Cum Lessio, Rebello, & Suarezio Juramentum hoc non cadere immediatè supra renuntiationem hæreditatis futuræ, sed supra promissionem non contraveniendi huic renuntiationi : atqui hæc promissio non contraveniendi non est res inanis, ac nulla, vel legibus prohibita : ergo &c.

Respondeo : nego minorem : ratio est : si renuntiatio hæc à legibus fuit annullata, tunc etiam annullata ab ijs fuit promissio non contraveniendi huic annullatæ renuntiationi. prob. in *lege non dubium* : *Cod. de LL.* ita legimus : *sed etsi quid fuerit subsecutum ex eo, vel ob id quod interdicente lege factum est, illud quoque cassum, atque inutile esse præcipimus* sed promissio non contraveniendi renuntiationi annullatæ est subsequens ex renuntiatione à legibus interdicta : ergo & ista promissio est annullata.

Conf. leges annullantes renun- 25
tiationem forent inefficaces ac frustraneæ, si se non extenderent quoque ad annullandam promissionem non contraveniendi renuntiationi factæ : sed non sunt inefficaces ac frustraneæ : ergo etiam hanc annullant. Prob. Maj. si promissio non contraveniendi non fuisset per ipsam legem pariter annullata facillimè lex annullans renuntiationem eluderetur : quia hujus nullitas statim posset elidi, cogendo renuntiantem, ut promittat, se nolle contravenire : ergo &c.

Conf. 2. Juramentum cadens 26
supra promissionem non revocandi renuntiationem à juribus annullatam etiam caderet supra rem inanem, nullam, & juribus annullatam ; supra ipsam scilicet promissionem, quæ nullius virtutis actus foret : ergo si ob hanc rationem nullum est Juramentum cadens supra ipsam renuntiationem, etiam nullum erit, quod cadit supra promissionem non contraveniendi huic inani, atque annullatæ renuntiationi. prob. Maj. fidelitas & justitia obligant ad

ad ſervandum promiſſum in rebus honeſtis, atque utilibus. Sed facta talis promiſſio non obligaret ad iſta : ergo non ſpectaret ad materiam fidelitatis, aut juſtitiæ.

27 Conf. qui promittit non contravenire renuntiationi vanæ atque inutili, rem vanam atque inutilem approbat, & confirmat, ſed approbatio, & confirmatio contractus nullius & vani eſt etiam nulla : ergo talis promiſſio eſt nulla : prob. min. promiſſio efficiendi contractum nullum eſt nulla : ergo etiam promiſſio, quæ approbat & confirmat nullum, atque inutilem, eſt nulla. prob. conſ. promiſſio approbans, & confirmans contractum nullum eſt promiſſio perſeverandi in contractu nullo, ſed talis promiſſio eſt etiam nulla, prob. min. promiſſio efficiendi contractum nullum eſt nulla, quia eſt promiſſio rei vanæ : ergo etiam promiſſio perſeverandi in contractu vano erit nulla cum etiam ſit promiſſio rei vanæ.

28 Objicitur §. *In cap. 6. de jurejurando* declarat, & vult Pontifex, ut Juramentum de ſolvendis uſuris præſtitum obliget vi Religionis, non autem ex virtute Juſtitiæ : & tamen nullam aliam rationem hujus ſuæ voluntatis affert, niſi, quia executio Juramenti non redundat in præjudicium tertij, nec vergit in diſpendium ſalutis æternæ : ergo ſicut de uſuris loquens ſolam obligationem Religionis inducit, ita etiam hanc ſolam inducet in renuntiatione futuræ hæreditatis Paternæ. ℣. 1. in *citato cap. 6. de Jurejurando* tantùm dici, quòd ſi debitores *de ipſarum* (intellige uſurarum) *ſolutione juraverint, cogendi ſunt Domino reddere Juramentum.* non autem addit, ideo hoc eſſe faciendum, quia Executio Juramenti non vergit in diſpendium ſalutis æternæ. ℣. 2. etſi eandem hanc rationem addidiſſet, vel etiam ex hac fuiſſet permotus ad hoc *in cit. cap. 6.* ſtatuendum, clara tamen apparet diverſitas inter unum & alterum capitulum, in hoc enim *capitulo ſexto* aſſerit, *Juramentum eſſe reddendum : in capitulo quamvis pactum : de pactis in 6.* non dicit *Juramentum* ſed *pactum omnino ſervari debere.* Item in hoc *capitulo quamvis pactum* dicit, pactum Juramento *firmatum* eſſe ſimile quid non invenitur in *cap. 6. de Jurejurando* ergo eadem ratio ad plura ſtatuenda Pontificem permovit in materia renuntiationis, quàm in materia contractus uſurarij & fortè ob hanc cauſam ; quia uſurarius iniquè, ac injuſtè, invitum mutuatarium cogit ad Jusjurandum : ergo in odium illius promiſſio uſuræ etiam Juramento non debebat confirmari. contrarium accidit in renuntiatione, ubi ponitur Jusjurandum fuiſſe libe-

rum, nullo metu aut dolo extortum, hinc expresè Pontifex addit: *si Juramento non vi nec dolo præstito firmatum fuerit*, ergo major habebatur à Pontifice ratio, ob quam potiùs moveretur ad statuendum, ut Juramento liberè præstito confirmaretur renuntiatio hæreditatis paternæ, quàm contractus usurarius.

Maneat ergo, quòd talis futuræ hæreditatis renuntiatio in gratiam parentis à filia facta, insuper liberè ac voluntariè Juramento munita, isto confirmetur, & ex obligatione justitiæ renuntiationem revocare ipsa filia sine relaxatione Juramenti nequeat, nisi ipse Pater ultro hanc obligationem eidem remiserit.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An & qualiter ab hac obligatione liberari renuntians filia possit?

29 ATtendendum, quot annorum filia fuerit, quando paternæ hæreditati futuræ renuntiaverat. Sciendum secundò aliter procedendum in sententia defendentium, Juramentô nullam obligationem justitiæ in hoc casu induci, & aliter si supponamus ejusmodi renuntiationes adjectô Juramentô confirmari. 3. Advertimus modos, queis liberari à Juramento possumus, esse irritationem, relaxationem, aut condonationem Juramenti.

30 Irritatio itaque Juramenti est actus potestatis dominativæ, quo superior omnino aufert rationem ac obligationem Juramenti subdito. Quòd si supponatur, Juramentum renuntiationi adjectum, hoc pactum nequaquam confirmare, à parentibus ejusmodi suorum liberorum Juramenta, quæ ut impuberes prædicto contractui adjecerunt, irritari posse, affirmat Palao *de Juram. disp. 3. pu. 2. n. 1. versu 6.* cum communi: ratio est juxta Lessium *lib. 2. cap. 42. dub. 12. n. 61.* quòd parentes talium impuberum vota irritare possint, jura verò nihil in contrarium de Juramentis decreverint: ex altera parte impuberes sui Juris nequaquam censeantur esse, sed parentum aut tutorum regimini subjecti, imo cùm sententia negans tales renuntiationes Juramento confirmari, sit multùm probabilis, absolutè nullâ determinatâ sententiâ ex istis suppositâ, irritari à Patre poterit. Lessius etiam *l. 2. de Just. c. 17. n. 51. cum* la Croyx. *lib. 3. par. 1. de Juramento num. 358.* affirmat, etiam in utilitatem hominis præcipuè facta irritari à parentibus posse. Rationem afferunt,

runt, quòd vota impuberum consensum Patris involvant propter immaturitatem ætatis, & judicij in impubere. Quòd si aliquis tueatur ex tali jurata renuntiatione nec Religionis, nec Justitiæ obligationem productam fuisse, nulla omnino irritatione opus erit.

31 Si autem Juramentum renuntiationi huic à filia, vel filio jam pubere, adhuc tamen minorenni adjectum, ponatur istud pactum confirmare, à parentibus illud nequaquam irritari poterit, aut à tutoribus. Ita Lessius *lib. 2. cap. 42. de Justit. dub. 12.* Palao *de Juram. disp. 3. pu. 2. n. 1. verbo sexto.* non enim poterit irritari, eò quòd voluntas jurantis adhuc parentibus subjecta fuerit, cùm jurans ponatur jam fuisse pubes. Non ratione materiæ: licèt enim de bonis paternis dispositio aliqua fuerit facta, quia tamen hæc renuntiatio in illud dilata tempus fuit, in quo non amplius defuncto Patri subjecta erunt, non poterit Parens hanc juratam renuntiationem irritare ex eo titulo, quòd sibi, & suo Juri præjudicare possit; quamdiu enim Parens vixerit, de suis rebus disponendi plenissimum adhuc Jus, ac facultatem retinet.

32 Quia autem Parens, in cujus gratiam hæc renuntiatio instituta fuerat, obligationis hujus Creditor evasit, hinc remissione seu condonatione illius prædicta obligatio filij, aut filiæ aufferri poterit. Ita communis: prob. cùm cuilibet datum sit debita sibi remittere ideo quilibet Creditor, in cujus gratiam atque commodum jurata promissio fuit facta, potest suo debitori remittere debitum: ergo si Parens est Creditor, poterit debitori filio hanc obligationem remittere, atqui si Parens Creditor hanc obligationē remittat, est etiam sublata obligatio Juramenti: ergo Parens ut Creditor potest hanc obligationem filio, aut filiæ remittere. Prob. ant. subsumpti, obligatio hæc est fundamentum Juramenti: nam in tantum Deus jurantem vult obligatum, in quantum eundem optat obligatum ille, in cujus gratiam Juramentum conceptum fuit: ergo si Creditor remittit obligationem, etiam Deus censetur remittere ex Juramento resultantem.

Dices, Creditorem posse remit- 33
tere sibi debita, si remissio non necessariò debeat esse actus Jurisdictionis spiritualis, conceditur: si sit necessariò talis, negatur, quòd autem debeat esse actus spiritualis Jurisdictionis, rationem dabis, quia hæc remissio est relaxatio Juramenti, & hæc est quid spirituale: ergo &c. Sed contra: talis remissio non est propriè dicta relaxatio Juramenti, nec alius quidam actus Jurisdictionis spiritualis juxta Sanchezium *lib. 3. cap. 19. n. 1. & cap. 20. n. 4.* Bonacinam *disp. 4. q. 1. de Juram. pu. 17. n. 1.* Palaum *de Juram. disp. 3. pu. 2. n. 2.* Prob. ant. remissio hujus debiti est actus dominij in materiam promissam, & hinc

hinc potiùs ad irritationem reducitur. Ex eo enim, quòd renuntiatio in gratiam Parentis fuerit facta, illa quasi subjecta fuit dominio Parentis: ergo &c. Ex hoc ipso videtur colligi, si in bonum, atque favorem cæterorum fratrum cum consensu tamen Parentis fuisset hæc renuntiatio facta, remissionem istam ab ejusmodi fratribus obtinendam esse.

34 A remissione ad relaxationem, quæ est tertius modus tollendi obligationem Juramenti, progredimur. Definitur ista, quòd sit operis præstandi in utilitatem hominis, vel communitatis ab his ipsis facta remissio. ex hoc colliges, in quo differat relaxatio à dispensatione, quæ est actus Jurisdictionis, quo obligatio operis principaliter in honorem Dei præstandi, sine præjudicio alterius dominij contracta, penitus extinguitur.

35 De hac Juramenti in utilitatem hominis concepti relaxatione communiter asseritur, quòd per se loquendo relaxari ab illo solo possit, cui factum & à quo acceptatum est: ita cum communi tenent Busenbaum, Tab. Arm. Sayr. Lopez, Vivaldus, Suarez, Lessius, Sanchez, Escobar, Mendo, Lugo *de Just. disp. 23. n. 94.* Prob. per talem juratam promissionem à se acceptatam promissarius obtinuit jus quoddam ad rem taliter sibi promissam: ergo cùm nemo absque justa causa semel acquisito Jure sit spoliandus, etiam hic non poterit: sed relaxatio Juramenti spoliaret, cùm sit ablatio obligationis: ergo &c.

Cùm verò bonum privatum de- 36
beat communi cedere, ac postponi, ideo si communitatis bonum expostulet, ut promissarius spolietur hoc suo per tale Juramentum acquisito Jure, ab habente curam, & procurante bonum commune, si hic in foro quoque interno Jurisdictionem habeat, tale Juramentum relaxari, & promissarius spoliari suo Jure poterit. Cùm igitur ejusmodi potestas maximè ad Pontificem tanquam supremum Dominum spectet, vel maximè etiam hic talia Juramenta relaxare poterit: & præter istum in certis quoque casibus ipsi Episcopi.

Præterea, cùm crimina tam pœ- 37
nâ pecuniariâ, quàm privatione cujusdam antea possessi juris puniri ac plecti possint, hinc loco pœnæ ademptio juris, crimine aquisiti, infligi poterit: tale crimen commissum fuit, si metu injusto aut injuria illata alter ad juratam promissionem iniquè compulsus fuerit: vel si de licentia rei juratæ incertitudo, & dubium habeantur: in quibus circumstantijs, & Papæ & Episcopis potestas relaxandi concessa creditur, cùm ad officium Episcopi spectare judicetur, declarare, quid licitum, & quid illicitum sit. Ex his suppositis

Dico 1. Si ponatur, hoc Ju- 38
ramento renuntiationem futuræ hæreditatis, à positivis legibus re-

pro-

probatam, nequaquam confirmatam fuisse; ab Episcopo jurantis, vel Prælato, si adsit justa causa, potestate ordinaria relaxari poterit. Ita communis. prob: Episcopus potest ex justa causa remittere obligationem Religionis, quæ in nullo jure alterius fundatur: sed obligatio prædicti Juramenti est tantùm Religionis in nullo justitiæ jure ex parte promissarij fundata: ergo &c. Prob. Maj. Episcopus agit Personam Dei, qui facilè remittit obligationem urgente causa: ergo &c. Conf. *ex c. 1. & c. debitores de Jurejurando.*

39 Utrùm autem hoc in alterius utilitatem quidem editum, per se tamen stans Juramentum relaxare ex potestate delegata possint, qui delegatam facultatem dispensandi in votis possident, examinare hîc noluimus. Palao item Layman. *lib. 4. tract. 3. c. 11. n. 8.* probabiliorem judicant esse sententiam negativam, eò quòd tale Juramentum, licèt per se stet, voto tamen neutiquam æquiparari, & hinc neque arbitrio Jurantis in meliorem materiam mutari possit: affirmativam ex oppositio amplectuntur Tamburin *lib. 3. in decalog. c. 7. §. 3. n. 8.* Ledesma: Rodriquez, Eman. Saa ab eodem Tamburino pro hac sententia etiam adducuntur Pontius *lib. 8. de Matrim. cap. 11.* Suarez *tract. de voto lib. 6. cap. 14.*

40 Dico 2. Si ponatur, hoc Juramento promissionem aliàs legibus Civilibus annullatam, confirmatam convaluisse, quid in hoc casu faciendum ex dictis in hoc §. colligendum.

Scilicèt absque justa causa prædictum Juramentum in gratiam Parentis factum à Pontifice nec relaxari, nec commutari posse, ratio prioris est; quia nemo suo Jure absque gravi causa est spoliandus; ratio ultimi verò, quia unum pro alio, invito Creditore, solvi nequit, ut habetur *lege mutuum ff. si certum petatur.* Abbas *cap. pervenit de Jurejurando* Sylvester *verbo Juramentum 4. q. 20.* Sanchez *lib. 3. summæ cap. 21. n. 3.*

Dico 3. Si filia ex hac renuntiatione passa fuerit enormissi 41
mam Læsionem tunc probabilissimè Beneficio *legis 2. Cod. de rescindenda venditione*: petere rescissionem hujus contractus poterit, etiamsi renuntians jam majorennis fuerit, ita sentiunt Antonius Gomez *tom. 2. variar. cap. 14. n. 20.* Guttierez *Authent. Sacram. puberum n. 87.* Fachinæus *lib. 8. controversiarum cap. 69.* prob. Juramentum tali deceptorio contractui adjectum nequaquam hunc confirmat: ergo &c. prob. ant. Juramentum simpliciter appositum non purgat duo vitia, sed unum tantùm; sed hîc duo vitia purgaret, nullitatem scilicet ex prohibitione legis Civilis provenientem, & ipsam læsionem enormissimam, ergo &c. ant. prob.

allo-

authoritate Seraphini *de privilegiis Juramentorum: privileg. 83. n. 44.* Menochij *consil. 29. n. 40. volum. 1.* cùm autem in hunc finem necessarium sit scire, quænam Læsio enormissima sit vocanda, innuimus ad mentem Molinæ *de Hispanorum primigenijs lib. 2. cap. 3. n. 18.* decidendum hoc esse ex arbitrio prudentis, juxta alios Doctores Læsio enormissima habendâ, quæ in duplo vel quadruplo excedit.

42 Dices 1. In similibus casibus facta est transactio: sed transactio ex dispositione Jurium non rescinditur ob quamcunque Læsionem: ergo neque ista renuntiatio. R. neg. Maj. ratio est, quòd transactio semper supponat litem, vel timorem litis: atqui in tali casu nil tale adfuit: ergo non fuit transactio, sed mera conventio celebrata, ob suam injustitiam rescindenda.

Dices 2. Juxta *legem 1. ff. de transactionibus* & *legem Modestinus: ff. de donationibus*: omnis renuntiatio est donatio: atqui donatio ex liberalitate orta nequaquam rescinditur ob læsionem: ergo &c. R. neg. min. cùm enim renuntiatio ponatur fuisse facta ob dotem, hinc non est mera donatio.

Dices 3. Talis filius, aut filia non renuntiat Juri quæsito, sed primùm quærendo: ergo in illa non habenda est ratio cujusdam læsionis. Prob. cons. Jus quærendum est semper incertum: ergo &c. R. conc. ant. neg. cons. in prob. dist. ant. Jus quærendum est semper incertum; ita tamen, ut hæc spes incerta etiam de præsenti æstimetur, conc. ant. ut hoc non fiat, nego ant. & dist. cons. ergo non est illius habenda ratio, si in illius spei de præsenti æstimatione nulla læsio enormis contigerit: conc. si talis intervenerit: nego.

Dices 4. Pater dum filiæ, aut filio dotem concedit, meritò debet præsumi consulere bono suæ filiæ magis quolibet alio: ergo non potest allegari læsio: R. dist. ant. debet hoc præsumi, quamdiu non certo constet contrarium: conc. si hoc certò constet, prout contigit, quando adest læsio enormissima, nego.

IN-

INDEX RERUM ET VERBORUM.

Aliena & Alienatio.

ALienæ in ſpecie res non poſſunt alienari fol. 23. n. 1.

Niſi creditores fuerint perſonales, & alienans ex alienatione non evaſerit impotens ad ſolvendum. fol. 23. n. 2.

Alienari res poteſt, licet alienans fuerit impotens ad ſolvendum; modò ex hoc non evaſerit magis impotens. fol. 24. n. 3.

Res quot modis alienæ poſſint eſſe. fol. 130 n. 5.

Cambium.

Lucrum ex cambio cum aliena pecunia facto reportatum ipſius permutantis fieri poteſt. fol. 383. n. 4.

Cenſus.

Cenſuum natura explicatur fol. 260. n. 1.

Diviſio. n. 2. 3. 4.

Cenſualis contractus, in quo à mutuo differat. fol. 261. n. 5.

Juſtitia pretij in hoc contractu ex quo ſit deſumenda. fol. 262. n. 7.

Cenſus annuus 6. florenorum illicitè emitur centum, ubi ſtatutum contrarium adhuc viget. fol. 266. n. 21.

Cenſus vigente adhuc legari pretio ſunt comparandi, licèt hoc minus ſit vulgari. fol. 266. n. 22. & 23.

Etiam remoto periculo amittendi cenſûs ſubinde plus poterit accipi. fol. 268. n. 24.

Num major census possit exigi si periculum consueto majus detur fol. 268. n. 25.
Quidsi censuarius non coäctus ultrò plus censualistæ ad hoc rogato offerat? fol. 268. n. 26.
Census personalis nullo jure naturali est prohibitus, fol. 269. n. 29 30.
Pereunte personâ perit jus percipiendi aliquid ex fructibus industrialibus illius, non autem ex bonis aliter acquisitis. fol. 271. n. 33.
Census personalis quandonam à persona ad lucrandum inhabili possit exigi. fol. 271. n. 34.
Census realis ex re uno vel altero anno infructifera subinde expeti potest fol. 271. n. 35.
Censu personali admisso num adhuc usura exerceri possit? fol. 271. n. 36. & seqq.
Censuarii vendentes possunt liberè renuntiare pretio, in favorem illorum constituto. fol. 275. n. 46.

Chirographa.

Chirographa minore, quàm ordinario pretio emi possunt ob lucrum cessans, aut damnum ementi emergens. fol. 103. n. 2.
Uti etiam si nullum damnum ementi eveniat, aut nullum lucrum cesset per accidens, quando tamen hæc in alijs communiter dentur. fol. 105. n. 7.
Omnibus his positis possunt tamen chirographa pretio adæquante debitum distrahi, atque vendi. fol. 107. n. 12.
Quid liceat, si ordinariè, ac communiter nullum tale damnum, aut lucrum cessans ex chirographo dentur. fol. 111. n. 19.
Quid in his liceat præfectis ærarij. fol. 113. n. 21. 22. 23. & 24.

Commodatum.

Commodati natura explicatur. fol. 53. n. 1.
Commodati à cæteris contractibus differentia. fol. 54 n. 3.
Commodatarius solummodò tenetur facere expensas minores in rem commodatam. fol. 54. n. 4.
Commodatarius per se non tenetur ad curationem equi. fol. 55. n. 5.
Nisi culpam in usu equi commiserit. fol. 55. n. 6.
Excusatur etiam in casu fortuito. fol. 55. n. 7.
Si iste commodatarij culpam non fuerit subsecutus. fol. 56. n. 8.
Aut à commodatario in se non fuerit susceptus. fol. 56. n. 9.
Vel nisi culpabilis mora in restitutione intervenerit. fol. 56. n. 10. & 11.
Commodari res potest vel in solius commodantis gratiam; vel in solius commodatarij, vel in utriusque. fol. 57. n. 12.
In primo supposito commodatarius tenetur de solo dolo, & culpa Theologicè gravi. fol. 57. n. 13.

Com-

Commodatarius ex re in illius solius gratiam concessa tenetur per se omnem & solam illam diligentiam adhibere, ad quam communiter commodatarij in his circumstantijs se obligant. fol. 59. n. 16.
Et ad quam à LL. obligatur. fol. 59. n. 17.
Non tamen ante sententiam extra culpam theologicam. fol. 60. n. 18.
Culpa levis in certo sensu est etiam culpa lata. fol. 66. n. 24.
Commodatarius se obligat juxta LL. prout istæ sunt in usu. fol. 67. n. 26.

Compensatio.

Compensationi locus datur, quando salarium minus est infimo congruo. fol. 8. n. 11.
Et hoc ipsum clarè pateat. fol. 9. n. 12.
Neque ex alijs circumstantijs sit illicita. fol. 9. n. 13.
Compensatione occulta utens, ad quid sit obligandus. fol. 10. n. 19.

Conductor.

Conductor in quonam sensu ad ordinariam duntaxat curam obligetur. fol. 233. n. 21.
Non est obligatus ex culpa formaliter Levi. fol. 234. n. 23.
Conductores in mora restituendi rem conductam subinde sunt culpabiles. fol. 236. n. 26.
Casus fortuitus describitur. fol. 236. n. 27.
Rem ex levissima sua culpa deperditam, si nulla culpabilis mora in restitutione præcesserit conductor non tenetur compensare. fol. 236. n. 28.
Aut post moram inculpabilem casu fortuito res conducta perierit. fol. 236. n. 29.
Neque Conductor ad casum fortuitum se obligaverit. fol. 236. n. 30.
Quidsi post moram culpabilem res casu perierit? fol. 237. n. 31.
Quid si eodem infortunio apud locatorem quoque perijsset? n. 32.
In dubio videtur etiam esse obligatus fol. 238. n. 33.
Conductor de restitutione à locatore admonitus, & omittens restituere, est culpabilis. fol. 239. n. 35.
Idem tenendum, si in contractu de tempore restitutionis fuerit conventum. fol. 239. n. 36.
Aut conductor adverterit moram omnem sibi illicitam esse. fol. 239. n. 37.
Culpa tamen in restitutionis omissione commissa debet esse mortalis. fol. 239. n. 39.
Nisi conductor se aliter obligaverit. fol. 240. n. 40.
Absque hoc non erit obligatus, si post moram venialiter culpabilem ex illius levi, aut levissima culpa conductum perierit. fol. 240. n. 41.

Conductio.

Conductio agrorum qualiter fieri à Religiosis debeat, ut illis non sit illicita. fol. 560. n. 15. & seq.

Conducere agros qualiter religiosis liceat. fol. 562. n. 16. 17. &c.
Conductio agrorum potest esse societas. fol. 564. n. 22.

Consuetudo.

Consuetudo, seu Ecclesiæ traditio vota simplicia metu gravi extorta annullat. fol. 418. n. 13.
Consuetudo, in quo à præscriptione differat fol. 496. n. 5.
Consuetudo legitima quales conditiones exigat. fol. 499. n. 10.
Consuetudo ex actibus peccaminosis potest introduci. fol. 500. n. 11.
Qualis consuetudo exemptionem à solvendis decimis conferat. fol. 500. n. 12.

Contractus.

In quibus circumstantijs à contractu licitè recedi possit. fol. 3. n. 1.
Contractus aliqui possunt esse validi sine translatione dominij. fol. 15. n. 7.
Non omnes contractus sunt invalidi, qui omissi fuissent, si vitium quoddam fuisset cognitum. fol. 152. n. 27.
Valet contractus, si qualitates sub dubio fuerint apprehensæ; & ab emptore non examinatæ. fol. 162. n. 3.
Aut examinatæ quidem, ad contrahendum tamen non permoverint. fol. 163. n. 5.
Contractus sunt irriti, si error circa substantiam rei, aut principale motivum intervenerit. fol. 162. n. 1.
Subsistent tamen cum errore solùm incidente. fol. 162. n. 2.
Stricti juris subsistunt, licèt dolus eisdem causam dederit. fol. 163. n. 6.
Nec jure positivo infirmantur, queis dolus causam dederat. fol. 165. n. 8.
Contractus bonæ fidei non annullantur, præcise ex defectu bonæ fidei in altero contrahente. fol. 166. n. 9.
Ex ficto consensu nulla oritur obligatio. fol. 171. n. 21.
Contractus etiam purè lucrativi, metu gravi extorti valent. fol. 418. n. 14. & 419. n. 19.
à Sponsis initus valet, etsi in tempus mortis sit relatus. fol. 440. n. 18.

Contrahentes.

Contrahentium circumventio potuit esse materialis tantùm, aut formalis. fol. 181. n. 1.
Contrahentes qualiter se circumvenire licitè possunt. fol. 184. n. 10.
Contrahentes non semper sibi condonant excessum, vel defectum pretij. fol. 185. n. 11.

Creditores.

Creditores si Hypothecam in re à debitore alienata constitutam habeant; vel hanc, vel pretium pro eo expetere poterunt. fol. 34. n. 21.
Secus dicendum, quando nullam specialem in tali alienata re sed generalem in omnibus bonis

nis debitoris hypothecam habuerint, fol. 35. n. 22.

Damnum.

Damnum illatum in solutione pretij promisso minoris est certò reparandum. fol. 182. n. 4.

Debitum.

Debitum ordinario pretio vendi non potest, cui solvendo debitor impotens esse scitur. fol. 147. n. 9.

Deceptus & Decipiens.

Deceptus potest rescindere contractum, cui deceptio circa qualitates accidentales duntaxat versans ex culpa alterius contrahentis causam dederat. fol. 167. n. 13.

Licet decipiens obligetur firmiter. fol. 168. n. 14.

Deceptus revocabiliter duntaxat obstrictus manet. fol. 168. n. 15.

Decipiens ratione contractûs, non autem ratione injuriæ alteri illatæ, firmiter obligatur. fol. 169. n. 17.

Et quidem probabiliùs, licèt nullum damnum ex hac injuriâ deceptus passus fuerit. fol. 169. n. 18.

Deceptor inculpabilis non tenetur deceptionem cum magno suo damno impedire. fol. 173. n. 26.

Nisi in certo casu. n. 27.

Deceptor absque sententiâ judicis resilire poterit, suppositâ rescindibilitate contractûs. fol. 176. n. 31.

In decepto datur perpetuum jus in ordine ad exceptionem. fol. 177. n. 34.

Deceptus rescindere contractum potest, si dolus vendentis interceserit. fol. 177. n. 39.

Deceptio.

Deceptio inculpabilis dans quidem causam contractus; versans tamen circa motiva, & causas extrinsecas, contractum non annullat. fol. 174. n. 28.

Deceptio si à tertio processerit, contractus est validus, & irrescindibilis. fol. 174. n. 29.

Quod non procedit in sponsalibus. fol. 175. n. 30.

Decimæ.

Decimas laici percipere possunt duplici modo. fol. 447. n. 1.

Jus decimandi quomodo acquiri possit. fol. 448. n. 2.

Aliud est primarium, aliud secundarium. fol. 448. n. 3.

Decimæ non possunt sine authoritate Ecclesiastica concedi non fungenti ministeriis sacris. fol. 448. n. 4.

Parochus quomodo concedere decimas laicis possit. fol. 148. n. 5.

Quòd Superior ex justa causâ in alienationem decimarum consenserit, asserenti probandum erit. fol. 450 n. 8.

Sine qua non erit valida illarum alienatio. fol. 450. n. 9.

In dubio quid tenendum. fol. 450. n. 11.
Quòd decimæ cum legitimi Superioris consensu, & non gratuitò alienatæ fuerint, Laico probandum erit. fol. 452. n. 18.
Quem à probatione non subleuat possessio. fol. 453. n. 19.
Immunitatem à solvendis decimis etiam Laici præscribere possunt. fol. 455. n. 23.
Decimæ non habent rationem tributorum. fol. 455. n. 25.
Ad decimas nullum jus pauperibus competit. fol. 455. n. 27.
Qualiter sint juris Divini. fol. 456. n. 28.
Definiuntur decimæ. fol. 463. n. 1.
Ex quibus successor decimas persolvere teneatur. fol. 464. n. 3.
Decimæ quomodo prædiis inhæreant. fol. 468. n. 11.
Cur etiam pagani & Judæi decimas solvere teneantur? fol. 469. n. 14.
Hæres immediatus & universalis tenetur solvere decimas sui antecessoris. fol. 470. n. 15.
An decimæ ex eodem agro bis consito, sint bis solvendæ? fol. 472. n. 17.
Decimatorum diversitas. fol. 482. n. 13.
Patronus decimas percipiens tenetur ad reficiendam Ecclesiam. fol. 482. n. 14.
Uti & Decimatores Ecclesiastici. n. 15.
Num etiam Laici. fol. 483. n. 16. & seq.
Decimatores num obligari possint ad magis sumptuosas ædes Parochianas ædificandas. fol. 488. n. 28.
Antequam reparetur Ecclesia ex sumptibus decimatorum, isti erunt monendi. fol. 489. n. 29.
Decimas solvendi obligatio omnino tolli, vel etiam mitigari potest. fol. 496. n. 2.
Non tamen respectu omnium fidelium. fol. 497. n. 3.
Non debentur jure Divino. fol. 497. n. 4.
Qualiter ministris Ecclesiæ debeantur. fol. 497. n. 5.
Quid si istis aliunde jam sit prospectum, num tunc præscribi possint. fol. 498. n. 6. & 7.
Jus decimandi differt ab exemptione illas solvendi. fol. 498. n. 8.
Forma eas solvendi potest esse varia. fol. 504. n. 22. & seqq.
Certa consuetudo solvendi decimas ab ordinario variari potest. fol. 505. n. 26.
Et præscriptione legitima. fol. 506. n. 27.
In causis decimarum num sæcularis possit judicem agere? fol. 511. n. 36. & seqq.

Decimarum remissio, alienatio.

Decimator an & quomodo cum obligatis ad decimas conveniri possit? fol. 518. n. 1.
Decimarum gratuita & perpetua remissio non potest Laicis concedi

cedi sine Pontificis consensu. fol. 518. n. 2.
Bene tamen onerosa, cum consensu Episcopi. fol. 519. n. 3.
Aut Abbatis, Provincialis, &c. si horum Monasteriis decimæ incorporatæ fuerint. fol. 520. n. 4.
Quilibet Parochus locare decimas ad suam vitam potest. fol. 520 n. 5.
Alienatio decimarum perpetua sinè Pontificis consensu. fol. 521. n. 8.
Aut sine solennitatibus Ecclesiasticis facta, non valet. fol. 522. n. 9.
Immunitas à solvendis decimis præscribi potest. fol. 524. n. 19.
Affirmanti conventionem circa decimas olim initam fuisse, incumbit probatio. fol. 528. n. 29.
Solennitas ad conventionem requisita in dubio adfuisse præsumitur. fol. 529. n. 31.
Quidnam præscribentibus decimas possit, aut obsit. fol. 530. n. 33. & seqq.

Depositum.

Depositi definitio. fol. 39. n. 1.
Diversæ species. fol. 40. n. 2. & fol. 365. n. 1.
Deposito possunt adjici alii contractus. fol. 40. n. 3.
Deposito puro non licitè utimur sinè Domini consensu. fol. 40. n. 4. & fol. 365. n. 3.
Prout tamen licet, si contractus mutui accesserit. fol. 40. n. 5.
Deponentis consensus in usum depositi subinde præsumi potest. fol. 41. n. 7.
Deposita vel ipso usu sunt consumptibilia vel non. fol. 365. n. 2.
Deposito fungibili quandonam depositarius uti possit. fol. 365. n. 4.
Depositarius publicus num uti deposito possit? fol. 366. n. 5.
Depositarius seu Thesaurarius Principis utens deposito subinde non peccat graviter. fol. 366. n. 6.
Subinde graviter. fol. 366. n. 7.
Depositum quot modis fieri possit. fol. 370. n. 16.
Depositis pecuniis utens ad majorem, quàm aliàs diligentiam obligatur. fol. 371. n. 18.
Licèt hic usus ex præsumpto consensu deponentis factus fuerit. fol. 371. n. 19.
Depositum ex sui usu transit in mutuum. fol. 375. n. 23.
Dominio in mutuatarium, seu utentem translato. fol. 376. n. 24.

Dolus.

Dolus non annullat contractum stricti juris, licèt illi causam dederit. fol. 163. n. 6.
Ejusmodi celebratus contractus etiam à jure positivo non infirmatur. fol. 165. n. 8.

Dominium.

Cum hoc est compossibilis obligatio restituendi. fol. 417. n. 8.

Dona-

Donatio & Donator. Donatarius.

Donatio rei alienæ usu non consumptibilis est invalida. fol. 12. n. 3.
Valida autem rei usu consumptibilis, si donans ejusdem cum re donata bonitatis & qualitatis bona possideat. fol. 13 n. 6.
Donatio simpliciter invalida non transfert Dominium. fol. 15. n. 8.
Valida rerum usu consumptibilium Donatio in donatarium transfert Dominium. fol. 15. n. 9.
Quandonam Donatio in fraudem creditorum fiat. fol. 26. n. 7.
Donatio non rescindibilis excludit omnem metum. fol. 418. n. 15.
Donatarius retinens adhuc formaliter rem alienam usu non consumptibilem, tenetur illam ante donantem restituere. fol. 17. n. 17.
Donatarius malæ fidei rem usu non consumptibilem in æquivalenti apud se retentam tenebitur primariò restituere. fol. 17. n. 18.
Donatarius malæ fidei rem usu non consumptibilem destruens; nec apud alium, nec apud se æquivalenter detentam, ad minimum tenebitur in defectum donantis. fol. 17. n. 19.
Juxta aliquos etiam primo loco. fol. 17. n. 20.
Donatarius bonæ fidei ad nihil obligatur, si ex re donata, & bona fide consumptâ ditior non evaserit. fol. 18. n. 21.
Primariò tamen, si evaserit ditior. fol. 18. n. 22.
Donatarius à restitutione exemptus erit, si res usu consumptibilis donata; & donans potens ad compensandum fuerint, & ut talis prudenter habitus fuerit. fol. 19. n. 23.
In donatarium non transfertur rei furtivæ dominium à fure. fol. 19. n. 24.
Donatarius in foro conscientiæ retinere rem donatam potest; licèt ex hac donatione donans evaserit impotens ad solvendum creditoribus; modò ille hujus ignarus fuerit. fol. 27. n. 8.
Quod tamen in foro externo non procedit. fol. 27. n. 9.
Imo neque in interno, si hujus præjudicii gnarus ad donationem alterum induxerit. fol. 28. n. 10.
Licèt etiam donantem non induxerit. fol. 28. n. 11.

Dos: Contrados.

Dotis nomine quid veniat. fol. 433. n. 1.
Quid contrados. fol. 433. n. 2.
Dotalia pacta quid sint. fol. 433. n. 3.
Illorum divisio. fol. 434. n. 4.
Quandonam sint mixta? fol. 434. n. 6.
Dotem inter & contradotem de jure est æqualitas servanda. fol. 435. n. 7.

Quam

Quam consuetudo contraria sustulit. fol. 435. n. 8.
Doti non debet esse æqualis contrados. fol. 436. n. 11.

Ecclesiæ reparatio.

Quænam sub nomine refectionis Ecclesiæ comprehendantur. fol. 477. n. 1.
Ad Ecclesiæ reparationem obligant consuetudo, statuta, conventio. fol. 477. n. 2.
Reparatio ex proventibus Ecclesiæ facienda. fol. 478. n. 4.
Num etiam ex bonis beneficialibus. fol. 478. n. 5.
Et Parochi sustentationi congruis? fol. 479. n. 6.
Num ad eam teneatur patronus? fol. 481. n. 10.
Sub Ecclesiæ reparatione continentur etiam ædes parochiales. fol. 487. n. 26.
In his statuta & conventiones locorum sunt observandæ. fol. 488. n. 27.
Ad Ecclesiæ reparationem quinam agere possint. fol. 490. n. 30. & seqq.
Ecclesia quandonam privilegiis fisci & reipublicæ gaudeat. fol. 468. n. 12.

Emptor : Eruptio.

Emptor peccat contra justitiam, si sciat ex sua emptione præjudicium creditoribus venditoris eventurum. fol. 14. n. 4.
Licèt damnum creditoribus eventurum non intenderit. fol. 25. n. 5.
Emptionis natura explicatur. fol. 88. n. 1.
Essentialia cuilibet emptioni. fol. 88. n. 2.
Justitia pretii non dependet à solo consensu contrahentium. fol. 89. n. 3.
Ementium nomine alterius potest esse varia conditio. fol. 118. n. 3.
Nomine alterius ementibus varii modi præscribi possunt. fol. 118. n. 4.
Emens aut vendens aliquid ultra vel infra illi assignatum pretium, non potest per se excessum hunc sibi retinere. fol. 118. n. 5. 6. 7. &c.
Nisi singularis illius industria accesserit. fol. 121. n. 11.
Vel res à domino tradita ex indebita industriâ intermediis emptorjs meliorata fuerit. fol. 121. n. 12.
Aut illam antea pro se emerit. fol. 121. n. 13.
Aut principalis venditor, aut emptor expressè, aut tacitè excessum donaverit. fol. 122. n. 14.
Quæ donatio non erit semper præsumenda. fol. 122. n. 15.
Non retinetur licitè talis excessus ex eo, quòd nemo gratis censeatur servire. fol. 122. n. 16.
Aut quod negotiator potuerit rem vendere, noluerit tamen offerenti minus; sed vendiderit offerenti majus. fol. 123. n. 17.
Licitè etiam à sciente possunt emi res alienæ usu consumptibiles

ſuppoſitis certis circumſtantiis. fol. 133. n. 18.
Emi à dubitante poſſunt res alienæ cum propoſito inquirendi veritatem, & rem domino comparenti reſtituendi. fol. 133. n. 17.
Res uſu conſumptibilis etiam à ſciente, vel dubitante, num ſit aliena, emi poteſt. fol. 133. n. 18.
Emptio ex occultatione vitii extrinſeci non eſt ſtatim involuntaria. fol. 146. n. 6.
Emptio cum deceptione in menſura & pondere non eſt ſtatim nulla. fol. 152. n. 27.
Emptio cenſûs etiam alienis pecuniis facta, valet. fol. 367. n. 10.

Eadem res duobus vendita.

Primo emptori ex duobus res erit reſtituenda, quando dubitatur, cuinam illorum res fuerit tradita. fol. 135. n. 22.
Niſi ſecundus pretium, non autem primus ſolverit. n. 23.
Emptor poſterior eſt priori præferendus, ſi res illi tradita, & pretium ab eo acceptum; vel de hoc fides eidem habita fuerit. fol. 135. n. 4.
Emptor ſecundus tenetur primo in defectum venditoris ſolvere intereſſe, ſi hunc poſitivè ad rem ſibi vendendam induxerit. fol. 139. n. 38.
Emptori primo res erit reſtituenda, ſi ſecundus rem quidem acceperit, pro hac tamen pretium non perſolverit; nec fides eidem de hoc habita fuerit. fol. 140. n. 39.
Si primo emptori res Hypothecata; ſecundo autem tradita fuerit à venditore, ſecundus dominium, à primo tamen emptore revocabile acquiſivit. fol. 140. n. 40.
E duobus eandem rem à non domino bona fide ementibus ille prævalet, cui illa primò fuerit tradita. fol. 140. n. 41.
Si à duobus non dominis res duobus bona fide ementibus fuerit vendita, orta inter ipſos lite prævalet poſſeſſor. fol. 141. n. 42.
Si res à non domino duobus vendita exiſtat apud tertium, in illius evictione prævalebit, cui prior res fuerit tradita. fol. 141. n. 43.

Error.

Error circa ſubſtantiam rei commiſſus, aut circa motivum principale, reddit contractum irritum. fol. 162. n. 1.
Cauſat ſubinde involuntarium duntaxat ſecundum quid. fol. 167. n. 11.
Ex errore præſtitus conſenſus qualiter ſit inefficax. fol. 167. n. 12.
Error circa qualitatem accidentalem, licèt contractui cauſam dederit, hunc non reddit irritum. fol. 177. n. 38.

Mul-

Multò minùs error merè incidens. fol. 177. n. 38.
Contractus à decepto rescindi potest, si dolus vendentis interceſſerit. fol. 177. n. 39.

Feudum.

Feudi natura explicatur. fol. 244. n. 1. & diversitas. n. 2.
Feudi etiam purè hæreditarii alienatio sine consensu domini directi facta, ipso jure est irrita. fol. 245. n. 3.
Feudum sine novo consensu domini directi alienari potest, si potestas alienandi tacitè, vel expressè in ipsa investitura fuerit concessa. fol. 245. n. 5.
Feudum purè hæreditarium ut alienetur, requiritur novus consensus domini directi. fol. 246. n. 6.
Idem de gentilitio feudo tenendum. fol. 247. n. 8.
Licèt hoc novum fuerit. fol. 247. n. 10.
Feloniæ nomine quid intelligatur. fol. 248. n. 11.
Hanc inducit feudum absque ullo consensu domini directi alienatum. fol. 248. n. 12.
Licèt alienans Vasallus alienationem statim retractaverit. fol. 249. n. 13.
Ut amittatur feudum; res feudalis & alienata, & in alium debuit esse translata. fol. 249. n. 14.
Feudum purè hæreditarium ex quanam alienatione revertatur ad dominum. fol. 249. n. 15.
Quid in hoc de feudo gentilitio sit tenendum? fol. 250. n. 16. 17. & 18.
Feudum an post mortem delinquentis, & ex hoc descendentium devolvatur ad agnatos delinquentis? fol. 251. n. 20.
Præfertur opinio requirentium sententiam Judicis. fol. 255. n. 27.
Vasallo à domino directo intimanda. fol. 256. n. 28.
Feudum absque domini directi consensu illicitè alienatum, ipso jure apertum fuit. fol. 257. n. 32.
Feudalis pignoris fructus non sunt computandi in sortem. fol. 283. n. 17. 18. 19. 20. 21.
Quid si feudum ad Ecclesiam, vel ad Monasterium, ut ad dominum directum spectet? fol. 284. n. 22.
Quid si ad dominum sæcularem? fol. 285. n. 26.
Quid si feudum industriâ Vasalli melioratum fuerit. fol. 286. n. 27.
Aut in compensationem præcedentium meritorum fuerit collatum? fol. 286. n. 28.
In feudo franco fructus in sortem sunt computandi. fol. 286. n. 29.

Fructus.

Fructus boni emphyteutici probabiliùs non sunt in sortem computandi. fol. 287. n. 34.
Fructus ex usufructuario pignore, usuario, & conductitio in

fortem computandi sunt. fol. 287. n. 36.
Fructuum tam naturalium, quàm industrialium diversitas explicatur. fol. 382. n. 1.

Furtivæ Res.

Harum dominium probabiliùs non transfertur in donatarium. fol. 19. n. 23.

Indebitum.

Indebitũ scienter solutum quandonam repeti possit? fol. 404. n. 17.

Indivisa possessio.

Pro indiviso aliquam rem haberi à pluribus, quid sit. fol. 312. n. 1.
Modus pro indiviso aliquid possidendi quotuplex sit. fol. 312. n. 2.

Injuria.

Quandonam scienti, & consentienti non fiat? fol. 187. n. 13.

Juramentum.

Juramentum cum injuria extortum obligat in conscientia? fol. 402. n. 10.
Uti etiam metu injustò extorta, si sint de re licita. fol. 405. n. 20. 21. 22. 23.
In materia Juramenti Jus Canonicum est præferendum Civili, fol. 406. n. 24.
Valet Juramentum in contractibus jure reprobatis, si absque dispendio salutis observari possit, fol. 406. n. 25.
In quibus dolus & metus in ordine ad juramenta comparentur, fol. 407. n. 28.
Juramenta non possunt propriè relaxari à Magistratu sæculari, fol. 408. n. 31.
Bene tamen nomine partis tolli, n. 32.
Juramentum renuntiationi hæreditatis paternæ adjectum, num illam confirmet? Vide renuntiatio hæreditatis.
Juramentum ab impubere adhuc filio editum, irritari â patre potest. fol. 604. n. 30.
Non autem puberis. fol. 605. n. 31.
Pater ut creditor remittere potest juratam remissionem hæreditatis in gratiam sui factam. fol. 605. n. 32.
Relaxatio juramenti in quo differat à dispensatione. fol. 606. n. 34.
Juramentum in gratiam hominis principaliter factum, per se ab hoc solo relaxatur, fol. 606. n. 35.
Per accidens ab habente curam communitatis, ob hujus bonum. fol. 606. n. 37.
Aut ob certum delictum promissarii. fol. 606. n. 37.
Juramentũ non confirmans contractum num, ab Episcopo relaxari possit ex justa causa? fol. 607. n. 38.
Aut ab habente potestatem delegatam dispensandi in votis. fol. 607. n. 39.
Juramentum confirmans contractum sine justa causa relaxari non potest, fol. 67. n. 40. & 41.

Le-

Lædens, Læsus, Læsio.

Læsio etiam infra dimidium facta, illicita est, & restitutioni obnoxia. fol. 185. n. 12.
Læso infra dimidium negatur actio, quin hæc læsio à juribus approbetur. fol. 187. n. 14.
Lædens bona fide qualiter alteri ad restitutionem teneatur? fol. 188. n. 16.
Læso infra dimidium conceditur actio indirecta, & per viam denuntiationis. fol. 189. n. 18.

Licentia Superioris.

Licentia hæc ad usum rerum in religiosis potest esse diversa. fol. 324. n. 6.
Præsumptæ sunt diversæ species. fol. 325. n. 6.
Sufficit Religiosis tacita. fol. 325. n. 7.
Et rationabiliter præsumpta, quando Superior conveniri non potest. fol. 326. n. 8.
De quo tamen hic postmodum monendus erit.
Licentia præsumpta in quo sensu actu detur. fol. 328. n. 13.
An semper postmodum sit petenda? fol. 329. n. 16.
Num quævis taciturnitas superioris sufficiat? fol. 333. n. 17.
Quandonam pro approbatione sit habenda? fol. 330. n. 18.
Licentia expendendi sua in usus illicitos an religiosis dari possit? fol. 330. n. 19.
Licentia generalis num comprehendat etiam contractus turpes? fol. 335. n. 28. 29. 30.
Licentia ad actus illicitos quandonam sine peccato concedi religioso? fol. 335. n. 31.
Num ad ludendum? fol. 339. n. 39.

Locatio : Locator.

Locationis natura describitur. fol. 227. n. 1.
Locator non potest suo arbitrio locatorem expellere durante tempore conductionis. fol. 227. n. 2.
Excepto casu, quo conductor debitam pensionem non persolverit; neque in promptu solutionem obtulerit. fol. 228. n. 3.
Aut talis causa supervenerit, quæ tempore contractûs prævisa non fuerat, & locatori locatas ædes fecit necessarias. fol. 228. n. 4.
Ut expellatur conductor, sufficit necessaria reparatio elocatæ domûs. fol. 228. n. 6.
Aut abusus domûs locatæ. fol. 228. n. 7.
Locatori injustè expulso exortum inde damnum erit compensandum. fol. 228. n. 8.
Soli locatori perferendum est damnum rei locatæ casu apud conductorem destructæ. fol. 230 n. 12.
Si dolo, latâ, aut levi culpâ conductoris; huic reparatio incumbat. fol. 230. n. 12.
Num ante sententiam judicis? fol. 230. n. 13.

Inadvertentia & naturalis oblivio locatorem excusant. fol. 230. n. 14.
Nisi ad hunc casum se obligaverit. fol. 231. n. 17.
Quæ culpa locatoris debeat intervenisse? fol. 232. n. 18.

Lucrum.

Lucrum de Religioso sine licentia ludente reportatum non sit vincentis. fol. 338. n. 36.
A tali Religioso aquisitum num victis possit restitui? fol. 340. n. 44.
Lucrum prohibito lusu aquisitum num sit restituendum? fol. 350. n. 15.
Num victor Judicem impedire possit, ne ad reddendum lucrum se condemnet? fol. 352. n. 20.
Num victor lucrum reportatum Judici indicare teneatur? fol. 353. n. 24.
Et victus credito ludens victori lucrum solvere. fol. 353. n. 25.
Lucrans bona fide rem alienam comparenti domino tenebitur postea restituere. fol. 356. n. 30.
Lucrum an retineri ab illo possit, qui rem alienam deponens nihil potuerat perdere? fol. 356. n. 32.
Lucrum voluntariè alteri donatum, revocari ampliùs non potest. fol. 385. n. 7.
Lucrum ex permutatione pecuniæ nomine tertii factâ, tertio huic est aquisitum. fol. 386. n. 8.
Quandonam lucrum ex permutatione pecuniæ alienæ factum, fiat ipsius permutantis? fol. 387. n. 10. &c.

Ludens Lusus.

Ludorum varietas explicatur. fol. 345. n. 1.
Alearum lusus sub mortali non est prohibitus. fol. 345. n. 2.
Ludens animo lucrandi per se graviter non peccat. fol. 346. n. 3.
Justitia ludi certas conditiones exigit. fol. 346. n. 4.
Lusus alearum num religiosis sit licitus? fol. 347. n. 6.
Ludentes Clerici in Monasterio exempto non incurrunt excommunicationem ab Episcopo in ludentes latum. fol. 349. n. 10.
Deponens in ludo rem alienam tenetur victori de evictione rei bona fide per ludum obtentæ. fol. 355. n. 29. & fol. 358. n. 36.
Num lucrans rem alienam, hanc victo reddere possit? fol. 356. n. 31.
Aut ipse victor retinere. fol. 359. n. 38.
Ludi justitia in ludente exigit impeditum in rem depositam dominium. fol. 354. n. 26.
Si in ludo pecunia aliena fuerit deposita? fol. 355. n. 28.

Matrimonium.

Gravi metu extortum non est jure naturæ nullum. fol. 419. n. 18.

Metu-

Mendicus.

Cur gregales suo decipere possit? fol. 194. n. 18.

Mercator.

Non semper tenetur diminutionem ponderis aut mensuræ mercatoribus statim manifestare. fol. 353. n. 30.

Merces.

Laborantibus à Magistratu taxari potest. fol. 398. n. 1.

Taxatio ista in conscientia obligat. fol. 399. n. 2.

Mercedem vulgarem præ statutâ minore accipiens peccat contra justitiam. fol. 399. n. 3. 4.

Statutum, quod mercedem vulgari minorem decernit, potest esse absolutè justum. fol. 400. n. 5.

Non tamen facilè ferendum. fol. 400. n. 6.

Injustum erit, si reipublicæ necessitas non exigat. fol. 400. n. 7.

Metus.

Matrimonium gravi metu extortum non est jure naturæ nullum. fol. 419. n. 18.

Metus qualiter involvat ignorantiam. fol. 421. n. 21.

Metus non comparatur cuicunque dolo. fol. 421. n. 23.

Metu gravi extorti contractus jure naturæ valent. fol. 415. n. 3. & 418. n. 14.

Metu gravi extortus contractus illatorem metûs obligat, non autem patientem. fol. 422. n. 27.

Ex metu levi injusto gesta valent. fol. 423. n. 29.

Ex metu levi gesta num in foro conscientiæ sint rescindibilia? fol. 424. n. 30. & seq.

Metum passus subinde nullum damnum, sed solam injuriam, sustinet. fol. 426. n. 36.

Metu extorta usurarum solutio quare sit nulla? fol. 418. n. 16.

Mutuum.

Excessus aucti interea valoris in datis mutuò pecuniis quandonam in restitutione mutui possit detrahi? fol. 42. n. 9. 14. 15. 16. & seqq.

Quantum & quale in redditione mutui sit restituendum? fol. 48. n. 23. & seq.

Mutuum definitur. fol. 74. n. 1.

In mutuo quandonam usura lateat? fol. 75. n. 3.

Quod lucrum rationem usuræ habeat? fol. 75. n. 3.

De modo restituendi mutuum variè conveniri potest? fol. 75. n. 5.

Uti etiam de tempore, quo facienda erit restitutio. fol. 76. n. 6.

Quandonam eadem mensura cum æquali bonitate in mutuo restitui possit? fol. 80. n. 17.

Etiamsi diminutio futura prævisa fuerit? fol. 81. n. 20.

Quan-

Quandonam tota mensura non sit restituenda? fol. 81. n. 21.

Negotiator.

Negotiator nomine alterius, an & quando sibi excessum pretij retinere possit? vide emptor.
Negotiationis etymologia explicatur. uti etiam natura. fol. 539. n. 2.
Negotiatio propriè dicta non est respectu omnium illicita. fol. 540. n. 4. 5.
Bene autem religiosis ac Clerici. fol. 542. n. 6. & fol. 554. n. 5.
Quandonam sub gravi: fol. 542. n. 7. & 8.
In minoribus constituti clerici quandonam licitè negotientur? fol. 544. n. 11. & 12.
Negotiantes clericos excusat necessitas. fol. 545. n. 16.
Et si negotiationi non insistant, fol. 545. n. 17.
Quænam emere ac vendere religiosi possint, quim sint negotiatores. fol. 544. n. 13. & seqq.
Negotiatio mediata in quo consistat? fol. 546. n. 19.
Licet clericis negotiatio, totaliter sæcularibus commissa, fol. 547. n. 20.
Quædam negotiationem concernentia declarantur. fol. 548. n. 21.
Sine lucro intento non datur negotiatio. fol. 550. n. 25.
Aut si superstitia tantùm à religiosis vendantur, fol. 551. n. 29.
Aut Necessitates monasterij exigant, fol. 550. n. 27.
Aut ut solùm damnum impediatur. fol. 550. n. 28.
Aut ut expensæ vecturæ compensentur. fol. 55. n. 129.
Excusat illos etiam consuetudo. fol. 551. n. 31.
Quidsi religiosi agricolæ fumentum ad conserendos suos agros suppeditent, ut illis fructus dentur? fol. 555. n. 4. & seq.
Qualis conductio agrorum clericis ac religiosis sit illicita? fol. 562. n. 16. 17. & 19.

Obligatus.

Obligatus ad aliquid ex uno capite, potest esse deobligatus ex altero. fol. 417. n. 11.

Pensiones.

Annuæ ex elocato censu perceptæ non sunt fructus mixti. fol. 369. n. 13.

Permutatio.

Pecuniarum vario nomine fieri potest. fol. 385. n. 6.

Pignus.

Pignus quot modis accipiatur, fol. 279. n. 1. 2. 3.
Quænam res oppignorari possint, fol. 280. n. 4.
In pignore aliquid fructuum retineri potest ratione damni emergentis, aut lucri cessantis. fol. 280. n. 6.

Alias in sortem computandi fructus erunt. fol. 280 n. 7.
Pignus non potest annumerarià pignoratorio suis pecunijs, licèt in illo jus quoddam habeat. fol. 281. n. 8.

Præscriptio.

Cum ignorantia juris etiam invincibili facta, in foro saltem externo est invalida. fol. 457. n. 34.
Ut triennio res mobiles præscribantur, possidenti non debet jus resistere. fol. 459. n. 40.
Quot annis contra Ecclesiam præscribatur? fol. 459. n. 41.
Præscribere laici immunitatem solvendi decimas possunt. fol. 524. n. 19.
Malæ fidei possessor quomodo ex præsumptione juris præscribat? fol. 525. n. 20.
Immunitas à solvendis decimis qualiter præscribatur. fol. 526. n. 26. &c.
Poterit tamen ab isto compensatio ex fructibus fieri, ut labor atque expensæ factæ compensentur. fol. 282. n. 13. & 14.
Præscriptio currit contra omittentem exercere suum jus fol. 535. n. 47.
Præscriptio immunitatis à solvendis decimis qualem possessionem requirat? fol. 535. n. 47.

Pretium.

Pretij justitia non dependet à solo contrahentium consensu. fol. 89. n. 3.
Aut à sola mercium natura, & intrinseco valore. fol. 89. n. 4.
Sed ex statuto principis supremi vel Magistratus. fol. 89. n. 5.
Præter legitimum pretium datur aliud vulgare. fol. 89 n. 6.
Potest augeri ob periculum solutionis. fol. 97. n. 20.
Pretij justi excessus pars læsæ restituendus erit. fol. 118. n. 1.
Domino quoque restituendum erit, si hic ex ignorantia plus, quàm merces valet, famulo ad quid emendum tradiderit. fol. 118. n. 2.
Ex sola unius privati venditoris scientia non variatur pretium. fol. 147. n. 8.
Pretio currente licitè aliquid ei vendimus, à quo scimus illud vendendum post diminutum pretium. fol. 147. n. 11.
Quod tamen non procedit de vino, quod scio servatum deteriorandum. fol. 149. n. 12.
Pretium cuilibet emptioni est essentiale. fol. 181. n. 5.
Non tamen id necessariò debet esse justum. fol. 182. n. 6.
Pretium rerum aliud est summum, aliud medium: aliud infimum. fol. 195. n. 1.
In gratiam intermedij emptoris de pretio justo remittere aliquid mercator potest. fol. 196. n. 3.

Pretium ob latens vitium nonnihil est diminuendum, fol. 205. n. 7.
Pretij justitia in contractu censuali ex quo sit desumenda. fol. 262. n. 7.
Pretiorum diversitas explicatur. fol. 262. n. 8. & seq.
Si pretium censûs vulgare sit majus legitimo & taxato; census pretio naturali vendi potest. fol. 263. n. 13.
Plus dans quandonam censatus ex cessum donec? fol. 265. n. 17
Pro certo censu oblatum pretium accipi potest, licet hoc majus sit taxato, quando hoc scienter & extra necessitatem fuerit oblatum. fol. 265. n. 19.
Accedente præsertim locorum consuetudine. fol. 265. n. 20.

Privilegium.

Privilegij natura explicatur. fol. 215. n. 1.
Illorum diversitas. fol. 215. n. 2. 3.
Variis modis amitti possunt. fol. 215. n. 4.
Cessant per legitimam revocationem Superioris. fol. 216. n. 5.
Privilegium onerosum subdito concessum non potest sine justa causa revocari. fol. 216. n. 6 7.
Remuneratorium ex Justitia debitum coincidit cum oneroso. fol. 216. n. 8.
Ex gratitudine remuneratorium qualiter revocari possit. fol. 216. n. 9.
Quid de privilegijs donatione concessis tenendum sit? fol. 217. n. 10.
Quid de merè gratuitis. fol. 217. n. 13.

Res.

Res quot modis alienæ esse possint fol. 130 n. 1.
Rem alienam esse tam emptor quàm venditor, vel solùm alteruter horum scire potest. fol. 130. n. 2.
Res aliena vel est usu consumptibilis, vel non. fol. 130. n. 3.
Rei alienæ venditio ignoranti facta aliquantulum est valida. fol. 130. n. 4.
Rem secundo & prioris emptionis conscio emptori extraditam revocare primus emptor intra annum potest. fol. 138. n. 35.
Qua revocatione omissa secundus emptor ad nihil obligari poterit. fol. 139. n. 36.
Quælibet res in quo sensu sit tanti, quanti vendi potest. fol. 184. n. 8.
à Res per minus venditiones distractæ venduntur carius. fol. 396. n. 2.

Religiosi.

Religiosis & Clericis qualis negotiatio sit prohibita. vide negotiatio.
Religiosis & Clericis non quælibet emptio est prohibita. fol. 543. n. 9.

Licet ijsdem emere animalia, ut saginata vendant. fol. 544. n. 13.
Uti etiam fundum cum fructibus. fol. 544. n. 14.
Venam ferri. fol. 545. n. 15.
Uvas, ut expressum inde vinum vendant. fol. 456. n. 18.

Rescissio contractûs.

Facultas rescindendi contractum non est contraria contractui oneroso. fol. 169. n. 19.
Rescindi à decepto non potest matrimonium semel validum. fol. 171. n. 22.
Et contractus jam completus, si error absque culpa alterius contrahentis contigerit. fol. 172. n. 23.

Renuntiatio Hæreditatis.

Quot modis fieri possit. fol. 592. n. 1.
Renuntiatio futuræ hæreditatis paternæ in filiæ dote contentæ est nulla. fol. 593. n. 3.
Num talis renuntiatio juramento confirmetur? fol. 359. n. 4.
Renuntiatio in gratiam fratrum sine consensu parentis facta non confirmatur juramento. fol. 593. n. 5.
Secus si hic accesserit. fol. 595. n. 9.
In gratiam patris, & nullius religionis intuitu facta, confirmatur juramento. fol. 595. n. 10.
Num pater remittere possit juramentum in gratiam ipsius factum? fol. 605. n. 32.
Juramentum non confirmans renuntiationem ab Episcopo jurantis remitti potest. fol. 607. n. 38.
Et probabiliter ab habente potestatem delegatam dispensandi in votis. n. 39.
Juramentum relaxationem confirmans sine justa causa relaxari non potest. fol. 607. n. 40.

Retractus.

Nomen retractûs, à quo derivetur. fol. 316. 13.
Explicatur illius natura. fol. 314. n. 9.
Divisio illius n. 11.
Quæ bona retractui sint subjecta. fol. 315. n. 12.
Jus retractûs, quibus competat. fol. 316. n. 13.
Natura Societatis seu communis retractûs explicatur. fol. 317. n. 18.
Nemo potest alteri retrahere proprio nomine: alieno tamen & in commodum alterius. fol. 318. n. 22.
An jus retractûs locum habeat in permutatione? fol. 319. n. 28.

Salarium.

Salarij vulgaris justitia unde desumatur? fol. 5. n. 3.
Universaliter non illud solum est justum salarium, quod ad sustentationem Servientis sufficit. fol. 5. n. 4.
Justum est, in quod officialis sine dolo, metu, aut necessitate consensit. fol. 6. n. 5.
Salarium infino congruo minus quandonam compensationem admittat. fol. 8. n. 11.

Simonia.

Simoniæ essentia explicatur, fol. 567. n. 1. & 2.
Cum quibus iniri pactum Simoniacum possit. fol. 558. n. 3.
Est juris divini, vel Ecclesiastici fol. 568, n. 4.
Simoniacum est pactum, cum tertio initum si pretium pro intercessione fuerit oblatum. fol. 568. n. 5.
Licet episcopus gratis conferat, aut princeps gratis ad beneficium præsentet. fol. 570. n. 6.
Aut hujus pacti fuerint inscij. fol. 571. n. 8.
Vel temporale duntaxat ut motivum fuerit traditum. fol. 571. n. 9.
In quo sensu Simonia sine pretio dari non possit? fol. 571. n. 10.
Licet ex gratitudine dare aliquid conferenti beneficium, si nullum pactum interceserit. fol. 572. n. 11.
Simoniam non committit, qui tertio dat pecuniam proportionatam labori, ut patrono, collatori beneficijs, saltem explicet sui candidati merita. fol. 573. n. 12.
Simoniacus est sacerdos, qui beneficium acceptat sub onere legendi annuatim certa Sacra ad intentionem Patroni. fol. 575. n. 15.
Non licet dare temporale spirituali annexum pro temporali. fol. 577. n. 20.
Si temporale annexum spirituali detur pro alio temporali, etiam annexo spirituali, commissa fuit simonia Ecclesiastica. fol. 578. n. 21.
Sæculares non possunt ex duobus beneficijs unum facere. fol. 578. n. 22.
Simoniacum est pro ipso statu religioso aliquid ut pretium exigere. fol. 580. n. 4.
Monasterium depauperatum potest cum canditato de sustentatione paciſci. fol. 580. n. 5.
Non autem dives. fol. 582. n. 9.
Pro anno Novitiatûs potest aliquid exigi. fol. 587. n. 18.
Monasterium potest aliquem alere sub obligatione illud ingrediendi. fol. 587. n. 19.

Mo-

Monialibus cur aliquid accipere à ſuis poſſint? fol. 588. n. 20.

Monaſteria virorum in certis circumſtantijs aliquid à ſuis candidatis exigere poſſunt. fol. 588. n. 21.

Extra quas non excuſat praxis contraria. fol. 589. n. 23.

Societas.

Expenſæ Societatis ſolent eſſe diverſæ. fol. 291. n. 1.

Ex Societate ſolvendæ ſunt expenſæ in pactum deductæ. fol. 291. n. 6.

Vel â conſuetudine approbatæ. fol. 292. n. 7.

Vel cum ipſis mercibus fuerunt factæ. n. 8.

Aut ab ipſo Socio ſuam operam apponente ratione Societatis formaliter. fol. 292. n. 9.

Quid de ſumptibus, occaſione tantùm Societatis factis? fol. 292. n. 10.

Num expenſæ aliàs domi à Socio faciendæ detrahendi ſint? fol. 295. n. 19. & ſeqq.

Societatis contractus definitur. fol. 305. n. 11.

Conditiones ad illius valorem neceſſariæ. fol. 305. n. 12.

Succeſſor.

Immediatus, non autem mediatus à jure fingitur idem cum defuncto. fol. 456. n. 33.

Venditio.

Venditio ædium, creditoribus oppignoratarum valet, onere tamen in ementem cum ædibus translato. fol. 26. n. 6.

Vendi alteri res potens ſine domino in emptorem translato. fol. 33. n. 13.

Licet vendere aliquantulum cariùs triticum notabiliter melius communiter vendi ſolito. fol. 90. n. 7.

Non licet ſine cauſis naturale pretium augentibus cariùs vendere ſuum triticum, etſi læſio ſit infra dimidium. fol. 90. n. 8.

Vendi poteſt res majori pretio ob lucrum ceſſans. fol. 93. n. 16.

Aut ob vim, metum, aut fraudem ad venditionem compellentes. fol. 93. n. 16.

Etiam ob ſperatum majus lucrum, alias certò obtinendum, vendi carius res poſſunt, deducta tamen æſtimatione laborum. fol. 94. n. 17.

Venditio quandonam vera cauſa ſit cujusdam lucri ceſſantis. fol. 95. n. 18.

Vendi carius res possunt ob periculum solutionis. fol. 97. n. 20.

Vendens aut emens nomine alterius ultra vel infra sibi assignatum pretium, per se non potest excessum sibi retinere, fol. 118. n. 5. &c.

Nisi adfuerit singularis industria talis negotiatoris. fol. 121. n. 11.

Vel res à Domino tradita ab intermedio procuratore ex indebita industria fuerit meliorata, fol. 121. n. 12.

Aut vendens illam antea pro se emerit. fol. 121. n. 13.

Aut principalis vendens expressè aut tacitè negotiatori excessum donaverit. fol. 122. n. 14.

Quæ donatio non erit semper præsumenda. fol. 122. n. 15.

Excessus non retinetur licitè ex eo, quòd nemo gratis serviat. fol. 122. n. 16.

Aut quòd negotiator potuerit rem, non tamen voluerit, vendere minus offerenti; sed vendiderit offerenti majus. fol. 124. n. 18.

Venditio rei etiam actu alienæ facta ignoranti, aliqualiter valet. fol. 130. n. 4.

Licet venditor sciverit, rem esse alienam. fol. 130. n. 5.

Vendens pretium, ex rei alienæ distractione comparatum, facit suum. fol. 130. n. 6.

Venditio rei alienæ non transfert dominium in ementem. fol. 131. n. 7.

Venditor non obligatur emptori scienti rem esse alienam de evictione. fol. 132. n. 13.

Vendi eadem res diversis diversimodè potest. fol. 134. n. 19.

Si res primo emptori à venditore jam extraditâ, denuo alteri vendatur; huic nullum jus in alterum competet. fol. 134. n. 20.

Duobus successivè in solidum vendita, & nulli adhuc extradita, sunt primo emptori consignanda, fol. 134. n. 21.

Quot modis res aliqua vitiosa esse possit. fol. 145. n. 1.

Vitiosa res minori pretio erit vendenda. fol. 146. n. 3.

Vitia rerum extrinseca non debent exponi. fol. 146. n. 4.

Præsens valor rerum à futuro, si hic sit notus, pender. fol. 147. n. 7.

Ordinario pretio non potest vendi debitum, cui solvendo debitor scitur impotens esse. fol. 147. n. 9.

Non potest venditor per alium suadere emptori, ut talem mer-

mercem currente pretio emat. fol. 147. n. 10.

Venditor interrogatus debet vitium intrinsecum rei, & circa hujus qualitates versans emptori manifestare. fol. 148. n. 13.

Ob vitium occultum non licet rem minore pretio vendere, si illo cognito eandem emptor simpliciter emturus non fuisset. fol. 149. n. 14.

Vitium extrinsecum dissimulando & tacendo occultare venditor potest. fol. 150. n. 22.

Non tamen intrinsecum. fol. 150. n. 23.

Vitium substantiale est manifestandum. fol. 151. n. 24.

Nec non illud quoque, cujus negationi consensum emptor alligaverat. fol. 151. n. 25.

Alligatio ista quandonam contingat. fol. 151. n. 26.

Vitium per se manifestum non est emptori intimandum. fol. 154. n. 31.

Nisi emptor valde rudis fuerit deprehensus. fol. 154. n. 32.

Habili emptori, & ex negligentia non advertenti, substantiale duntaxat vitium est manifestandum. fol. 154. n. 33.

Aut si foret emptori noxium vitium. fol. 155. n. 36.

Emptori, qui rem alteri postea est venditurus, occultum vitium erit manifestandum. fol. 155. n. 35.

Aut si rem ad finem emptionis inhabilem acquireret. fol. 157. n. 36.

Quid si vitium rem leviter inutilem faceret? fol. 155. n. 39.

Quid si res ob vitium per se inutilis; emptori autem per accidens esset utilis? fol. 155. n. 38.

Ut venditio valeat, non sufficit rem venditam ad aliquos suos fines esse utilem. fol. 210. n. 16.

Si ad specialiter intentum finem sit inutilis. fol. 212. n. 17.

Venditio rei duobus communis inscio consorte facta, non valet. fol. 313. n. 6.

Votum paupertatis.

Votum paupertatis perpetuæ in Religione quem effectum habeat. fol. 324. n. 1.

Violatio illius est sacrilegium. fol. 324. n. 2.

Quomodo hæc contingat. fol. 324. n. 3.

Potest violari etiam obtento consensu Superioris. n. 4.

Licentia Superioris potest esse varia. fol. 324. n. 5.

Votum paupertatis assimilat religiosum vero pauperi, fol. 329. n. 15.

Usura.

Quid requiratur, ut in contractu mutui non committatur? fol. 76. n. 7. 8.

Usurarius est contractus mutui, quando conventum, ut plus solvatur, si tempore solutionis decreverit valor, si autem creverit, non pauciores, sed tot, quot mutuatæ fuerint, mensuræ solvantur, fol. 77. n. 9.

Aut si prævisum fuerit, pretium tempore solutionis augendum; & mutuatarius istud neque prævenire, neque subsequi solutione possit. fol. 77. n. 9.

Nisi mutuans suum frumentum in illud tempus conservare statuisset. fol. 78. n. 13.

Usuraria solutio metu extorta quare sit nulla, fol. 418. n. 16.

Juramentum solvendi usuras versatur circa materiam charitatis propriæ. fol. 602. n. 23.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th.
2149

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

HEISLINGERS
Responsa Moralia
DE
Restitutione & Contra-
ctibus.
E. III
36.